UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ōrigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Hapanta Ta Hellēnisti Heuriskomena

Origenes

Coloniæ, 1685

Petri Danielis Huetii Origeniana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79842

Visual Library

PETRI DANIELIS HUETII ORIGENIANA.

OPERIS TOTIUS PROLOGUS ET PARTITIO.

COLLIGENTI mihi superstites primigeniorum Origenis Operum reliquias, & in publicam lucem dare paranti, optimum factu visum est, & vulgo utile, nec à Scriptorum ætatis hujus, qui Veterum edendis monumentis operam suam consecrarunt, consuetudine alienum res Origenis referre. Quod parce à nonnullis, indiligenter ab aliis, plene, & animo vel amore vel odiis vacuo à nemine omnino factum adhuc, sedulam & affectibus liberam tractationem exposcebat. Res Origenis dico, non gestas modo, sed cogitatas etiam ab eo, & literis proditas: nec enim agendo solum, sed meditando quoque, commentando & scribendo vitæ suæ otia Origenes partitus est. Quamobrem trifariam dividetur istud quod aggredimur opus. Ac primum ipsius perscribemus vitam, facta, mores, & obitum. Hinc de ejus eruditione disseremus & dogmatis, quæ magnas in Ecclesia dum viveret, majores post ejus excessum turbas conciverunt. Scripta demum ejus, quæ multorum Critica vexavit, attingentur & discernentur.

LIBER PRIMUS
ORIGENIS VITA.

Libri primi partitio.

QUatuor capitibus liber iste absolvitur. Primum continet, quidquid natales inter Origenis, & Severi Imperatoris mortem intercessit. Secundum pertinet ab obitu Severi ad initia imperii Maximi. Tertium res Origenis à Maximini primordiis ad Philippi necem gestas complectitur. Quartum à Philippi morte exorsum in Origenis occasu desinit.

CAPUT PRIMUM.

I. *Origenis patria, ætas, parentes*, II. *nomen*, III. *cognomenta*, IV. *institutio puerilis, indoles*, V. *præceptores & studia*. VI. *Utrum Ammonium audiverit*. VII. *An plures fuerint Origenes, & plures Adamantii*. VIII. *Leonidæ martyrium*. IX. *Origenes Grammaticam publice profitetur, Catechumenos instituit, Martyribus præsto est*. X. *Utrum hoc tempore Cæsaream Cappadociæ iverit*. XI. *Grammaticæ docendæ munus abdicat*. XII. *Piæ ejus exercitationes. Plurimi ex ejus discipulis martyrium obeunt*. XIII. *Se ipse evirat*.

I. ORIGENES genere Ægyptius, Alexandriæ natus est anno Christi, ut videtur, centesimo octogesimo quinto, annum jam sextum imperante Commodo, nonum vero Christianam rempublicam administrante Eleuthero Papa, Triario Materno, M. Atilio Bradua COSS. Cum enim decimum septimum ætatis annum egisse eum scribat Eusebius, quo tempore martyrium expetivit pater ejus Leonides, anno nempe Severi decimo, plane ab eo, quem dixi, cardine, vitæ initium videtur duxisse. Biennio juniorem faciunt Fasti Siculi, aliique, & in annum qui fuit Clodio Crispino, & Papirio Æliano COSS. ortum ejus conferunt. Eadem videtur Mariani Scoti ratio, nam in annum Christi 204. Leonidæ martyrium conjicit. Toto vero triennio recentiorem credidit Origenem Hermannus Contractus: nonnulli etiam quadriennio. Nos Eusebii sequimur ὁπλογισμός. Pater illi fuit is, quem dixi, Leonides, omni virtutum genere insignis, & sacris disciplinis apprime institutus, Episcopatu etiam, ut scribit Suidas, præditus. Matris nomen silentio Auctores presserunt.

Euſ. Hiſt. lib. 6. c. 2.

II. Origenes appellatus est: cujus nominis etymon à multis disquisitum est. Theophanes Cerameus Hom. 22. ὠριγήνη τὸν ὀρύγης ἐπώνυμον appellat: sed non tam, ut videtur, ad indicandam nominis originem, quam ad suggillandum Origenem quæsita ex vocis sono occasione. Erasmus, Caninius, Hœschelius, & Schottus, viri Græcis literis luculenter exculti, nonnullique præterea, ὠριγήνη dictum putant, quasi ὄρειον τὸ γένος, ὀρειγήνη, ἐν ὄρει γεγενημένος. Johannes Tarinus, & alii, ita eum existimant appellatum, quasi ὥριον, seu ὥριμον γεγενημένα, *mature genitum*. Inepte Badius, qui dictum fingit ab ὀρὸν, quod idem est ac ὄρον. Ego ab Oro, qui Ægyptiorum DEus est, nomen illud profluxisse existimo, quemadmodum à Jove Diogenem; à Mercurio, Hermogenem. Neque vero miretur quisquam Christianos parentes ab Ethnicorum DEo derivatam appellationem filio indidisse; id enim tum erat usu pervagatum, nec ejusmodi nomina abjiciebant Catechumeni, cum Christi fidem amplectebantur; atque hinc Dionysius ille Areopagita, Apollos Alexandrinus, Phœbe, Hermas, Hermes, Nereus & Diotrephes, Lucæ, Paulo, & Johanni inter Christianos commemorati; hinc Ammonii, Serapiones, Athenagoræ, Apollinarii, Demetrii, Isidori: *quis* enim, ait Tertullianus, *nominum reatus?* Quod autem objici potest ab Oro Origenem fuisse dicendum, non Origenem, de nihilo est; nam primum responderi potest sic pro ἀργοφόντης, Mercurium ἀργειφόντην fuisse dictum; sic *Cephisidoro* nomen fuisse cuidam Aristotelis adversario, qui *Cephisodorus* fuerat appellandus; usu quoque receptissimum esse apud Latinos ita nomina conflare; sic *Dionysipolitas* appellasse Ciceronem, quos alii *Dionysopolitas*; sic *Demiphonem*, & *Clitiphonem* à Comicis dictos, qui ab aliis *Demophoon*, & *Clitophon*; sic *Phœbigenam* à Virgilio, qui *Phœbogena* dici debuisset. Et ut similem nominum coagmentationem proferre nullam possemus, quis accuratam Hellenismi munditiem in Alexandrina requirat Dialecto, quæ à Macedonica profecta est, barbara ipsa primum & impura, & extra Græcarum censum numerata, tot deinde Gentium commercio inquinata, & ab Ægyptiis demum, inter quos consedit, distorta & corrupta. Inde fit ut Alexandrinorum loquelam tam sæpe carpant Critici antiqui, Phrynichus, Thomas Magister, & Helladius Besantinous. Verum his omissis genuina responsio ex sequentibus facile extrabit. Orus Ægyptiorum Deus is est Osiridis & Isidis filius, quem Apollinem esse, & Solem Veteres magno consensu tradiderunt. Orum seu Horum dictum existimavit Horus Apollo, quod horis præsit; Horas contra nomen ab eo traxisse, & quatuor anni tempestates indidem dictas, & annum, & Græcorum annales, & eorum scriptores ὡροφάφους tradunt Macrobius, & Censorinus. Inepte Horus Apollo. ἐμοὶ γὰρ ἔν αἰγύπτιον φαίνεται, καὶ ὁσαμῶς ἑλλήνων ὄνομα ὧρος ἔστι, inquit Pausanias: vere. Salmasius Orum nomen habere censet à veteris linguæ Ægyptiæ vocabulo πιωρὸ, vel absque articulo, ὠρὸ, quod *Regem* sonat. Ita certe quidem sæpe exponit Ibno Cabar in Scala magna, quam edidit Kircherus. Sunt qui derivent

Act. 17, 34. & 18. 24. Rom. 16, 14. 15. 3. Joh. 9.

Macrob. l. 1. Saturn. cap. 21. Cenſorin. cap. 19. Pauſan. in Corinth. Salmaſ. Epiſt. 78.

A rivent à אור, id est, *Sol*, ad quos minime quidem possum accedere: ὤρ enim factum est ex Ægyptio Or, cui à Græcis addita terminatio est. Or nomen fuit pastori cuidam Ægyptio Telegoni patri, qui septimus ab Inacho Ægypti regnum tenuit. Hujus meminit Hieronymus in Chronici Eusebiani libro posteriore, & alterius Or in Epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagium, cap. 2. Ægyptiorum Abbatum duorum vitam scripsit Palladius in Lausiacis, quorum alteri Or nomen fuit, alteri Pior, præfixo nimirum Ægyptio articulo masculino. Idem alio loco meminit virginis Taor, nomini Or præfixo itidem articulo fœminino Ægyptio. Or genuinum est Dei hujus Ægyptiaci nomen, unde ὤρ Græcum, adjecta terminatione. Quemadmodum autem in honorem Dei illius non unus appellatione Græcanica ὤρ dictus fuit; ita & Ægyptiacum ὤρ multi in nomen ascive-
B runt. Quod si quis ergo ita dictus reperiatur, non per metaplasmum pro ὤρ ita putetur nuncupatus, ut conjectat Scaliger; sed ὤρ è contrario à primigenio ὤρ inducta Græcanica forma detortum existimetur. ὤρ autem purum putum Ebraicum est אור, quod lucem significat, & pro ipso etiam Sole usurpatur Jobi 31. 26. necnon est Jobi 36. 30. & Isaiæ 5. 30. juxta quorundam Interpretum expositionem. Jam vero unde manarit Origenis nomen in promtu est; ab ὤρ nimirum fieri debuit ὠριγένης, non ὠρογένης, quemadmodum ab ἦρ, ἠριγένεια ἠὼς, non ἠρογένεια. à πῦρ, πυριγενὴς, Bacchi Epitheton apud Nonnum. Origenes igitur idem fuerit quod *Phœbigena*, non quod *Montigena*. Erasmum, Caninium, cæterosque in fraudem illexerunt hæc Etymologi verba: εἰ μὴ φωνῆεν ὑποφέρηται, ἢ ἓν ἁπλῶν σύμφωνον, φυ- *Etym. M. in Ὠρίγενης.*
λάττεται ἢ εἰ διφθόγγος. οἷον, ὄρη, ὀρείαυλος, ὀρεσιγενὴς, ὁ ἐν τοῖς ὄρεσι γεννηθείς. Hæc rectius intellexis-
C sent profecto, si ad sequentia attendissent: τὸ γὰρ πύριον ὄνομα καὶ βαρυύεται, καὶ διὰ τοῦ ω μεγάλου γράφεται, καὶ διὰ τοῦ ι· nec enim apertius significare poterat Etymologiarum auctor aliud esse, *Etymol. in Ἀργείδης.*
ὀρεσιγενὴς, aliud, ὠριγένης. Ac alio itidem loco nomina illa, ὠριγένης & ὠρίων, patronymica esse docet, nec proinde ἀπὸ τοῦ ὄρους, sed ἀπὸ τοῦ ὦρυ τὸ ὠριγένης derivari. ὠρίων autem usitatum inter Ægyptios multorum nomen fuit. Duorum ejus nominis Grammaticorum meminit Suidas, Thebæi alterius, alterius Alexandrini. Ab Oro scilicet, quo etiam nomine complures, ut dixi, gavisi sunt. Ipse venator Orion, qui inter Astra relatus est, non quasi ὠρίων, quod etymon Græcia mendax confinxit, sed ab Ebræo potius אור, quasi dicas, *Lucidus*, nomen habuit; hic est enim unus asterismus omnium lucidissimus. Ebraicum au-
D tem nomen habuisse ipsum eo credibilius est, quod in Bœotia vixit, itidem ut Cadmus Orionis ætate non multo superior, qui Phœnicum linguam in Græciam intulit. Addit Hœschelius pro ὀρθογένης factum ὠριγένης, quemadmodum pro ὀρεσίτροφος Poëtæ ὠρεσίτροφος *Hœsch. in Orig. cōtr. Cels. lib. 1.*
dixerunt. Id nollem erudito viro excidisse; quod enim metri necessitate adducti ausi sunt Poëtæ aliquando, id in legem aut exemplum trahere non debuit. Nec felicior aliorum conjectura, qui Origeni nomen factum volunt, quod tempestive genitus sit; nam sic scriberetur *Horigenes*, non *Origenes*. Inane est autem quod ejus sententiæ confirmandæ gratia adjecit vir eruditus, se in vetustis Codicibus Origenis nomen cum aspiratione scriptum sæpissime reperisse: certum quippe est longe etiam frequentius aspiratione carere: ab Horo nimirum appellatio est, qui aspirationem sibi vindicat aliquando, sæpius etiam respuit.

E III. Id ergo nominis à puero habuit Origenes, at annis subinde prodeuntibus Adamantius cognominatus est, ὅτι ἀδαμαντίνοις σώμασι ἐφύκεσαν αἱ ἂν δόξαι λόγοις, inquit Photius; vel propter mentis adamantinum robur, quæ nullis in illustranda Scriptura, & in *Phot. Cod. 118.*
scribendo laboribus defatigaretur, quemadmodum in Epistola ad Marcellam prodit Hieronymus; vel quod tanquam invictus adamas fortiter veræ fidei opem ferret, omniaque in se missa Hæreticorum tela veritate ipsa retunderet. Atque id cognomentum sibi hunc ipsum ascivisse tradit Epiphanius. Hinc refellitur Erasmus illud ipsi jam à vitæ exortu, *Epiphan. Hær. 64. c. 73.*
non ex moribus inditum existimans. Ab ingenti etiam librorum quos assidue scribebat copia σωτάκης, sive σωτακήεις, sive σωτακτικὸς dici meruit. Chalcenteri etiam attribu- *Erasm. in vit. Orig.*
F tum est ei ab Hieronymo cognomentum, ad Didymi illius Alexandrini Grammatici exemplum, qui ob indefessum scribendi studium, & assiduam circa libros moram eandem appellationem consecutus est; supra tria siquidem librorum millia & quingentos conscripsit, cum multo plures Origenem scripsisse proditum sit: minime autem dum viveret Adamantius noster Chalcenteri nomen gessit. Paribus de causis Apion Grammaticus, ac itidem Ægyptius, propter inusitatam in literariis laboribus constantiam, μόχθος cognomine dictus est. Sed redeamus ad propositum.

IV. Sex præter Origenem filios suscepit Leonides: at cum in illo admodum etiam tum puero magna ad virtutem eluceret indoles, omnem fere Patris amorem ac studium ad se convertit. Hunc itaque sibi domestica institutione, assiduisque præceptis formandum suscepit Leonides, animumque rudem primis imbuit Christianæ pietatis, divinarumque simul & exoticarum doctrinarum elementis: sed ita tamen ut in quotidianis exer-

citationibus, humanarum literarum ſtudiis ſacræ diſciplinæ præirent. Erat omnino in A puero ingenium peracre & fervidum, ſingularis memoria, flagrans & incredibile ſtudium, ut quidquid ſibi impoſitum eſſet ad diſcendum non tam exciperet quam arriperet, docentemque Patrem diſcendo & quærendo defatigaret. Cum enim ſelecti è Scriptura ſancta loci ſingulis quibusque diebus memoriæ commendandi ipſi proponerentur, proclivi verborum ſenſu non contentus, ſatagebat ſubire ad interiora, & reconditas ſententias evolvere, Patremque aſſidua percontatione laceſſebat. Ac puerum quidem immoderata quadam ingenii ubertate ſuperfluentem coërcebat, palamque caſtigabat; ſed felicem nihilominus animi calorem tacitus admirans futurum augurabatur, ut ad majora aſpiraret aliquando, filioque nondum puberi ſumma omnia judicio ſuo tribuebat. Sed quas interdiu blanditias prudentia & gravitas continuerant, eas noctu patrius amor exprimebat; ferunt ſiquidem dormientis cubiculum pueri ſæpe ingreſſum Patrem, nudatum filii pectus, ſic tanquam aliquod Spiritus ſancti domicilium fuiſſe exoſculatum, Deoque grates egiſſe, qui ſe tam felici prole auxiſſet. B

V. Poſtquam domeſticis præceptionibus roboratus animus publicam lucem quærere cœpit, Clementi Alexandrino, qui Pantæni ſcholam regendam ſuſceperat, in diſciplinam traditus eſt, quo magiſtro tantum valuit ingenioſi adoleſcentis exercitatio, ut præter artium ſacrarum diſciplinam, ad quam meditationes fere referebat omnes, maximam etiam colligeret memoriam antiquitatis, & Mathematicas ad hæc artes, facultatemque oratoriam adjungeret. Applicavit deinde ſeſe ad Ammonium, cognomento Saccam, & in ejus exhedris inſignem Philoſophiæ peritiam comparavit, ſed Platonicæ præſertim, C quæ tam altas in ejus animo radices egit, ut ſuccreſcentes Chriſtianæ doctrinæ fruges interficeret; nam Eccleſiæ ſcita fere exigebat ad normam Platonis, & ſincera Chriſti dogmata Platonicis, ut ita dicam, coloribus oblinebat. Eſt apud Wernerum in Faſciculo temporum Alexandri in Hieroſolymitano Epiſcopatu deceſſorem Narciſſum Origenis fuiſſe magiſtrum. Tale quidem nihil habet Euſebius; neque certe unde id ſumſerit Wernerus, comminiſci poſſum. Halloxius Origenem ſcribit Pantænum quoque præceptorem audiviſſe; cui uti aſſentiamur nulla nos adducunt Veterum teſtimonia: imo vero refragari etiam videntur: memoriæ quippe prodit Euſebius Origenem etiam tum puerum Clementis auditorem fuiſſe; poſt Pantænum autem Alexandrinæ Scholæ Clementem præfuiſſe. Docendi igitur curam tunc abjecerit Pantænus, cum primum magi- D

Magdeb. Cent. 3. c. 10 ſtris uſus eſt Origenes. Narrant quoque Magdeburgenſes inter præceptores Origenis
Hieron. Apol. libr. 2. cap. 3. Huillum recenſeri ab Hieronymo in Apologia in Rufinum. Ab Huillo quidem nonnulla monitum fuiſſe Origenem, quæ ad veriorem Scripturæ interpretationem pertinerent, narrat Hieronymus. Quod ſi præceptor dicendus eſt, qui errantem meliora pro tempore amice ſubmonet, profecto quicunque literis damus operam noſtri invicem præceptores ſumus, quippe qui nos invicem monitis juvamus & conſiliis, & hanc veniam petimusque, damusque viciſſim.

VI. Duo porro hic videnda ſunt, utrum Ammonium audiverit Origenes; tum pluresne hujus nominis ex Ammonii ſchola prodierint: hæc enim à viris eruditis in utramque partem diſputata ſunt. Priorem quæſtionem agitat Baronius ad annum Chriſti 234. E miratique ſe dicit, quî audire Ammonium potuerit Origenes Ammonio fere ætate ſuppar, & aliorum ipſe inſtitutioni ante annum ætatis triceſimum præfectus. Quaſi non his ſæpe temporibus, ut pluribus probabimus infra, jam grandes natu viri ſcholas frequentarint; & hujus ipſius Ammonii diſcipulus Plotinus, ad eum audiendum annos viginti octo natus non acceſſerit, annosque eum undecim audiverit: quaſi Catechumenis fidei Chriſtianæ rudimenta tradere, & Grammaticam publice profiteri non potuerit Origenes; ipſe ſucciſivis horis ſepoſitum ad audiendum Ammonium tempus habere. Neque vero poſt Porphyrij, Euſebij, Nicephori, & Suidæ teſtimonium, quin Ammonio magiſtro uſus ſit, poteſt dubitari.

VII. Spiſſior eſt & reconditior altera quæſtio, cujus accurate pertractandi commo- F dum nacti locum, non diſputabimus tantum, pluresne Origenes ex Ammonii ſchola orti ſint, ſed ab unone etiam & eodem Origene duplex Origeniſtarum Hæreticorum ſecta profecta ſit, tum etiam multiplexne fuerit Adamantius. Per mihi ſane placet Henrici Valeſii ſententia, viri Eccleſiaſticæ juxta & profanæ antiquitatis literate periti. Is in luculentis ad Euſebii Hiſtoriam Annotationibus geminum Origenem Ammonio operam ad audiendum dediſſe ſcribit, alterum Adamantium noſtrum; alterum illum qui cum Herennio, & Plotino à condiſcipulatu conjuncte vixit, & cujus frequens occurrit mentio in Vita Plotini à Porphyrio conſcripta, & in libri de fine à Longino lucubrati fragmento, quod huic ipſi Vitæ Porphyrius intexuit. Rationes quibus id adſtruit Vir doctus brevi complectar, Adamantium Origenem Ammonii auditorem multam ex ſcriptis

apud

A apud posteros gloriam fuisse consecutum à Porphyrio traditum est ; at Origenem alterum Plotini sodalem nihil præter libellum de Dæmonibus scriptum reliquisse docent iidem Porphyrius, & Longinus. Imperantibus præterea Gallo & Volusiano Origenem eum, qui Adamantius usurpatur, extremum clausisse diem prodit Eusebius ; Origenem vero alterum sub Gallieno librum quemdam elaborasse in eadem Plotini vita scriptum Porphyrius reliquit. Quibus tertium illud argumentum addo. Origenem Adamantium sibi valde adolescenti cognitum aliquando fuisse Porphyrius tradidit ; quod non dixisset profecto, si diuturna sibi cum illo & constans intercessisset necessitudo : Origenis autem alterius Romæ condiscipulum & æqualem fuisse Porphyrium memoriæ prodidit Eunapius. Sane imperium tenente Philippo iter Romam neutiquam suscepisse Origenem Adamantium, & Roma omnino per id tempus abfuisse certissimum est ; nec enim tam longam peregrinationem credibile est silentio fuisse prætermissuros Eusebium, & Hieronymum : at Origenem alterum ad Plotinum Romæ tum in Scholis publice differentem accessisse auctor est idem Porphyrius. Id si animadvertisset Baronius, neque contra Eusebii fidem Origenem Adamantium, quem ab alio non distinxit, secundo Romam abiisse ad Fabianum Papam purgandi sui caussa excogitasset, neque Possevino & Halloxio idem ut crederent caussam præbuisset : hoc enim unus ille Porphyrii locus Viro magno persuasit. Quemadmodum autem duos Origenes in unum confuderunt nonnulli, ita ex uno & eodem Origene Leonidæ filio duos Origenes alii effinxerunt, verum alterum, à quo orti sunt Origenistæ simpliciter dicti ; alterum Origenistarum, qui Fœdi cognomi-

B nati sunt, principem & antesignanum. Id miror temere nonnullos affirmare, quod ignorare se testatur Epiphanius scriptor locupletissimus, & proximus temporum illorum Epiphanii verba parum sincere reddidit Augustinus : cum enim conceptis verbis nescire se professus fuisset Epiphanius, an ab Adamantio Origene, an ab alio impuri Origenistæ propagati sint, hæc ita reddidit Augustinus : *Origeniani à quodam Origene dicti sunt, non ab illo qui fere omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus ejus Epiphanius loquens, &c.* Vitiatam ab Augustino sententiam nova accessione fœdavit Augustini simius Prædestinati auctor, quem edidit Sirmondus ; sic enim scripsit : *Quadragesimam & secundam Hæresim Origeniani inchoaverunt, à quodam Origene, non illo qui fere omnibus notus est, sed alio Syro quodam sceleratissimo.* Verba hæc Augustini : *sed ab alto nescio quo*, videtur falsa hac le-

D ctione depravasse : *sed alio Syro quodam.* Idem capite sequenti alium nobis obtrudit Origenem ab Adamantio nostro diversum, dogmatum eorum auctorem, quorum Adamantium Epiphanius accusavit. Sophronius Hierosolymitanus ab Epiphanio inductus, geminum quoque Origenem, alterum antiquiorem, Adamantium alterum commemorat in Epistola ad Sergium : quod observatione sua dignum Photius existimavit. In eadem caussa est Johannes Damascenus, geminum fingens Origenem, unde duplices orti sint Origenistæ, Fœdi, & Adamantii sectatores. Atque item Guido Carmelita, Elnensis Episcopus, qui figmentum idem arripuit. Atque ita duone extiterint Origenes Origenistarum principes addubitavit Epiphanius ; asseveratunt Augustinus, Sophronius, & Johannes Damascenus ; tres autem finxit Auctor Prædestinati, scriptor nequam, ut vel ex eo conjicias quod eo-

E dem capite Pamphilum martyrem, Episcopum aliquando fuisse tradit. Quod autem asseveravit Augustinus, negavit id diserte Baronius, & caussas cur duplex fingeretur Origenes acute pervestigavit. Memoratus porro ab Eunapio Origenes ille quem diximus, Porphyrii & Amelii condiscipulus, idemne sit ac sodalis ille Plotini, an alius, non satis extat ; nam qui cum Plotino Ammonium audivit Origenes, Plotini æqualis fuit & amicus, nec doctrina inferior, ut ei ad se audiendum forte venienti erubescens assurgeret Plotinus, nec coram eo verba facere sustineret : at laudatus ab Eunapio Origenes alter Plotini scholam videtur frequentasse, quippe qui Porphyrii & Amelii Romæ condiscipulus fuerit, quorum utrumque Plotini doctrinam Romæ capessivisse constat. Id si sit, Origenes duos iisdem temporibus cum Plotino Romæ conjunctissime vixisse dicendum est,

F alterum ejus condiscipulum, discipulum alterum. Quartum ad hæc Origenem, Ægyptium & ipsum, atque itidem Presbyterum, & Ammonii alterius sodalem, verum Adamantio Origene recentiorem, & Athanasio Alexandrino Episcopo coævum, à Palladio in Lausiacis, & Nicephoro Callisti commemoratum addam : reliquos hujus nominis literatorum diligentiæ investigandos relinquam. Cautionem præterea à studiosis adhiberi velim, ne quotiescunque Adamantii mentio in Scriptoribus Ecclesiasticis incidet, eundem statim hunc arbitrentur esse ac Origenem : id enim nominis, præter alios, Auctori cuidam Christiano fuit, quem ab Origene caute distinguens Theodoretus, utriusque scriptis ad contexendam Hæreticarum fabularum Epitomen usum se non semel profitetur.

Porphyr. apud Eus. Hist. libr. 6. cap. 19.

Baron. ad A. 248.

Epiphan. Hær. 63. c. 1. & Hær. 64. cap. 3. Augustin. lib. de Hær. cap. 42. Prædestin. Hær. 42.

Phot. Cod. 231. Io. Damasc. in libr. De Hæresib. Guido Carmel. in Summa de Hæres.

Baron. ad A. 256. Eunap. in vit. Porph.

VIII. Decimum fere & septimum ætatis annum exegerat Origenes, cum Christi Ec-

cleſiam modis omnibus vexare aggreſſus eſt Severus Imperator. Cum enim per totum orbem ſeſe Chriſtiana fides effunderet, veritus quippe eſt vir cautus ac diligens, ne hinc aliqua exiſteret rerum converſio. Toti itaque Eccleſiæ bellum atrox indixit. Ægypto tunc præerat cum imperio Lætus, qui ut Imperatori fidem ſuam præſtaret ac diligentiam, in Ægyptios Chriſtianos, ſed in Alexandrinos præcipue ferino ritu deſæviit. Tum vero Origenem ingens martyrii cupido inceſſit, qui ſe cum hoc feciſſet, egregium ſcilicet vitæ fructum cepiſſe arbitrabatur. Præſenſit id mater, & precibus ac rationibus excogitatis vix filii propoſitum repreſſit. Quod omnibus porro votis concupiverat filius, id repente patri objectum eſt: qui in vincula Chriſti nomine conjectus, morti deſtinatur. Sopitum martyrii deſiderium in Origenis animo excitavit Leonidæ conſtantia, ut quævis ſibi potius ſubeunda tormenta, quam à ſperata martyrii gloria diſcedendum putaret. At mater adhibitis fruſtra fletibus filii impetum tardavit arte, & occultis ipſius veſtimentis invitum domi retinuit. Itaque quod ipſe facere non potuit, patri ut faceret literarum adhortationibus auctor fuit: quibus confirmatior effectus Leonides capitis ſupplicium tulit, anno, ut dixi, Severi decimo, ad X. Cal. Majas, ad quem diem mors ejus refertur in Romano Martyrologio. Bona ejus, quibus familiam dum viveret honeſte toleraverat, fiſco ſunt addicta: atque ita Origenis, cum matre ac ſex parvulis fratribus in ſumma egeſtate & luctu relicti, opes omnes contuſæ ſunt. Chriſtianis favebat Alexandriæ nobilis & opulenta mulier, & facultatibus ſuis ſublevabat inopes, ſed Orthodoxos ab Hæreticis parum caute diſcernebat: nam Paulum quemdam Antiochenum, inter Alexandrinos Hæreticos primas tenentem, non opibus ſolum fovit, ſed domi etiam exceptum in filium adoptavit. Origenis illa quoque caſum miſerata, pueri langueſcere non ſivit induſtriam, & animum incultu torpere; ſed victu, cæteriſque rebus commode & liberaliter habuit. Inde Origeni aliqua cum Paulo interceſſit conſuetudo: ſed quamvis ad hunc propter eloquentiam homines non Hæretici modo, ſed Orthodoxi etiam concurrerent, nunquam adduci potuit Origenes ut precationum cum eo conſociaret uſum, quod Eccleſiæ legibus vetitum eſſe meminerat. Non leviter hic ab Euſebio, quem tamen aſſectatur palam, ſed hoc loco, ut videtur, intellexit parum, diſſentit Nicephorus: Paulum quippe divitis hujus fœminæ maritum fuiſſe ſcribit, Origenem adoptione filium; quod ex male acceptis Euſebii verbis ſenſiſſe illum ſtatim intelliget, qui verba ejus contenderit cum Euſebianis, vel Rufini interpretationem cum utroque contulerit.

Niceph. lib. 5. cap. 5.

IX. Acceptum incommodum diligentia ſarcire cupiens Origenes, & fortunam induſtria ſublevare, traditam ſibi à Patre humaniorum doctrinarum cognitionem acerrimis ſtudiis excoluit, tantosque fecit in Grammaticis diſciplinis progreſſus, ut eas publice docendas ſuſciperet. Hinc largus illi ad uſus vitæ neceſſarios proventus. Ethnicos autem adeo illexerat Chriſti religio, ut metu fugatis Eccleſiæ Doctoribus, confluerent ad Origenem adhuc adoleſcentem, ſed doctrina in adoleſcentia & virtute conſpicuum, ab eoque ſacra ſibi dogmata exponi vellent. Cujus ſermonibus affecti plerique, Chriſti ſuſcepta fide, in intimam ejus familiaritatem ſeſe adjunxerunt. Itaque Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Demetrius, non felicius Chriſtianorum res in Ægypto reparare ſe poſſe credidit, quam ſi Catechumenorum curam uni Origeni octodecim annos nato demandaret. Utrasque hic igitur ſuſtinebat partes, Literatoris, & Catechiſtæ.

Nova interim Aquilæ Alexandriæ Præfecti in Eccleſiam detonuit Perſecutio, in eaque Origenes ſingularibus fidei, pietatis, ac conſtantiæ ſpeciminibus editis magnam ſibi inter Chriſtianos famam & gratiam peperit. Cum enim traherentur ad necem Martyres Chriſti, obvios amplectebatur, aſſectabatur euntes, morientibus aderat, & tormentorum ſævitiam allocutionibus & ſolatiis levabat. Unde circumſtantis populi converſa in ſe iracundia, lapidibus appetitus, cum nefariorum hominum vix effugiſſet manus, ſtatim domus ejus, quam frequentari Catechumenis adverterant, armatis hominibus circumſeſſa eſt. Mihi imprimis eorum probatur opinio, qui tempeſtati huic egregium Origenis facinus, ab Epiphanio commemoratum adjungunt, quando eum adraſo vertice, quales Ægyptiorum Deorum miniſtri eſſe ſolent, profani Serapidis gradibus ſtatuentes Ethnici, palmarum ramos præbere juſſerunt Sacerdotibus, qui ad obeunda ſacra aſcendebant, quo more eorum graviſſimæ ceremoniæ continentur. Acceptis ille palmarum ſurculis, præſenti animo & recto, adſtantes alta voce ſic allocutus eſt: Adeſte, accipite ramum, non Templi Idolis conſecrati, ſed Chriſti. Quibus Gentilium in ſe concitatis animis, fugere, latitare, & latebras crebro commutare coactus eſt.

Epiphan. Hær. 64. cap. 1.

X. Alexandria ſub idem tempus exceſſiſſe ipſum, & Cæſaream Cappadociæ confugiſſe cenſet Baronius, Palladii auctoritate permotus, qui Origenem ſcribit, cum Gentilium vexationem fugeret, Cæſareæ apud Julianam virginem delituiſſe biennio, & in literis animum habuiſſe. Deinde hæc ſubnectit: ἔυρον δὲ ταῦτα ἐγὼ γεγραμμένα ἐν παλαιοτάτῳ βιβλίῳ συγγραφῆς

Baron. ad A. 205. N. 6. Pall. Lauſ. cap. 147.

A στιχηρὸν, ὅπερ ἐγένετο χειρὶ ὠριγένους· τοῦτο τὸ βιβλίον εὗρον ἐγὼ αὐτὸς Ἰουλιανῇ παρθένῳ ἐν καισαρείᾳ, πρυπλόμβου καλοῦ παρ' αὐτῇ. ἅτις ἔλεγε παρ' αὐτὲ συμμάχου τοῦ ἑβραίου τοῦ ἰουδαίων αὐτὸ εἰληφέναι. Manifesto hæc sibi repugnant: nam si librum illum manu sua exaravit Origenes, quomodo illum à Symmacho habere potuit Juliana? quomodo eum apud Julianam Origenes reperire? Lege, ὅπερ ἐγένετο. proclivia fient omnia. Sese in antiquissimo libro verba hæc manu Origenis scripta reperisse ait Palladius: *Hunc librum inveni apud Julianam virginem, in Cæsarea civitate, dum apud ipsam laterem, quæ illum ab ipso Symmacho interprete Judæorum se accepisse referebat.* Quoniam autem alibi docet Eusebius Symmachi Commentarios in Evangelium Matthæi, & ab eo concinnatam Scripturæ interpretationem, à Juliana Origenem accepisse, quæ ea porro jure successionis ab ipso Symmacho habebat, inde collegit Baronius ex iis Symmachi libris memoratis ab Eusebio unum eum fuisse, quem manu Origenis notatum vidit Palladius; vel Commentarios nempe in Matthæum, vel Interpretationem ipsam Scripturæ. Præterea non alia Origenem de causa latuisse apud Julianam censuit, quam ut aliquam Ethnicorum adversus Christianos persecutionem devitaret, vel Severi scilicet, vel Maximini, vel Decii: cum Maximini autem vel Decii ætate hi jam Symmachi libri exissent in lucem, & ad Origenis proinde notitiam venissent, tum certe ab eo fuisse inventos, dum Severi bellum in Ecclesiam ferveret. Halloxium traxit in assensum ea Baronii ratio, quam accuratius tamen excutiamus. Quem librum Origenis manu notatum vidisse se ait Palladius, is erat antiquissimus: atqui Palladium ducentis circiter annis Symmachus antecessit. An vero ducentorum annorum codex, antiquissimus dici possit, existiment eruditi, qui sciunt quot sæcula ejusmodi codices durando vincere soliti sint. Symmachum ergo liber iste auctorem non habuit. Quos autem à Juliana Symmachi libros accepisse Origenem prodit Eusebius, ab ipso fuerunt Symmacho elaborati. Ad hæc fuit στιχηρὸς ille Codex quem vidit Palladius: at neque Symmachi Commentarios, neque Scripturæ Interpretationem, στιχηρῶς fuisse scripta cuiquam bene sano persuadebitur. Alius ergo fuit ille Palladio commemoratus liber, alii Eusebio. Nec mirum sane utrosque à Juliana accepisse Origenem, cum verisimile sit universam Symmachi Bibliothecam ad Julianam hæreditario jure pervenisse, cujus ipsa deinde Origeni copiam fecerit. Hinc ergo frustra concludit Baronius Symmachi interpretationem & Commentarios tunc ab Origene fuisse inventos, cum imperium teneret Severus, & Ecclesiam male haberet, propterea quod jam tum in Origenis, omniumque adeo manus venerant, cum Maximinus, aut Decius Christianam rempublicam oppugnarunt. Ac si fieri non potuerit, ut quamvis jam innotuissent multis hæ lucubrationes Symmachi, ipsum tamen Origenem aliis districtum rebus effugerint. Eandem ejus latitationem narrat Eusebius, ipsumque ait ex ædibus in ædes fugientem migrasse, non ex urbibus in urbes; & tota urbe neutiquam potuisse occultari, non vero Alexandrinis finibus excessisse. Tum continuo subjicit tot ejus exemplo ad Christi partes fuisse adductos, ut crescente indies Catechumenorum numero, quos ipsi soli instituendos commiserat Demetrius Alexandrinus Episcopus, Grammaticæ artis professione se abdicaverit. Quibus ita ab Eusebio conjunctis quis tam longinquum, tamque diuturnum iter putet intercessisse? Cum illud ergo tempori huic minime possit aptari, commodius aliud infra reperire conabimur.

Euseb. Hist. lib. 6. cap. 17.

Euseb. lib. 6. cap. 3.

XI. Confluente indies ad Origenem, ut dixi, auditorum numero, quos partim Grammaticæ studium, partim Christianæ doctrinæ percipiendæ cupiditas alliciebat, parum sibi convenire credidit tradere elementa literarum, qui Verbo Dei hominum mentes posset imbuere. Quamobrem abrogavit sibi tradendæ Grammaticæ munus, & ad celebrandas meliores doctrinas se convertit. Atque hinc imminutos rei familiaris fructus ut sarciret, professorio muneri utiles libros, quorum pretiosa ipsi suppellex erat, distraxit omnes, ac diurnæ quatuor obolorum pensionis pretio vendidit, ne operi suo destinatum domesticæ rei sollicitudo retraheret.

XII. Ad rerum divinarum studium accessit etiam virtutum omnium, quæ essent Christiano dignæ, usus assiduus. Dies docendo, noctes legendo conterebat. Jejunia longa, somni breves, quos humi tantum, vel in storea abjectus capiebat. Frigoris ad hæc patientissimus; vini, olei, aliarumque rerum, quibus irritatur gula, & ad laborem ferendum remollescunt homines, abstinentissimus, usque adeo ut tentaretur valetudine, & stomacho laboraret. Christianum Philosophum vere dixisses. Cujus tanta fuit inter Gentiles Philosophos, & Christianos admirabilitas, ut ad ejus imitationem totos se componerent, ipsius que adhortationibus incensi palmam martyrii consequerentur. Hinc illi Plutarchi; Heraclides, Sereni, Heraides, & Herones, quorum morte Christiana res valde illustrata est.

XIII. Interea dum hæc geruntur corpus suum evirare Origenes ausus est, sive ferro exectis genitalibus, ut crediderunt Hieronymus, & Nicephorus; sive medicamento exicatis

Hier. Ep. 65 Nicephor. lib. 5. cap. 8.

Epiphan. Hær. 64. cap. 3. catis, ut aliis persuasum est: rem enim Epiphanius in incerto reliquit. Quanquam verisimilius est medicamine impositio extinxisse genitalem vim, quam gladio verenda amputasse: non quod existimem, id si feciflet, levitatem oris prodituram fuisse factum, quod summa cura occultum habere voluit; certum est enim barbam ei non defluere, si quis jam vesticeps aut barbatus exectionem patiatur: sed propter horrorem facti; nam quis ita in se sævisse putet hominem non insanum, cum mollioribus uti posset remediis, unde idem commodum capiebat? Certe si quid amplius conjecturæ tribuendum est, cicutam genitalibus illevisse crediderim, quam Athenienses Hierophantas ad compescendam libidinem adhibere solitos ipse prodidit libr. 7. contr. Celf. ἢ εἰς μὴν που, inquit παρ' Ἀθηναίοις ἱεροφάντης, ὃς δὲ πεπιστευμένος ἑαυτῷ τὰς ἀρσενικὰς ὀρέξεις, ὡς κύριος αὐτῷ ὢν, καὶ κρατεῖν αὐτῷ εἰς ὅσον δύνεται, πωγωνιάσεις τὰ ἀρσενικὰ μέρη καθαρὸς ᾖ νομίζων πρὸς τὴν νενομισμένην παρ' Ἀθηναίοις ἁγιστείαν. id est, *oblitis cicuta masculis partibus*: cohibendæ quippe veneris gratia cicutam locis illis admoveri tradunt Dioscorides & Plinius, non sorberi, uti factum ab Hierophantis memorat Hieronymus libr. 1. adv. Jovinian. A B

Dioscor. lib. 4. c. 79. Plin. lib. 25 cap. 3.

Causæ cur id faceret, complures Origeni fuere. Ventitabant ad eum puellæ, fidei Christianæ & studiorum gratia: quam hominum autem ingenium à labore proclive esset ad libidinem optime intelligebat, verebaturque ne ex frequenti virginum consortio corpus in ipso juventutis flexu male sui compos ad voluptatem impelleretur. Commovebatur ad hæc effato Christi, quo se ipsos propter cœleste regnum eviraſſe nonnullos pronuntiaverat. Id cum præter germanam sententiam accepisset, pravis, ut opinor, deceptus Valesiorum Hæreticorum expositionibus, qui ætatem ejus præcesserant, sibique soliti fuerant virilia execare, nova istæc in eo religio incessit. Et jam aliis inductus Christi verbis, à legitimo sensu detortis, unicam sibi tantum habebat tunicam, abjectis calceamentis nudis incedebat pedibus, nec ullo modo vel in crastinum, vel in longitudinem consulebat. Aliam præterea de hac re Origeni fuisse causſam scribit Eusebius; ne scilicet ex crebris puellarum ad se itionibus & alloquiis obtrectandi occasionem haberet malevolentia. At repugnat quod mox subjungit, operam dedisse Origenem, ut factum illud occultaretur: nam si occultavit, quomodo rumores hominum ignorabile factum sopire potuit, quod evulgandum erat ad maledicentiam & obscœnos rumores compescendos? Ad annum Severi decimum quartum pertinere hæc suspicatur Baronius: quorum tempus neutiquam Eusebius designavit. Id si fit, annum tunc egerit Origenes vigesimum primum. C D

Matth. 19. 12.

Eusebius libr. 6. cap. 8.

Magna vero hic doctorum hominum concertatio est, laudene ejusmodi facinus, an vituperatione dignum sit. Aperte damnat Baronius, multisque sententiam suam argumentis tuetur, sed quæ ad eam fere, quæ ferro fit, evirationem pertinent. Contra ea Halloxius, non excusat modo, sed dilaudat. Ego singula ab utraque parte collecta non referam; quod ipse sentio, paucis exponam. Certum est voluntariam sui ipsius exectionem, eam dico quæ fit gladio, vetitam esse Apostolicis Canonibus 22. & 24. At eorum dubia est auctoritas, & penitus ab Halloxio respuitur. Eandem damnavit extincto jamdiu Origene Nicænum Concilium, damnavit & Arelatense. Ipsi quoque Eusebio, perpetuo licet Origenis laudatori, væcordiæ hujus vituperationem vis veritatis expressit. Sed quid aliena conquirimus, cum domestica suppeditent testimonia? Utramque castrationem, & quæ exectione, & quæ exiccatione perficitur, damnavit demum Origenes, aliosque ne simile quid in se aliquando conciperent, vehementer absterruit, cum aliis locis, tum præsertim suis in Matthæum Commentariis. Locus habetur Tom. 15. ad cap. 19. v. 12. quem omnino consuli velim. E

Baron. ad A. 230. Halloxius lib. 4. Orig. def. Quæst. 9.

Nicæn. Concil. Can. 1. Arel. Concil. Can. 7.

Discipulos suos & familiares facinus suum celaverat Origenes, dubius animi laudiné sibi, an probro ducendum foret. Rem tamen comperit Demetrius, quam vehementer admiratus primum, tum laudibus etiam prosecutus, confirmavit Origenem, strenueque susceptum munus jussit traducere. Tum hic denique remotis impedimentis, universos ad se erudiendi causſa venientes nullo sexus discrimine admisit. In eorum autem institutione summa se tractavit diligentia, omneque suum otium ad eorum negotium contulit. F

CAPUT SECUNDUM.

I. *Severi Imperatoris obitus. Origenes Romam proficiscitur,* II. *Alexandriam redit,* III. *Ebraicam linguam condiscit,* IV. *Ambrosium ad Christi fidem convertit,* V. *accersitur in Arabiam, redit Alexandriam,* VI. *Palæstinam petit, Alexandriam redit,* VII. *à Mammæa accersitur Antiochiam, Alexandriam revertitur,* VIII. *Scripturam sacram Commen-*

A *Commentariis illustrare aggreditur*, IX. *Commentarios in Johannem, & in alios Scripturæ libros inchoat*, X. *in Achaiam per Palæstinam proficiscitur*, XI. *Athenis discedens Epheso iter habet*, XII. *Cæsareæ Presbyter jam ante fuerat ordinatus. Alexandria pellitur*, XIII. *Cum, ne vitiaretur ab Æthiope, Idolis sacrificasset*, XIV. *Cæsaream Palæstinæ concedit*. XV. *Confutantur nonnulli, qui Origenem ab Heracla Alexandria depulsum fuisse scripserunt*. XVI. *Ecclesiastica munia obit; à multis fovetur Ecclesiis*; XVII. *Palæstinam perlustrat*. XVIII. *Utrum viginti & octo annos Tyri transegerit*. XIX. *Gregorium Thaumaturgum & Athenodorum fratres, aliosque in literis sacris & profanis in-*
B *stituit, Isaiam & Ezechielem Commentariis exponit.*

I. SEVERUM interim, cum jam aliquoties interficere adortus esse Caracalla filius, mors ex ægritudine consecuta est, expleto Imperii decimo octavo anno, ætatis vigesimum sextum agente Origene. Hic post aliquot deinde annos Romam ire contendit, Romanæ Ecclesiæ visendæ studio, cui tunc præerat Zephyrinus Papa. Tempus itineris ab Eusebio prætermissum conjectura assequi studet Baronius, & in primum Elagabali rejicit annum, qui Zephyrini decimus octavus, & postremus fuit, caussamque profectioni Mammæam Alexandri matrem dedisse suspicatur, cum post accersitum ad se Antiochiam Origenem, Elagabalum Imperium ineuntem Romam esset comitata. Verum hæc aliter Eusebio
C temporibus divisa sunt: tunc enim à Mammæa Antiochiam accitum fuisse Origenem satis aperte significat, & disertis quoque verbis post illum Suidas, cum rerum potiretur filius ejus Alexander. Qui postquam Imperium adeptus est, non alias Antiochiam ivit Mammæa, quam cum Persas Romanis finibus imminentes bello refutare aggressus est. Hæc multis post Zephyrini obitum annis inciderunt. Cum autem Imperator renuntiatus est Elagabalus, Emesæ commorabatur Mammæa, neque in tanta rerum conversione curiosis auditionibus operam dare potuisse verisimile est. Ecquænam porro caussa fuerit Baronio, cur incertam Origenianæ in Italiam profectionis occasionem comminiscereturMammææ nempe assectandæ studium, cum veram expresserit Eusebius, Romanæ nimirum Ecclesiæ, omnium, ut ipse scribit, *Euseb. lib.* antiquissimæ, penitus cognoscendæ desiderium, non video. Hoc ergo iter Severi inter obi- *6. c. 14.*
D tum, qui anno Zephyrini undecimo contigit, ipsiusque Zephyrini mortem, quæ ad alterum Elagabali annum pertinet, conferre satis habeamus: à tempore autem præcise designando, cum ne conjecturæ quidem locum nobis Veterum monumenta præbeant, abstineamus. Id in decimo tertio Zephyrini anno Historici quidam constituunt, quod ab Eusebii rationibus non discrepat, & mihi satis probatur.

II. Propere perlustrata Roma, statim Alexandriam Origenes repetiit, traditaque ei rursum est à Demetrio Catechumenorum Christianis dogmatis imbuendorum cura. Quo cum in opere, omissis cæteris studiis, dies ac noctes urgeretur, nec sibi ad Scripturæ, divinarumque rerum pervestigationem reliqui quidquam facere posset, docendi munus cum Heracla, qui tum cæteris ejus præstabat discipulis, ita partitus est, ut rudioribus prima doctrinæ
E Christianæ elementa hic traderet, maturiores ille & jam usu peritos reconditis dogmatis instrueret.

III. Hinc aliquantum lucratus otii, eo ad enodandas Scripturæ obscuriores intelligentias usus est, seseque in eo studio quotidianis commentationibus diligenter subegit. Verum cum operam suam absque Ebraicæ linguæ notitia frustra consumi intellexisset, id quoque ornamentum ac reliquas doctrinæ suæ laudes adjunxit. Johannes Trittemius in libro de scriptoribus Ecclesiasticis res Origenis literis prosequens, ipsum ait *jam senem contra suam ætatem linguam Ebraicam didicisse*. Perperam nempe accepit ista Hieronymi: *Tantum* *ttier. lib. De script. Eccles.*
in Scripturis divinis habuit studii, ut etiam Hebræam linguam contra ætatis, gentisque suæ naturam
F *ediscceret*. Quæ sic intelligo, jam virilem ætatem adeptum Adamantium, quæ ætas Grammaticas tricas ac quisquilias aspernari solet, & gravioribus studiis delectari, eo tamen demisisse animum, ut in hac arte se exerceret. Nulla illic senectutis significatio. Magdeburgenses *Magdenb. Cent. 3. c.* vero idem narrant his verbis: *Ita igitur otii aliquantulum nactus, ad discendam linguam Ebræam,* *10.*
suæ alioqui naturæ adversam, ut Suidas ait, animum adjecit. Quæ illic habet Suidas, è Græca transtulit interpretatione Hieronymiani Operis de scriptoribus Ecclesiasticis, ubi proxime adducta Hieronymi verba sic reddita sunt: ὡς καὶ τῷ βραΐκην διαλέξει ἐναντιωμένῳ τῇ τε ἡλικίᾳ, καὶ τῇ οἰκείᾳ φύσει ἐμμαθεῖν. Quod de Alexandrinæ gentis natura dixit Hieronymus, quæ juxta Græcorum omnium consuetudinem linguarum exoticarum notitiam contemnebat, id ad Origenis ipsius naturam Interpres pessime retulit. Unde fraus Suidæ ac Magdeburgensibus facta.

IV. Erat per id tempus Alexandriæ vir opibus ac dignitate florens, ingenio etiam spe-

ctatus & doctrina. Hunc Valentini errore, qui tunc in Ægypto vigebat, Marcionis alii, A
implicitum fuisse scribunt. Commode utrique: maxima siquidem utriusque hæreseos affinitas fuit, dogmatumque consensus. Sabellianum fuisse quidam etiam prodiderunt: hoc est Noëtianum, Sabellius quippe statim post Origenis obitum Noëti præceptoris sui deliramenta renovavit. Crebro ad Origenem ventitabat Ambrosius cum aliis partim Hæreticis, partim Ethnicis Philosophis, qui viri nomine ac doctrina pertrahebantur. Nam rerum divinarum documentis Philosophiæ quoque, Mathematicarum & humanarum disciplinarum præcepta aspergens, auditores erudiebat pro uniuscujusque captu: nec parum iis doctrinis inesse censebat ad sacra percipienda adjumenti. Adversus hunc ita affectus est Ambrosius, ut ejuratis erroribus saniori doctrinæ instituendum ei se traderet, ad ejusque societatem sese pe-
Baron. Ad A. 220. N. 6. & 12. nitus applicaret. Tunc imperasse Caracallam agnoscit Baronius, cum ad Christi fidem con- B
versus est Ambrosius. Idem tamen Origenem Roma Alexandriam rediisse docet postremis Zephyrini temporibus, recens adepto Imperium Elagabalo: cum Ambrosii conversionem præcesserit hæc Origenis reditio. Plane suo sibi gladio jugulatur.

V. Iisdem fere temporibus militarem hominem Alexandriam mittit Arabiæ Præses, cum literis ad Demetrium Episcopum, & ad Ægypti Præfectum, quibus vehementer orabat, Origenem ad se confestim mitterent, velle se de rebus divinis cum eo communicare, ejusque doctrinæ fieri participem. Æquissimæ postulationi annuit uterque. Ablegatus ad eum continuo Origenes, & re feliciter explicata Alexandriam sine mora reversus est. Quod autem asserit Halloxius, minime dubium esse quin ad audiendum Hippolytum in Ecclesia quadam verba facientem per id tempus accedens Origenes, designatus ab eo, & honoris gratia ad- C
Hier. libr. De script. Eccl. in Hippolyto. stantibus fuerit monstratus, ut factum refert Hieronymus, indiget id quidem probatione: cum enim ex Arabia excesserit Hippolytus, & in Italia demum martyrium obierit, huic alibi passim occurrere potuit Origenes, & concionanti adesse.

VI. Non multo post Alexandria clam exiit, arma impia Caracallæ fugiens, quibus funestissimam Alexandrinis cladem intulit. Annus trahebatur Christi 215. Caracallæ quintus, ætatis circiter trigesimum agente Origene. Secessit ille in Palæstinam, & Cæsareæ sedem posuit: ubi tantus ei ab Episcopis honos habitus est, ut nondum licet Presbytero, sed Laico etiam tum deferretur negotium Scripturæ publice in Ecclesia explanandæ, præsentibus Episcopis. Ægre tulit Demetrius, & tanquam præter fas ab Episcopis & Origene attentatum scriptis ad eos epistolis damnavit. Factum rationibus, aliorumque Episcopo- D
Theot. Cod. rum auctoritate & exemplo excusarunt Theoctistus (Theotechnum Photius appellat)
118. & 132. Cæsareæ Episcopus, Hierosolymæ Alexander. Nec ita tamen placarunt Demetrium, ut non Origenem per literas, missosque Diaconos revocaret. Paruit ille mandatis, & reversus in patriam consueto sese muneri restituit. Castiganda hic Halloxii, aliorumque indiligentia, qui prius hoc Origenis in Palæstinam iter confuderunt cum altero paulo post à nobis narrando quod ad Achaiæ Episcopos proficiscens per ea loca habuit: utramque enim profectionem caute distinxit Eusebius, prioremque ante Caracallæ interitum ab Origene susceptam narrat libr. 6. Hist. cap. 19, posteriorem temporibus iis deputat, quibus Phileto Antiocheno Episcopo successit Zebinus; locus extat libr. 6. Hist. cap. 23. Episcopatum autem Zebinus iniit sub Alexandro Severo, ut est in Eusebiano Chronico. Id quod alio ipse loco E
Halloxius animadvertit.

VII. Coorto interea Romanos inter & Persas bello, Antiochiam venit Alexander Severus, Mammæa matre comitatus, quæ ut erat natione Syra, & rerum Judaicarum ac Christianarum aliquem perceperat usum, Origenem cujus tunc passim celebrabatur nomen, misso militari satellitio ad sese accersivit, explorandæ hominis doctrinæ, majorisque Christi notitiæ adipiscendæ caussa. Multis apud illam de Deo sermonibus habitis, exacto illic non modico tempore ad intermissa studia Alexandriam properavit. Hanc Origenis peregrinationem temporibus illis conjungens, scio me Chronologorum aliquot rationibus repugnare, qui ad extremos Alexandri Severi annos Persicam expeditionem referunt, cum multo ante exitum Alexandri visere ad Mammæam Origenem iviſse certum sit. F
At nobis favent Eusebii ἐπιλογισμοὶ, quibus in hac historia perpetuo adhæremus: nam
Euseb. l. 6. Hist. c. 21. Persicum bellum secundo Alexandri anno assignat in Chronico; in Historia autem, postquam Alexandrum imperatoriam dignitatem assecutum significavit, Origenis itionem ad Mammæam continuo subjunxit: Cæsariensem vero Origenis secessum, quem deci-
Euseb. l. 6. Hist. c. 26. mo Alexandri anno contigisse docet, longe inferius recensuit. Qui vero bellum hoc rejecerunt in postremos Alexandri annos, nullo auctore fecerunt; nam qui ætatis illius res gestas complexi sunt Herodianus, Zosimus, Xiphilinus, & Lampridius, Persicæ expeditionis neutiquam expresserunt tempus, solus illud adnotatum reliquit Eusebius, quem sequi-
Baron. ad A. 220. N. 6. mur. Sin hæc ante contigisse pertenderis quam Romam iviſset Mammæa, ut vult Baronius, alterutrum enim dicendum est, nec eam quippe alias Antiochiæ fuisse apparet,

sen-

A sententiam hanc supra à nobis obtritam reperies.

VIII. Cæterum hinc Scripturam sacram Commentariis illustrare Origenes orsus est, impulsore Ambrosio, qui non verbis incendebat solum, sed sumptibus etiam suppeditabat. Legitur apud Cedrenum, quod & ab eo sumserunt Suidas, & Glycas, Origenem per annorum octodecim spatium literas sacras fuisse interpretatum. Minime id quidem consentit Eusebii rationibus, qui Origenem sexagenario majorem Commentariis Matthæum illustrasse scribit, triginta scilicet annis, eoque amplius, postquam Scripturam primum cœpit exponere. Sin ita hæc accipienda censeat aliquis, quasi quidquid in sacrorum Voluminum interpretationem diversis temporibus otii contulit Origenes, octodecim annorum spatium exæquavit, longius etiam dissentio, ejusmodi quippe rationem neuti-
B quam duci posse existimo. Multo credibilius est ex male lecto vel descripto Epiphanii loco commentum id prodiisse. Postquam enim ab Origene postulasse Ambrosium dixit, ut sacras Scripturas interpretaretur, id ait ipsum in Tyrio secessu per octo & viginti annos fecisse. Alio item loco divina volumina Origenem Tyri scribit explanasse ὀπτὴκή. Similiter Suidas, alios secutus, narrat Ambrosii rogatu Scripturas Origenem explanasse ἐπτὰ ἔτη ἡμί. Vides germana hæc eorum esse quæ scripsit Epiphanius; præterquam quod numerus κή in ιή degeneravit. De secessus autem Tyrii spatio, quod assignavit Epiphanius, quæstionem paulo post habebimus.

Epiph. Hær 64. c. 3.

Epiph. de mens. & mens. c. 18.

Scribit Hieronymus Ambrosium ad Librorum sacrorum interpretationem Origenem incitasse, in æmulationem Hippolyti, editis jam in Scripturam plurimis Commenta-
C riis optime de Ecclesia meriti. Hieronymum fefellit male intellectus Eusebius, qui post enumeratas Hippolyti scriptiones hæc subjungit: ἐξ ἐκείνου ὁ καὶ ὠϊγχθεὶς τὰ εἰς τὰς θείας γραφὰς ὑπομνήματων ἐχίνετο ἀρχὴ, ἀμβροσίῳ τὰ μάλιστα παρορμῶντι αὐτόν. Id est: *Ab eo quoque tempore Origeni in divinas Scripturas commentandi initium factum est, valde eum incitante Ambrosio.* Hieronymus autem vocem hanc, ἐκείνου, quæ pertinebat ad tempus, perperam ad Hippolytum retulit: de quo simile nihil habet Nicephorus. Jam ante Henrico Valesio id observatum est. Fallam Hieronymi explicationem nova depravatione pervertit Auctor Græcæ interpretationis libri de scriptoribus Ecclesiasticis. Hæc habet Hieronymus: *Scripsit* (Hippolytus) *nonnullos in Scripturas Commentarios, è quibus hos reperi; in ἑξαήμερον ..... de Pascha adversum omnes hæreses, & πρὸς ὁμιλιῶν de laude Domini Salvatoris; in qua præsente Origene se loqui in Ecclesia significat. In hujus æmulationem Ambrosius, quem de Marcionis hæresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem in Scripturas Commentarios scribere, præbens ei septem & amplius notarios, eorumque expensas, & librariorum parem numerum: quodque his majus est, incredibili studio quotidie ab eo opus exigens. Vnde in quadam Epistola ἐργοδιώκτην eum Origenes vocat.* Sic ea accepit Interpres, quasi una serie scribenda sint ista: *in qua præsente Origene se loqui in Ecclesia significat in hujus æmulationem*, cum deinde apponenda sit τελεία σιγμή. Sic enim vertit: ὃν ὅτε παρόντος ὠϊγχθεὶς ἑαυτὸν ὁμιλικὸν καὶ μίμησιν αὐτοῦ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ δηλοῖ, ἀμβρόσιος, ὅν τινα δὴ τῆς πλάνης μαρκίωνος εἰς τὸν ἀληθινὸν πίστιν ἐπιστρέψαι προείρηται, προτρέψατο ὠϊγχθεὶς τὰς θείας ὑπομνηματίσαι γραφὰς, παρεσχηκὼς αὐτῷ ἑπτὰ ἢ καὶ πλείους νοταρίους. Neque hac fine stetit malum, ad pristinos siquidem errores novorum accessionem fecit Phetius, vir alioquin lite-
E rariis laudibus abundans; hunc quippe Hieronymiani Interpretis quem secutus est, locum tali interductu distinxit: ὃν ὅτε παρόντος ὠϊγχθεὶς ἑαυτὸν ὁμιλικὸν καὶ μίμησιν αὐτοῦ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ δηλοῖ ἀμβρόσιος, ὅν τινα δὴ τῆς πλάνης μαρκίωνος εἰς τὸν ἀληθινὸν πίστιν ἐπιστρέψαι προείρηται. προτρέψατο (supple, ὑπωόλυτος) ὠϊγένει τὰς θείας ὑπομνηματίσαι γραφὰς, παρεσχηκὼς αὐτῷ ἑπτὰ ἢ καὶ πλείους νοταρίους. Ita legisse Photium declarant hæc illius: λέγεται ὁ καὶ ὅδε (ὑπωόλυτος) προσομιλεῖν τῷ λαῷ καὶ μίμησιν ὠϊγένους, ἃ καὶ σωθῆναι καὶ ἐράσθη τὸν λόγον ὑπῆρχεν, ὡς καὶ προτρέψασθαι αὐτὸν τὸν θείαν ὑπομνηματίσαι γραφὴν, ἐγκαθίσησας αὐτῷ καὶ ὑπογραφέας ἑπτὰ ταχυγράφους, καὶ ἑτέρους τοσούτους γράφοντας εἰς κάλλος, ὧν ἦν καὶ τὸ σπάνιν αὐλὸς χορηγός. καὶ ταῦτα ὑπηρετήσαντο αὐτῷ, ἀπαρεῖν αὐλὸν ἀσχολήτως τὸ ἔργον. ἐξ οὗ καὶ ἐργοδιώκτην ἐν μιᾷ τῶν ἐπιστολῶν αὐτὸν ὠϊγένους καλεῖναι. Quæ cum ex Hieronymi Græco Interprete derivata sint, manifestus est quorundam error, virorum male suspicacium, qui nuperum o-
F pus esse interpretationem hanc conjectant. Cæterum hinc aliquibus persuasum fuit Hippolytum Origeni, non Ambrosium ad explicandos rei literariæ sumptus præsto fuisse: quod quam verum sit, Lector existimet, & quemadmodum falsæ opiniones quasi ex traduce propagentur. Fraudi quippe fuit Hieronymo Eusebius, Græco Interpreti Hieronymus, Photio Græcus Interpres, innumeris aliis ipse Photius, & quem ab alio unusquisque accepit errorem, novis deinde cumulavit. Sed hæc hactenus. Omnibus igitur rebus Origeni commodabat Ambrosius, & quæcunque ad corporis cultum pertinebant, ac studia, large huic, quasi virgula divina, ab eo præbebantur. Notarios itaque habebat ad manum plus septem, qui dictata ex ore loquentis exciperent, totidem librarios cum puellis, quæ properanter scripta nitidius exararent.

Hieron. De script. Eccl. in Hippol. Euseb. l. 6. Hist. c. 23.

Phot. Co. 121.

IX. Neque ſibi ſane hac oblata facultate defuit; beneficentiſſimi quippe hominis liberalitate uſus, quinque priores Commentariorum in Johannem Tomos, & initium ſexti Alexandriæ hoc tempore, & ex Achaico, quod mox exponemus, itinere redux elaboravit. Octo item priores in Geneſim Tomos è duodecim confecit: Pſalmos ad hæc expoſuit viginti quinque priores, quamvis plures etiam ſubinde enarraverit, ut dicemus infra; & Jeremiæ quoque Lamentationes totis voluminibus interpretatus eſt. Adde libros de Principiis, & στρωματεῖς decem: quos eadem tempeſtate Alexandriæ compoſuit. A

X. His intentum ſtudiis Origenem interpellarunt negotia Eccleſiaſtica, quorum gratia in Achaiam profectus eſt. Negotia illa quæ fuerint, non expreſſit Euſebius; Baronius conjecturis reperire voluit; eaque de cauſſa profectum in Græciam Origenem divinat, ut Nicopolitanæ Editionis circa hæc tempora repertæ compos fieret. Sed quorſum ad excogitatas deſcendemus conjecturas, cum veritas ipſa palam extet? ſcribunt ſiquidem Hieronymus & Rufinus Achaiæ Eccleſias plurimis tunc Hæreſibus fuiſſe vexatas; quibus expugnandis idoneum præ cæteris viſum Origenem, eam illi cauſſam in Græciam proficiſcendi fuiſſe. Illuc vero accerſitum ab Ambroſio non abſurde quispiam ſuſpicabitur: nam Alexandria crebro abfuiſſe Ambroſium conſtat, & poſtquam inter eos neceſſitudo interceſſit, Athenis fuiſſe, atque inde literas ad Origenem dediſſe ex Hieronymo diſcere licet. Hæc quidem proponimus, non aſſerimus. Hinc etiam habitæ ſibi cum Hæreſiarcha quodam concertationis exemplar ad amicos in Palæſtinam miſit Adamantius, qui falſis de ſe, deque ea diſputatione rumoribus occurreret. Athenis moram feciſſe Origenem certum eſt, moræ tempus incertum: rediiſſe tamen ſequenti anno, vel biennio poſt, inter Chronologos conſtare video. Equidem non multo minus biennio itineris Achaici tempus fuiſſe exiſtimo; nam & per Palæſtinam iter habuit, ibique motus eſt aliquandiu, & ſpatium aliquod itione ac reditione conſumtum eſt, & in Achaia cum Hæreticis velitando, & Athenis perluſtrandis, ſcholisque Philoſophorum frequentandis, (quod ab eo factum teſtantur Epiphanius & Nicetas, & huc commode referri poteſt) ſat longum tempus contritum fuiſſe neceſſe eſt. Nec cauſſæ eſt, cur ex hac ſcholarum frequentatione aliud Athenienſe iter ab Origene olim adoleſcente inſtitutum confingant Baronius & Petavius: nam ad Philoſophos & Rhetores ibant cujuscunque ætatis homines, neque veriſimile eſt Origenem Philoſophiæ, reliquarumque diſciplinarum amore flagrantem, in ea degentem urbe quæ artium omnium inventrix haberetur, & in qua cum civium, tum advenarum præcipuum eſſet ſtudium novi aliquid vel dicere, vel audire, ætate fuiſſe abſterritum, quominus civitatis conſuetudine ad explendam cupiditatem uteretur. Supra quidem obſervavimus teſtificari Porphyrium, ad Plotinum Romæ publice docentem aliquando accepiſſe Origenem quemdam, alium ab Adamantio, Plotini æqualem, eoque conſpecto victum pudore Plotinum dicendi finem feciſſe. Prius idem factum legimus à Tullio, qui octo jam & viginti annos natus, cum Romæ eſſet biennium verſatus in cauſſis, & jam inter primos Urbis Oratores poneretur, Athenas tamen ad Antiochum Philoſophum, & Demetrium Rhetorem ſe contulit. Inde ad Aſiaticos Oratores, ipſumque demum Molonem ſe applicavit. Quin & Antonii Gniphonis ſcholam frequentaſſe, etiam cum Prætura fungeretur, à Tranquillo proditum eſt. Sane in hac Achaica remanſione Nicopolitanam Editionem nactum fuiſſe Origenem credibile eſt; cauſſam hanc itineris habuiſſe, non item. B C D E

Bar. ad A. 230. N. 7.
Hieron. de Script. Eccleſ. cap. 65.
Rufin. in Expoſit. c. 23. libr. 6.
Euſ. Hier. Epiſt. 18 ad Marcellã.
Epiph. Hær 64. cap. 1.
Nicet. Theſaur. Orthodoxæ fidei libr. 4.
Hæreſi 31.
Baron. ad A. 232. N. 4
Petav. ad Epiph. Hær 64. c. 1.
Sueton. de illuſtr. Grammat. cap. 7.

XI. Digreſſum inde, Epheſo tranſiiſſe non præter veriſimilitudinem credi poteſt. Scribit ſiquidem Origenes, ſe aliquando Epheſi in Hæreticum quemdam incidiſſe, qui cum ne verbum quidem ſecum conferre ſuſtinuiſſet, ſe tamen inde profecto confictam falſæ diſputationis hiſtoriam miſiſſe ad diſcipulos, aliosque: at eum demum Antiochiæ vanos falſæ victoriæ rumores ſpargentem, poſtquam illuc acceſſit, publice coarguiſſe, hominisque vanitatem confutaſſe. Id ſi quis tum contigiſſe velit, cum vix in aliud tempus rejici poſſit, favebo conjecturæ: ſed & hic quoque judicium ſuum ſibi unusquisque integrum habeat, nec omnes enim Origenis peregrinationes literis fuiſſe traditas exiſtimo, cum ipſe præſertim alicubi ſe multa terræ loca peragraſſe doceat. Quæ hoc ergo loco, & alibi paſſim dubitanter proponuntur à nobis, ſic Lector accipiat tanquam meras conjecturas, aliqua, ſi forte, veriſimilitudine conjunctas; ſolida nulla & conſtanti ratione ſubnixas. F

Origen. in Epiſt. ad amicos Alexandrin.

XII. Prius autem quam Athenas veniret, arripuerat iter per Palæſtinam, & Cæſareæ ab Epiſcopis ſupra jam commemoratis Theoctiſto, & Alexandro ad ſacrum Presbyterii ordinem fuerat provectus. Prioresne jam ante ſuſceperit ordines, necne, non liquet; facile equidem adducor ut credam per ſaltum, ut vocant, Presbyterum fuiſſe ordinatum, prout primævis Eccleſiæ temporibus in more poſitum fuit. Id tum contigit, cum Antiochenæ Eccleſiæ regimen capeſſivit Zebinus, Chriſti nimirum 228. anno, Alexandri Severi

A veri 7. Origenis 43. Factum hoc à sanctissimis Episcopis in homine ditionis non suæ, sub testimonio Epistolæ Ecclesiasticæ, qua discedentem Demetrius fuerat prosecutus; ut ad eum sui purgandi caussa rescripsit Alexender, mansueto vir ingenio atque leni: cujus testem damus Hieronymum. Quamobrem Episcopi Ægypti & Alexandriæ in Synodica Epistola adversus Origenis doctrinam, χειροτονηθέντα αὐτὸν παρεσβύτερον ὑπὸ τῆς κανονικῆς τε καὶ μιᾶς χειρὸς ἀληθινῆς agnoscunt. Quo magis miror scripsisse Photium, Alexandria Origenem profectum, absque proprii Episcopi consensu Presbyterii dignitatem susscepisse. Idem addit, facti auctorem fuisse Theoctistum, probatorem Alexandrum. Utut est, hoc dolore graviter exarsit Demetrius, & ex insigni Origenis gloria jamdiu in sinu collectum invidiæ virus totum evomuit, unde ingentes subinde concitati tumultus totam Ecclesi-

B am in factiones dissiparunt. Nam primum Origenis castrationem, mirifice à se antea laudatam & probatam, publice differre ac traducere cœpit, Ecclesiam omnem adversus eum concitare, hunc honore Sacerdotii privare, & ab Ecclesiæ postremo communione segregare. Narrat quippe Photius, geminam adversus eum coactam fuisse Synodum; quarum prior Episcopis aliquot, & Presbyteris conflata, eum docendi munere abdicandum & Alexandria pellendum sanxit, Presbyterii dignitatem non abstulit; altera à Demetrio ex aliquot Ægypti Episcopis coacta Sacerdotii quoque honore exuendum decrevit. Huic Demetrii decreto consensisse universum orbem, excepta Palæstina, Arabia, Phœnicia, & Achaia testificatur Hieronymus; nec propter dogmatum novitatem, erroresve, sed invidia laudem virtutis ejus fuisse obtritam. Auctor quoque idem ipse est, non Presby-

C terio solum Origenem à Demetrio esse submotum, sed Ecclesiæ etiam societate prohibitum, consentientibus in id Sacerdotibus; ut mihi verisimile fiat in Synodo à Demetrio collecta sancitum quoque illud fuisse. Sed jam antea patria excesserat cum coiit Demetriana illa Synodus, quemadmodum dicemus paulo post. Ita Achaia reversus Alexandriam Adamantius jam Presbyter, pristinisque intentus studiis, à proprio Episcopo sibi primum favente, deinde clam invidente, tum maximis ad invidiam odii factis accessionibus palam infenso agitatus, tandem defessus malis injuriæ concessit, pariisque sedibus excedere coactus est. Exilium quippe ipsi decernente Synodo, quod sibi præsentiebat esse faciendum vel ingratiis, sponte admittere maluit: cum præsertim ingravescentem invidiam ferre non posset. Sic enim conciliandi sunt, qui jactant sponte abiisse ipsum, cum iis qui patria e x-

D pulsum & exterminatum fuisse volunt.

XIII. Aliam exilii hujus caussam affert Epiphanius, aitque, eximia florentem eruditionis ac sanctitatis laude Origenem, magistratuum in se Alexandrinorum, Præfectorumque acuisse invidiam, & potentium inimicitias pro Christo appetivisse; & ab iis comprehensum aliquando in eam fuisse necessitatem adductum, ut vel Idolis sacrificandum sibi esset, vel Æthiopis libidini corpus offerendum; qua rei indignitate commotum, virum omnia præstudio castitatis postputantem, tam leni se ac victo animo ostendisse, ut sacrificaturum se reciperet; nec id feciisse tamen, sed thus in manus ejus impositum ab adstantibus in ignem fuisse excussum: (addit Nicetas, contigisse id, cum immutata sententia revoca-

E ret promissum, eoque stare detrectaret) hinc ipsum tanta aspersum esse infamia, ut Ecclesia depelleretur; cumque ludibria, & oculorum conjectum, quibus ut idololatra destinabatur, ferre non posset, invidiæ detestandæ gratia Cæsaream commigrasse. Constat certe ex eodem Epiphanio, dubitasse tantum Origenem idololatriamne admitteret, ad facinus non omnino perveniisse; quæ cum dubitatio crimen tamen ipsa sit, admissum humanitus peccatum tempestiva & salubri pœnitentia emendasse; nec Petri lapsum solummodo, sed lacrymas etiam ac dolorem repræsentasse. Quemadmodum autem Origeni ad hujusmodi flagitium præivit Petrus, ita Marcellino Papæ uterque: hunc enim templum Vestæ cum Diocletiano ingressum thus obtulisse ejus nomine inscripta Acta testantur. Quod fictum tamen & falsum esse contendit Augustinus adversus Petilianum Donatistam. Et ut verum sit, hunc martyrio paulo post summa constantia susscepto scelus reparasse cer-

F tum est. Tam luculentis autem signis pœnitentiam suam Origenes publice testatus est, ut ab otiosis subinde hominibus suppositus fuerit liber de pœnitentia Origenis, quem in Apocryphorum censum Gelasius Papa retulit. Is tamen liber, ad quem pertineat Origenis lapsum, dubitavit Baronius: cujus enim sese criminis reum hoc libro peragit Adamantius, vix ad eam quam tractamus Epiphanii historiam potest accommodari. Ac illud præcipue flagitium caussæ fuisse existimo, quamobrem Sacerdotio & Ecclesia abdicatus fuerit; ea siquidem pœna delicto hujusmodi Apostolicis Canonibus irrogatur. Nec mirum ab aliis ipsum Ecclesiis benigne fuisse susceptum: quanta enim indulgentia & caritate adhiberentur olim Christiani, qui post ejuratum infirmitate animi ac mollitie Christum pœnitentia ducti ad meliorem mentem converterentur, discere licet ex Epistola Dionysii Alexandrini ad Fabium Episcopum Antiochenum, contra Novatum. Quod si susceptí tantum

Hieron. de Script. Eccl. in Orig. & Alexand. Phot. Cod. 118.

Phot. ibid.

Hieron. lib. 2. in Ruf. cap. 5.

Epiphan. Hær. 64. cap. 2.

Nicet. Thes. orthod. fidei l. 4. hær. 31.

Auguſt. De unic. bapt. c. 16.

Gelaſ. in Conc. Rom. Dec. 1. Par. Diſt. 15.

Bar. ad A. 253. N. 118.

apud Euſ. lib. 6. Hiſt. cap. 42.

ab Episcopo non suo Presbyterii fuisset reus, eum non tam severe tractaturum fuisse Demetrium credibile est, cum præsertim ipsius commendatione fretus ad eum se promoveri dignitatis gradum passus fuisset. Minime vero facti hujus narrationem ab Eusebio consulto prætermissam putem, ut idololatriæ crimine liberaret Origenem, vel quod pœnitentia elutum postmodo flagitium oblivioni tradendum putaret; sed quod res Origenis proprio & luculento Apologiæ opere jam antea fuisset complexus, in Historia autem duceret esse obiter attingendas. Inde tacuit eximium illud, ac omni laude dignum Origenis facinus (quod in idem incidisse tempus memoriæ mandavit Nicetas) quando juxta Ægyptiorum Sacerdotum morem à Gentilibus adrasus, ad fanum Serapidis Christianos omnes ad propugnandum Christi nomen clara voce concitavit. Falsam porro & confictam esse Origenianæ idololatriæ historiam, ac Epiphanio ab aliena manu insertam pertendit Baronius, plurimaque congerit in eam sententiam, quæ à Petavio erudite confutata habes in Animadversionibus Epiphanianis. Rem alii tribuunt Decii temporibus. Hæc infra expendemus accuratius: sed in antecessum asserimus neque nos horum opinioni, vel Baronii conjecturæ assentiri posse. Fidei quoque integritatem in libris plerisque, ac eo præsertim qui est de principiis, ab Origene violatam id temporis conquestum fuisse Demetrium consentaneum est, quippe qui omnia adversus eum argumenta studiose colligeret. Alexandria itaque eliminatus Origenes Cæsaream Stratonis concessit, ibique sedem fixit, anno ætatis 46. Christi 231. Alexandri Severi 10. vel ut est in nonnullis Eusebii Codicibus, & in Nicephoro, & in quibusdam Eusebiani Chronici exemplaribus, anno Alexandri 12. vel 11. ut habet Scaligeriana Chronici hujus editio. Ex his hallucinatum liquet Epiphanium, qui Origenem imperante Decio Alexandriæ claruisse scripsit, cum nunquam eum posthac illuc regressum fuisse constet. Quapropter concedo in Petavii sententiam, Severi nomen Decii nomine perperam ab Epiphanio commutatum opinantis. Vehementius etiam hallucinatum constat Abrahamum Scultetum, qui Origenem narrat, postquam Alexandria exiit ut æmulis cederet, eo revocatum omnes sacræ Scripturæ libros illustrasse Commentariis.

Nicet. in Thes. orth. fid. lib. 4. Hær. 31.

Bar. ad A. 253. n. 120.

Epiphan. Hær. 64. cap. 1.

Petav. Anim. ad hunc locum.

Abr. Scult in Medull. Theol. Patrum lib. 6. cap. 1.

XIV. Confugit ergo Cæsaream ad Theoctistum, benigneque ab eo & liberaliter exceptus, & ab omnibus injuriis & contumeliis prohibitus est. Hinc nova suffusus malevolentia Demetrius Ægypti Episcopus, ut dixi, in Synodum cogit, Origenemque Presbyterio abjudicat, & ab Ecclesiæ societate sejungit, universo propemodum orbe decretum approbante & confirmante. Ardentes quoque in eum & aculeatas quoquoversus disseminavit literas: sed hominis iracundiæ simul & vitæ, eodem, ut videtur, quo discessit Origenes anno, finem matura mors posuit, in ejusque episcopatum Heraclas suffectus est. Hæc eo ordine narrat Eusebius in Historia, quo à nobis descripta sunt; aliter in Chronico, in quo Demetrii mors Origenis exitum toto biennio prævertit, quod neutiquam stare potest.

XV. Certe, ne quid dissimulem, Gennadius in libr. de vir. illustr. scribit, Theophilum Alexandrinum Episcopum tradidisse *non à se* Origenem *primum, sed ab antiquis Patribus, & maxime Heraclæ fuisse & à Presbyterio ejectum, & de Ecclesia pulsum, & de civitate fugatum.* Idem habet Scriptor vitæ S. Pachomii, & Epistola Synodica Episcoporum Ægypti, cujus fragmentum affert Justinianus in Epistola ad Menam. Verba hæc sunt: ἀρξαμένῳ γὰρ αὐτῷ βλασφήμως ὁμιλίας ὁμιλεῖν, ὁ κατ' ἐκεῖνο μακαρίτης ἡρακλᾶς ὁ ἐπίσκοπος, ὡς ἀγρότην καὶ ἀμπελουργὸς φιλαλήθης τῆς τῆς ἐκκλησίας χωρίου τυγχάνων, ἐκ μέσου τοῦ καλοῦ σίτου τοῦτον ἐξέτιλεν, ὡς τὸ πονηρὸν ζιζάνιον ὄντα ἀληθῶς. *Cum enim impias orationes habere cœpisset, beatæ memoriæ Heraclas Episcopus, qui tunc florebat, tanquam arator, & vinitor veritatis studiosus Ecclesiastici agri, eum è medio pulchræ segetis, sic tanquam vere malam zizaniam evellit.* Quibus alia caussa cur expulsus fuerit Origenes præter superiores affertur. Est simile quidpiam apud Petrum Alexandrinum Episcopum in Mystagogia, cujus particulam quoque recitat Justinianus in eadem Epistola: τί δὲ εἶπω, inquit, ἡρακλᾶν καὶ δημήτριον τοὺς μακαρίους ἐπισκόπους; οἵους πειρασμοὺς ὑπέστησαν ἀπὸ τοῦ μανέντος ὠριγένους, καὶ αὐτῷ σχίσματα βάλλοντος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τὰ ἕως σήμερον ταράττει αὐλὴν ἐγείραντα; *Quid autem dicam Heraclam & Demetrium beatos Episcopos? quales tentationes ab insano Origene passi sunt, cum & dissidia fereret in Ecclesia, quæ ad hanc usque diem turbas in ea excitarunt?* Denique Eusebius, ut jam à me notatum est, in Chronico Origenem exulasse fingit, biennio postquam Episcopus creatus est Heraclas. Facile equidem existimo Demetrii adversus Origenem decreto adstipulatum fuisse Heraclam adhuc Presbyterum, & simul ut Episcopatum adeptus est, decessoris sui confirmasse Edictum, & quo minus restitueretur in integrum Origenes impediviſse: ait quippe Photius Cod. 118. Edicto Demetrii subscripsisse quotquot ipsi Origeni antea suffragati fuerant. Verum persuaderi non possum jam tum obiisse Demetrium, cum Alexandria dejectus est Origenes, & cur expelleretur auctorem fuisse Heraclam, contra Eusebianæ historiæ testificationem, & Hieronymi libr. 2.

adv.

A adv. Rufin. cap. 5. & ipsius etiam Origenis, qui in Epistola ad Amicos Alexandrinos post exilium ipsius scripta, Demetrium aliosque adversum se consentientes ulciscitur.

XVI. Postquam ex hoc tumultu Cæsaream sese recepit Origenes, famæ suæ tot calumniis appetitæ consuluit, & submissas in nominis sui oppugnationem à Demetrio literas scripta ea quam dixi ad amicos quosdam suos Alexandriam Epistola lenienter confutavit. In qua etiamsi maledictis abstinere se velle declarat, aspere tamen & acerbe Demetrium, eique consentientes adversum se Episcopos perstringit, & illatam sibi injuriam, inflictosque Anathematismos refellit. Nec minus ob Demetrii Decreta & Alexandrinas Synodos Ecclesiasticis muniis defunctus est; docebat publice, & in Ecclesia de rebus sacris ad populum disserebat; atque hæc non Cæsariensis Episcopi modo, & Hierosolymi-
B tani permissu, sed jussu etiam; qui ad hunc unum Scripturæ sacræ interpretandæ munus detulerunt. Cum enim in ejus caussa variæ essent variorum sententiæ, duasque velut in partes universa abiisset Ecclesia; infensis reliquis patrocinium ejus ac defensionem Palæstina, Phœnicia, & Arabia susceperunt: quarum auctoritate fretus sese Sacerdotio ac Ecclesiæ communione excidisse minime ratus est, & inter eas gradum suum ac dignitatem obtinuit.

XVII. Hierosolymam quoque iisdem circiter temporibus adiit, Christi, Apostolorumque visurus vestigia. Ibi vehementer ab eo petiit Sacerdotum collegium, ut in Ecclesia verba faceret; cumque vim ad impetrandum propemodum adhiberent qui præerant sacris, assurgens ille assumpto libro unde sibi argumentum deligeret, in hunc è
C Psalmo 49. versum forte incidit: *Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* quo recitato, quasi sua sibi à Deo perfidia exprobraretur, in tantos luctus incidit, ut adstantibus universis lacrymas excuteret. Cum vero se aliquando Christi, Apostolorumque perlustrasse vestigia alicubi significaverit, his temporibus id tribui posse censemus. Inde vero non multo post digressus est. *Orig. Tom. 6. in Ioh. 1. 29.*

XVIII. Scribit Epiphanius Tyrum concessisse ipsum post Hierosolymitanum iter, atque ibi per annorum octo & viginti decursum in interpretandis, juxta Ambrosii postulata, Scripturis otium suum consumsisse. Dicerem corruptum à librariis numerum, nisi duobus apud Epiphanium locis haberetur idem, aliorumque suffragio confirmaretur. Dicen-
dum potius id ex vulgi sermonibus, ut alia pleraque, Epiphanium accepisse; utrobique
D enim addit, ὡς ὁ λόγος ἔχει, falsum autem penitus fuisse: cum enim anno Christi circiter 254. diem suum obierit Origenes, uti infra demonstrabimus, anno vero ætatis suæ 69. postquam Alexandria excessit, anni admodum 23. interceserunt ad ejus obitum; quorum nonnullos etiam Cæsareæ Stratonis, Hierosolymæ, Cæsareæ Cappadocum, Athenis, & in aliis locis contrivit. Merito ergo hic Epiphanium arguit Petavius. Annos quidem 28. Alexandriæ literis docendis præfuit, ut observatum est Halloxio: nam amisso patre statim sibi docendo victum quæsivit, natus annos circiter octodecim. Hinc ad annum ætatis 46. quo Alexandria ejectus est, anni interjacent omnino 28. Atque hanc Epiphanio fuisse errandi caussam credi potest. *Epiph. hær. 64. cap. 3. & de pond. & mens. cap. 18.* *Petav. Animad. ad Epiphan. Hær. 64. c. 3.* *Halloxius in Notat. ad Orig. de-*

XIX. Simul ut Cæsaream venit Origenes Alexandria relicta, ibi literarum studiis præ-
E fectus est, statimque ad capessendas disciplinas, sed potissimum sanctiores cum docendo, tum scribendo universos excitavit, sed duos præcipue magni nominis adolescentes, Neocæsarea oriundos, claris genitos parentibus, sed à Christo alienis, Theodorum, qui & Gregorius appellatus est, & Thaumaturgi cognomen meruit, ejusque fratrem Athenodorum. Qui cum Juris Romani studiis operam daturi Athenis Berytum venissent, ubi tum vigebat legum doctrina, casu nescio quo Cæsaream delati, in Origenem recens illuc appulsum una cum Firmiliano inciderunt. Socrates fama Origenis excitos eo contendisse narrat. Is excellenti adolescentum illorum indole perspecta, ea utrumque humanitate, ea comitate morum in sui amorem traxit, & adhortationibus, scriptisque ad Gregorium libellis ad virtutem ita arrexit, ut per totum quinquennium ei sese interioribus literis eru-
F diendos in idem contubernium adjungerent, tantamque ex ejus præceptionibus Philosophiæ & Mathematicarum artium notitiam haurirent, quanta ad perfectam sacrarum Literarum interpretationem usui esset futura. Cujus operæ is demum fructus fuit, ut alter editis miraculis (unde & cognomen reportavit) clarus, alter martyrii corona insignis, post gestos in patria Episcopatus uterque obierit. Eos ad Christianas partes ab Origene fuisse adductos, cum antea Ethnicorum erroribus fuissent impliciti, censuit Halloxius. Illexit eum in hanc sententiam Hieronymus, cujus illa verba sunt: *Quorum cum egregiam indolem vidisset Origenes, eos ad Philosophiam cohortatus est; in qua paulatim Christi fidem subintroducens, sui quoque sectatores reddidit.* Hæc Hieronymus, ut alia fere libri hujus omnia, sumsit ex Eusebio, qui sic habet: ὃς ἀμφὶ τὰ ἑλλήνων καὶ ῥωμαίων μαθήματα δεινῶς ἐπλουμένους, φιλοσοφίας αὐτοῖς ἐνθεὶς ἔρωτα, τῆς πρὸς τέρας ἀπάτης τῷ θείᾳ ἀσκήσει ἀντικαταλλάξας προὐτρέψατο: *Hall. Orig. defens. libr. 1. c. 14. & l. 4. quæst. 10. Hieron. de script. Eccl. in Theodoro. Euseb. libr. 6. hist. c. 30*

Quos

Quos in Græcas, Romanasque disciplinas vehementer incensos, injecto illis amore Philosophiæ, à A
prioribus studiis ad divinarum rerum meditationem ut transirent, adhortatus est. Jam vero manifestus est boni Hieronymi error, quem apertius etiam redarguit Gregorius ipse Thaumaturgus, testis locuples, qui multo ante ad agnitionem veritatis venisse se profitetur, quam ad Origenem accessisset. Redarguit & Gregorius Nyssenus, eumque ex variis & incertis Ethnicorum Philosophorum de Deo sententiis veri Dei notitiam hausisse testificatur. Mirum vero scripsisse Bedam literis institutos ab Origene Gregorium, & Athenodorum, imperante Gordiano: mirum quoque existimasse Casaubonum, diligentissimum certe virum, per annos ipsos octo Origeni operam dedisse Gregorium, vel spretis, vel inconsultis Eusebio, & Hieronymo, qui quinquennium duntaxat assignant. Homini nempe valde alioqui perspicaci imposuit locus iste Gregorii ipsius: ἀλλὰ καὶ ἑκταέτης μοι χρόνῳ ἔδει ἤδη, ἐξ B
ᾧ ἅτε αὐτὸς εἰπών τι, ἢ γράψας λόγον τινὰ μέγαν ἢ μικρὸν ὅλως τυγχάνω. ὅτε ἄλλε ἤκουσά σε ἰδίᾳ χαίροντος ἢ λέγοντος, ἢ καὶ δημοσίᾳ, παντευκτικὺς λόγους καὶ ἀγωνιστικὰς παρεχομένε, ὅτι μὴ τῷ θαυμασίων τύπων ἀνδρῶν τῷ τὴν καλὴν φιλοσοφίαν ἀσπασαμένων. Ab octo annis sermonem nullum vel scripsisse se vel recitasse agnoscit, neque quemquam recitantem audisse, præterquam admirandos illos viros, veræ Philosophiæ amatores, condiscipulos nempe suos, Origenis itidem auditores. Minime vero se illos dicentes per octennium audisse significat, sed non alium quemquam per octennium audisse. Scribit Nicephorus Dionysium, eum qui Heraclæ & in Schola & in Episcopatu Alexandrino successor fuit, hoc tempore etiam Adamantio præceptore esse usum. Eusebius certe, quem unum hic videtur affectatus Nicephorus, Dionysium Alexandriæ Origenis auditorem fuisse docet; Cæsareæ vero fuisse itidem, id vero C
apud eum nusquam reperias. At non docendo solum, sed scribendo etiam pro more suo publice prodesse in hoc Cæsarienſi secessu Origenes satagebat: Isaiæ quippe & Ezechielis vaticinia tunc Commentariis illustravit.

Gregor. Thaumat. in Nuncup. in Orig.
Greg. Nyss. in vit. Gregor. Thaum.
Beda de sex ætat. mundi in Gordiano.
Casaub. in Not. ad Paneg. Greg. Thaumat.
Gregor. Thaum. in Paneg.
Niceph. lib. 5. cap. 20.

CAPUT TERTIUM.

I. *Alexandro Severo succedit Maximinus. Sexta persecutio.* II. *Gregorius & Athenodorus Neocæsaream repetunt. Origenes Cæsaream Cappadociæ ad Firmilianum confugit, latet apud Julianam,* III. *Hexapla inchoat,* IV. *Scribit librum de martyrio.* V. *Maximinus perit, succedit Gordianus.* VI. *Origenes iterum Athenas proficiscitur, Ambrosium obiter adit Nicomediæ, Athenis absolvit Commentarios suos in Johannem & in Ezechielem, alios inchoat in Canticum Cantic.* VII. *Cæsaream Stratonis repetit, Commentarios in Canticum absolvit, Firmilianum iterum in disciplinam recipit,* VIII. *ad convincendam Berylli hæresim Bostram accersitur, in Palæstinam redit.* IX. *Obit Gordianus, succedit Philippus.* X. *Utrum à Dionysio Alexandrino oppugnatus fuerit Origenes.* XI. *Origenes sexagenario major scribit contra Celsum, in Matthæum, & in* 12. *Prophetas; item innumeras Epistolas.* XII. *Utrum Philippus Imperator fuerit Christianus.* XIII. *Homilias suas tum primum excipi patitur Origenes, fidei suæ professionem mittit ad Fabianum Papam, & alios Episcopos,* XIV. *vocatur ad Concilium adversus Arabum hæresim, scribit adversus Helcesaitas, Apellitas profligat.*

I. DUM his intentum animum habet Adamantius, cæsus est cum Mammæa matre Alexander Severus, post administratum annis tredecim singulari continentia & æquitate imperium. Sceleris auctor Maximinus, homo gente ac moribus barbarus, in demortui locum suffectus est; cui nec obtulisse mortem, & in ejus dignitatem involasse contentus, piam optimi Imperatoris familiam, & quoscunque caros dum esset in vivis habuerat, ferino ritu devexare aggressus est; ac Christianos potissimum. Quos cum esse fuisset passus Alexander, funditus delere Maximinus optavit. Bellum atrox itaque Ecclesiæ infertur, neglectoque Christianorum vulgo, Sacerdotes morti ac supplicio destinantur, ut detractis columnis labefacta ædes corrueret. Id, vel ob unum maxime Origenem, consilii fuisse susceptum refert Orosius, & post eum Beda, Freculphus, & Marianus Scotus; idcirco, opinor, quod hujus præcipue pietate, scriptis, concionibus, & exemplo Christiana fides magnum jam incrementum accepisset, & porro captura videretur.

Oros. lib. 7. cap. 19.
Freculph. Chron. Tom. 2. lib. 3. c. 2.
Mar. Scot. ad A. C. 239.
Beda de sex. ætatib. in Maximino

II. Ingruenti periculo fuga se subduxit Origenes, cum paulo ante Gregorium, & Athenodorum post exactos in exhedris suis annos quinque in patriam redituros à se amisisset. Et

A Et tum ad Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, summa sibi necessitudine devinctum, tota cum Firmiliano invitante eum Cappadocia, fugisse certis rationibus ad credendum ducti sumus. Cum enim probaverimus supra in Quintæ Persecutionis tempora fugam hanc cadere neutiquam posse, supereſt ut ad Sextam quæ fuit Maximini, vel ad Decianam referatur. Atqui Decius biennium non explevit in Imperio, diuque etiam, dum rerum potitus est, in vinculis fuit Origenes; cum toto biennio illic apud Julianam latuerit, ut scriptum est à Palladio. Omnino igitur in Maximini Persecutionem incidit Cæsariensis iste secessus. Firmilianum quoque cum rebus ipse suis consuleret (ad Ecclesiæ quippe Præsides potissimum pertinebat periculum) alicubi latuisse, & cum Origene fortasse, credibile est, postquam securum ei apud Julianam perfugium assignavit. Hæc B abundans opibus, easque in Ecclesiæ commoda profundere solita, summa liberalitate hominem de Republica Christiana optime meritum complexa est; nec hospitio excepit solum, sed Bibliotheca etiam, quam instructissimam à Symmacho hæreditario jure obtinebat.

III. Illic insigne Hexaplorum opus tum inchoasse Origenem existimo, maximam nactum librorum suppellectilem, & Interpretationum præsertim Scripturæ, quas in suos usus collegisse Symmachum verisimile est, cum ipse suam adornaret. Jam primam quidem eorum descriptionem animo præformasse, cum versaretur Alexandriæ, nonnullasque ad id Scripturæ interpretationes collegisse & contulisse significare videtur Eusebius; quas & magnis ipsum sumtibus redemisse ait Hieronymus; Cæsareæ vero Cappadociæ serio ma- *Euseb. l.6. Hist.c.16. Hieron.lib. 2.Apolog. in Rusin.*
C num operi admovisse puto, Tyri penitus absolvisse. Ex quo intelligitur Epiphanii ratio, Tyri ea elaborata fuisse testificantis, hoc est partim Tyri, partim in iis locis, in quibus moram fecit Origenes viginti octo annorum decursu, quos Tyri actos Epiphanius falso arbitrabatur. Hæc à nobis tractabuntur inferius. Commode vero ad eam lucubrationem referri potest, quod de se dicit Origenes apud Suidam, solitum esse sibi, ὁν ἡμέροις ἀνέσεως φιλολογεῖν, καὶ ἀκριβῶν τὰ ἀντίγραφα· facile enim persuadeor succisivis horis varia ipsum exemplaria simul contendisse, qui labor ad condenda Hexapla erat veluti παρασκευή. *cap. 9. Epiphan. Hær.64.c.3 & depond. & mens. c.18. Suidas in Origene.*

IV. Ambrosius interim jam supra nobis commemoratus, & Cæsariensis Ecclesiæ Presbyter Protoctetus, flagrante hac Persecutione comprehensi & in custodiam acti sunt.
D Quamvis autem ipsi per se Christi causſam propugnarent viriliter, non mediocriter tamen utrumque confirmavit Origenes, misso aureo libello, quo ad martyrium eos est adhortatus. Librum hunc igitur in Cæsariensi latibulo scriptum fuisse merito videmur conjicere; quo vero destinatus fuerit, seu quibus in locis torti fuerint Ambrosius & Protoctetus, id conjectura assequi facile non est. Sic eos alloquitur Origenes in eo, de quo quærimus, libello: παῦλος μὲν λεγέτω, εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν ἐφέσῳ· ἡμεῖς δὲ, εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἀνηρέθην ἐν γερμανίᾳ· *Dicat quidem Paulus: Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi: Nos autem: Si (secundum hominem) interfectus sum in Germania.* Loqui Origenem ex Ambrosii, & Protocteti persona manifestum est; nullum ipse siquidem hoc tempore discrimen adiit. Quid sit autem Germania illa, magna dijudicatio est. Addubitat Ortelius, annon
E Germania sit Germanopolis, quam in Paphlagonum mediterraneis collocat Ptolemæus; *Ptolem. Geogr. lib. 5.cap.6. Plin. lib.5. cap.32.*
Germanopolim autem eandem esse suspicatur ac Germanicopolim Plinii, in Bithynia ad mare sitam. Falli illum tam scio, quam scio me vivere. Catena vetus Græca in Evangelia laudat Severum Antiochenum in Opere ad Thomam Germaniæ Episcopum. Hinc aliquis conjecerit eam esse Germanicam quæ Euphratesiæ urbs est Archiepiscopalis, Antiochenæ subdita Ecclesiæ. At Germania metropolis est, Constantinopolitanæ Ecclesiæ subjecta, ordine 68. juxta Dispositionem Leonis Philosophi quæ Juris Græco-Romani collecti- *Ius Græc. Tom.1.l.2.*
oni Leunclianæ inserta est, & ad calcem libri De officiis Constantinopoleos Georgii Codini est adtexta. In altera vero Palæologi Dispositione, quæ priorem hanc excipit in eodem Codini libro, sic habetur: ὁ γερμίς, καὶ αὐτὰ ζῶντα οὐ γεγόνασιν. Hinc apparet le-
F gendum γερμίων, atque idem esse Germia ac Germaniam. Germia autem in Galatia secunda seu Salutari constituunt Notitiæ veteres, & inter Archiepiscopatus αὐτοκεφάλους referunt. Sed his repugnat eadem Leonis Dispositio; nam postquam Metropoles, & in iis Germaniam recensuit, subjungit Archiepiscopatus, & inter eos Germis secundum locum assignat. Quid igitur statuam, non habeo: suum unicuique relinquo judicium, satius ducens silere in re incerta, quam vanas & futiles conjecturas proponere. Quod si integra supereſſet illa Leonis διάτυπωσις, nec extrema sui parte fuisset mutilata, in qua unicuique Metropoli attributæ Diœceses recensebantur, Germaniæ situm facile cognosceremus. Atque hæc hactenus.

V. Origenes in Julianæ Bibliotheca tamdiu videtur delituisse quoad vixit Maximinus. Is demum ad Aquilejam per militarem tumultum cum filio periit, anno imperii tertio:

Iul. Capit. in Maxim. & Balb. quo recidunt variæ eorum sententiæ, quorum alii per biennium, per triennium alii, teste Julio Capitolino, Maximinum imperasse volunt. Maximino successit Gordianus. Annus Christi tunc agebatur 237. Origenis 52. Romanam Ecclesiam regebat Fabianus, in locum Antheri suffectus, qui Pontianum exceperat, cum uterque in Maximini persecutione toleraſſet martyrium; postquam hic sexennium circiter, mensem ille admodum unum summum Pontificatum tenuit. A

VI. Nos illis temporibus alteram Origenis Athenienſem peregrinationem assignari posse censemus. At cum Cæsarea Cappadociæ discederet, Nicomediam obiter adiisse probabile est, visendi Ambrosii caussa, qui impiorum vinculis elapsus, moram in ea urbe cum Marcella conjuge ac liberis faciebat: (liberos quippe, conjugem, fratres, ac sorores habuit Ambrosius: obiit autem superstite Origene, vitioque ipsi à multis datum narrat Hieronymus, quod amici senis, & pauperis moriens non sit recordatus) Hinc eruditam illam ad Africanum dedit Epistolam, qua Susannæ historiam frustra ab eo impugnatam confirmat, suamque ei fidem & auctoritatem asserit. Athenienſis itineris ignoratur caussa: illud scimus, optimis eum, quamdiu in hac urbe agitavit, exercitationibus otium suum consumsisse, nam inceptos in Ezechielem Commentarios absolvit, (quod anno sexagesimo factum Erasmus arbitratur ex Suida, auctore nullius pretii, qui ex Eusebii pannis prius Origenis elogium, in quo scriptum hoc extat, perturbate & incomposite consuit) & Canticum Canticorum expositionibus illustrare instituit: quarum quinque Tomos in ea elaboravit sede; reliquos totidem Cæsareæ Stratonis confecit. Circa hanc quoque tempestatem jampridem inchoatis in Johannem Commentariis finem imposuisse verisimile est, ut infra ostendam. Annuum tempus Athenienſi huic moræ tribuit Halloxius, nec contradico; liceat modo unicuique judicium aliud ex re capienti dissentire.

Hieron. de script. Eccl c. 67. B

Erasm. in centur. lib. Origen. C

VII. Pristinam itaque sedem, Cæsaream Stratonis longo post tempore Origenes repetit, atque ibi susceptum Commentariorum in Canticum opus ad exitum duxit. Falluntur autem Magdeburgenses, cum ajunt scripsisse Suidam Origenem annum ætatis suæ egisse sexagesimum, cum ea Commentaria exararet: tale enim quidquam apud Suidam nusquam reperias. Est apud Hieronymum venisse Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum ad Origenem, per caussam locorum sanctorum, ut apud eum majorem Scripturæ sanctæ compararet notitiam, cum ipsum antea in Cappadocia diu secum habuisset. At Gregorius Nyssenus in Origenis disciplinam receptum fuisse narrat cum Gregorio Thaumaturgo Firmilianum, Patricium Cappadocem, nondum Episcopum. Bis itaque Origeni eruditendum sese tradiderit Firmilianus; primum antequam Ecclesiæ, atque adeo Christo nomen dedisset; iterum, postquam ex altero Athenienſi itinere Cæsaream Stratonis reversus est. Rem autem ita narrat Eusebius, ut à neutro dissentiat.

Magdeb. Cent. 3. c. 10. D

VIII. Eruditione per idem tempus & ingenio florens Beryllus Bostrenorum Episcopus in hæresim lapsus est; cum Christum, antequam humano sese illigaret corpori, nihil habuisse proprium, sed Deum divinitate paterna tantum, non propria ac sua fuisse doceret. Quam hæresim deinde instauravit ac propugnavit Sabellius. Episcopos adversum se complures Beryllus nefario dogmate concivit. Bostram illi in Synodum coëunt, multisque hominem velitationibus adoriuntur. Id cum parum procederet, ad expugnandam hominis pervicaciam accersitus est Origenes, in ejus quippe peritia omnia sibi proclivia fore sperabant omnes, & ejus consiliis acquiescebant. Frequentibus ille adversum Hæreticos & Judæos disputationibus jam ante exercitus, Beryllum summa humanitate, ac dexteritate aggressus est, variisque super ejus doctrina habitis sermonibus, deprehensum tandem errorem argumentis ita coarguit, ut eum penitus ejuraret Beryllus, seseque bonæ menti restitui pateretur. Quare ex voto confecta in Palæstinam sine mora Origenes se recepit. Neque sane tanti beneficii memoriam, qui fuit hominis candor, apud sese diuturnitate extabescere passus est Beryllus; sed eam sequentibus deinde annis recoluit, & scriptis ad Origenem Epistolis testatus est. Hæ cum Synodi Actis, aliisque hujus viri monumentis multo post servatæ & doctorum lectione usurpatæ sunt, sed temporis demum vetustate interciderunt. E F

IX. Annus Christi 244. qui fuit Origenis 59. Gordiano sextum jam annum imperanti feralis fuit; nam postquam ejus locum per summam perfidiam invasit Philippus, vitam ei statim pari scelere exhausit. Sed concepta facinora pœnitentia emendasse, & ad Christi quoque partes transisse Historici quidam Christiani, uti mox dicturi sumus, prodiderunt. Ut ut est, tertium jam imperii eo agente annum Ecclesiæ Alexandrinæ administrationem capessivit Dionysius ille, quem Alexandriæ Origenes præceptis olim informaverat, mortuo Heracla Origenis & ipso discipulo, postquam Alexandrinum Episcopatum per multos annos tenuit. Annorum octodecim numerum definit Eusebius in Chronico, sexdecim in historia: verum pro ἑκκαιδέκατος aliqua exemplaria prætulisse ἑνδέκατος, vel ita certe legisse

Euſ. Hiſt. l. 6. c. 35.

A legisse Interpretes aliquos, ex iis liquet quæ in id argumentum scripsit Baronius. Errorem ipse in numerum hunc irrepsisse vidit; & ex Eusebio quatuordecim saltem annis in Alexandrina cathedra Heraclam sedisse concluſit. Plane verum est totis quindecim sedisse annis, nam ab anno Alexandri decimo, quo anno ponimus acquievisse Demetrium, ad Philippi tertium, pleni quindecim anni intercedunt. Dicendum ergo quindecim in Pontificatu traductis annis, decimo sexto Heraclam naturæ concessisse. Ita intelligendum puto Eusebium: atque si recte conjicimus, eo ipso anno Demetrius obierit, quo Origenes Ægyptum reliquit. Hinc quoque manifestus Nicephori error, qui post decimum tertium Episcopatus annum Imperante Gordiano Heraclam decessisse scribit. At Scaliger hic memoria lapsum contendit Eusebium, ejusque adhæret Chronico, quod anno Philippi quinto Epi-
B scopatum Alexandrinum à Dionysio initum fuisse docet. Id ex constanti duntaxat Codicum consensu probat, qui sic habent. Futile argumentum: quasi non Historiæ Eusebianæ Codices tertio Philippi anno constanter quoque id assignent. Certe si ex Eusebii Chronico castiganda est ejus Historia, sexcentis castigetur locis, in quibus dissentiunt. Vel in hoc Heraclæ annorum ἀπολογισμὸς, initium ejus Episcopatus confert Chronicon in annum Alexandri nonum; exitum Origenis ex Alexandria in undecimum; cum exitui Origenis annum Alexandri decimum adscribat Historia, & post ejusdem exitum decessisse Demetrium significet, eum cui Heraclas successit.

Bar. ad A. 248. N. 1. & 5.

Niceph. l. 5. c. 26.

Scalig. Animadv. in Chron. Euseb. ad A. 2264.

X. Baronius ad annum 248. N. 1. Origeni in omnibus Heraclam faviſse scribit, atque ideo post Demetrii mortem concitas adversus eum turbas penitus fuisse consopitas; Dio-
C nysium vero Heraclæ successorem Origeni infensissimum se præbuisse. Supra demonstratum à nobis est testimonio Gennadii, Petri Alexandrini, Epistolæ Synodicæ Ægyptiorum Præsulum, & Photii, non aliter in Origenem animatum fuisse Heraclam, ac decessorem ipsius Demetrium. Causſam vero cur eundem à Dionysio oppugnatum crederet Baronius, sive ex auctoritate, sive ex verisimilitudine petitam addere debuit; quæ certe nulla est. Merito itaque hanc ejus opinionem repudiavit Halloxius, & Origenem, quoad vixit, summopere à Dionysio observatum, & post mortem etiam laudatum fuisse contendit; quod & nos infra ostendemus.

Bar ad A. 248. N. 1.

Hallox. Notat ad Orig. Defensi. 1. c. 22.

XI. Cæterum sexagenario jam major Origenes haud segnius rerum divinarum sa-
D tagebat, neque ullum fere intermittebat diem, quin vel ad populum de Deo verba faceret, vel scriberet, vel legeret, vel colloqueretur. Testes sunt omni sacræ eruditionis fruge referti libri contra Celsum, quibus Epicurei Sophistæ petulantiam Ambrosii suasu contudit, (quosque Gordiano imperante scriptos falso Marianus Scotus existimavit, & quorum lucubrationem ad annum 237. perperam retulit David Blondellus, summopere licet, in re præsertim Chronologica, cautus & diligens; atque ita toto aberravit decennio, quippe qui obitum Origenis anno 256. assignasset) testes docti in Matthæum, & in Prophetas XII. Commentarii, testes innumeræ ad varios scriptæ Epistolæ, quas plusquam centum undecunque nactas collegerat ætate sua Eusebius, & in libros digesserat. Illas annorum series consumsit.

Mar. Scot. ad A. Chr. 242. Blondel. in Illustrat. mis. fam. mil. contr. de Euch. c. 4.

XII. Atque utinam vel duæ illæ supereſſent epistolæ, quas ad Philippum Imperato-
E rem, ejusque uxorem Severam Augustam scripsit. Hinc certo conjici posset, verene Christo adhæserint, quemadmodum ab Auctoribus Christianis proditum est: an à Christianis partibus fuerint alieni, quod persuadet Ethnicorum Auctorum de nova ab iis susceptа religione silentium; & multorum præterea tum Christianorum, tum Ethnicorum consensus, à quibus primus inter Imperatores Christum professos Constantinus celebratur. Ego quidem magnorum virorum sententiis meum quoque judicium, quando me res id admonet, interponam. Si publice Christianorum fidem professus fuisset Philippus, verisimile utique non est tacituros id fuisse Ethnicos Scriptores, futuramque rei hujus, sicut fuit, obscuram famam & incertam. Nec multo verisimilius est, si Christianus non fuisset, id proditurum Eusebium, temporibus illis proximum, cum utramque eum ad Philippum & Severam
F ab Origene scriptam Epistolam vidisse constet, quam non paucis post Eusebium annis vidisse quoque Vincentium Lirinensem solerter deprehendit Baronius. Sic igitur sentio, Christi sacris à Fabiano Papa initiatum fuisse Philippum, sed occulte, idque clam Ethnicos habuisse, ne quid inde res suæ detrimenti caperent, quas pristinæ religionis ejuratæ fama forsitan conturbasset. Hinc ab Ethnicis Scriptoribus tacitum illud est, à Christianis celebratum. Quod autem ex Eusebio objici potest, publice eum in Ecclesiam ab Episcopo (is fuit Babylas) admissum, precationum participem fuisse factum, postquam crimina confessus in pœnitentium ordinem redactus est; id sane animadvertendum est ex incerta auditione Eusebium retulisse. Antiochiæ præterea contigisse fertur illud, ubi florebant res Christianorum, quibus tum præerat Episcopus Babylas; in extremis videlicet Romanæ ditionis oris, procul à Romanorum conspectu, quos præ cæteris ejusmodi facinus poterat

Bar. ad A. 246. N. 8.

Euseb. l. 6. c. 34.

commovere. Huc accedit in medio Christianorum cœtu, conscio cum paucis Episcopo, A
Imperatorem facile delitere potuisse, mutata veste, & imperatoriis insignibus detractis.
Sub ipsa porro imperii sui initia Christi doctrinam amplexum fuisse Philippum ex eo li-
quet, quod in cœtum Christianorum jam creatus Imperator recipi postulaverit Antio-
chiæ, quo nonnisi post arreptum recens imperium sese usquam contulit. Quæcunque au-
Baron. ad A.246. N. 2. 3. & 4. tem adversus hanc sententiam argumenta profert Baronius, ut postremis imperii annis
Christo nomen Philippum dedisse probet, ex iis quæ diximus facile refelluntur. Cadunt
Scalig. Animadv. in chron. Euseb. ad A.2260. itidem pronuntiatæ in eam rem à Scaligero κυείαι δόξαι· sic enim effata ejus appello, qui-
bus Philippum ab Ecclesia segregat, veterumque Christianorum auctoritatem procul-
cat, uno hoc nixus argumento, quod injuriam Christo faciunt, qui hominem nequam, &
Domini sui interfectorem, Christianum ausi sunt dicere. Ac si nulli inter Christianos sce- B
lesti reperiantur: ac si nequissimi non fuerint Imperatores quidam Christiani. Præterea
Hallox. l. 1. c. 18. nondum Christianum fuisse Philippum docuimus, cum flagitia hæc admisit. Nec mihi ma-
gis Petri Halloxii probatur conjectura; cum Origenem ex eo jam tempore quo Arabiam
petiverat, Philippo Imperatori, utpote Arabi, & Bostris nato, fuisse cognitum suspicatur. A
puero siquidem relicto patrio solo in militiam profectus creditur Philippus. Et ut non-
dum patria excessisset, quonam argumento probari potest hominem obscuro loco natum,
& fortunæ tenuis, in notitiam Origenis venisse, viri magnis de rebus ad hæc loca missi, &
gravissimis negotiis districti? Quid est hariolari, sic hoc non est? Minime autem omnium
Niceph. l. 5. cap. 25. audiendus vir eruditus qui in Annotationibus ad Nicephorum Fabiano Papæ tribuit, quod
uno consensu Leontius Antiochenus, Chrysostomus, & ex Leontio Chronici Alexan- C
drini Auctor Babylæ tribuerunt. Non jam disputo, verumne sit quod conjectat Baro-
nius Philippum Augustum cum Philippo Augustali Ægypti Præfecto confundi: hic cer-
te locum, uti fatetur ipse, habere id neutiquam potest; non idcirco tantum, quod duas illas
Origenis Epistolas viderat Eusebius; sed multo magis quod imperante Severo martyrio
consumtus sit Philippus ille Augustalis Præfectus; ab Eusebio autem memoratum Philippi
Augusti facinus, ipso jam imperium adepto editum sit. Extat hinc etiam, meritone scripserit
Pomponius Lætus, Philippum, ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulasse. Sed
revertamur ab propositum.

XIII. Hac primum tempestate Homilias suas, quas fere quotidie in Ecclesia habebat ex
tempore, à Notariis inter concionandum excipi passus est Origenes, quod antea numquam D
fieri permiserat. Hinc nomen ejus magis magisque celebrabatur indies, sed ita tamen ut
summa afficeretur admiratione à plurimis; à nonnullis, ut varii esse solent hominum sensus,
infamaretur. Ansam præcipue dabant reprehensionibus erudita quidem, non satis tamen
meditate scripta opera, & in secretos fere elaborata usus, ac incaute tamen evulgata. Oppor-
tuna hæc erant sinistris Hæreticorum interpretationibus, & sæpe vel ad conflandam O-
rigeni invidiam, eumque falsis criminibus circumveniendum, vel ad quærendum nefariis
dogmatibus splendidum patrocinium adulterabantur. Cui malo ut occurreret, seque hac
suspicione evolveret, consultum fore ratus est suam de Deo, rebusque divinis sententiam mis-
sis ad Fabianum Papam, aliosque Antistites Epistolis profiteri, & si quid scribendo pecca-
verat, matura pœnitentia emendare. Caussas autem temeritatis retulit in Ambrosium, quod E
Baron. ad A.248. N. 1.2. secreto edita in publicum protulisset. Gravem hic Eusebio dicam impingit Baronius, quod
repudiatam hanc à Fabiano Professionem fidei, & ipsum ad caussam dicendam accitum fuis-
se Romam Origenem dolo malo reticuerit: sed jam supra ab hac Baronii calumnia Euse-
bium vindicavimus: nam quid hac Professione factum sit, incertum est, & admodum semel
Romam iviisse Origenem certissimum est.

XIV. At nondum etiam Adamantius vacationem à laboribus habuit. Exorta
quippe nova apud Arabes hæresi, quæ animam statim à morte cum corporibus extin-
gui, atque itidem cum corporibus in extrema die excitatum iri sciscebat, coactum sta-
tim est frequens Concilium, ad idque accitus Origenes Hæreticos rationum suarum mo-
mentis convictos & oppressos ad meliorem mentem traduxit. Pari quoque felicitate Hel- F
cesaitarum doctrinam, à Papia Achaiæ Presbytero olim cum primum oriretur expugna-
tam, tunc renascentem denuo, non congressionibus & colloquiis, sed scriptis contudit.
Theodor. Hær. Fab. l. 2. c. 8. & Niceph. l. 5. c. 24. Auctor Theodoretus, qui hæc habet: κ) τούτης τ αἱρέσεως ὠσιηχώς συνέγραψεν ἀληθῶς·
συνεκρότησε ὃ αὐτὴν ἀλκιβιάδης, ἐξ ἀπαμείας τ συρίας ὁρμώμενος. Legendum fortasse, συνεκράτησε,
sic enim de eadem re Nicephorus: κ) ὃ τούτης χαὶ ἀλκιβιάδης ἐξ ἀπαμείας τῆς συρίας πάμπολλα ἠγωνί-
σατο· ὠσιηχώς ὃ τοῖς κατ' αὐτὴς ἐλέγχοις ἡττεύε. Quamquam nihil affirmo: nam Nicephori au-
ctoritati parum tribuo. Geminam hanc ab Origene victoriam dolo malo reticuit Geor-
gius Syncellus, Græcorum omnium morem in suggillando Origene secutus. Nec absur-
dum fortasse fuerit iisdem conjungere temporibus Apellitarum profligationem, quos per
Orientem grassantes coërcuit Origenes, & per singulas quasque urbes infectatus concioni-
bus repressit.

CA-

CAPUT QUARTUM.

I. *Philippus Imperator interficitur. Subrogatur Decius. Septima persecutio.* II. *Origenes pro Christo gravissimos cruciatus sustinet.* III. *Librum de martyrio scribit ad eum Dionysius Alexandrinus.* IV. *Origenis modestia. Utrum ad vitandum Æthiopis stuprum Christi fidem ejurarit, & quo id tempore contigerit.* V. *Castigatur Criticorum nonnullorum temeritas.* VI. *Mortuo Decio vinculis solvitur Origenes. Decio succedunt Gallus & Volusianus.* VII. *Obit Origenes anno ætatis 69. Pereunt Gallus & Volusianus.* VIII. *Elogium Origenis.* IX. *Sepelitur Tyri. Vana de ejus salute quæstio prætermittitur.* X. *Ipsius discipuli recensentur.*

I. TRIPLICEM hanc, quam proxime commemoravimus, adversus succrescentes hæreses velitationem videtur Origenes exercuisse postremis imperii Philippi annis; qui cum septimum jam annum rerum potiretur, Decii fraude Veronæ ab exercitu interfectus est. Subrogatur in ejus locum Decius, qui ut in Philippi memoriam incensus erat odio, Christianorum, quos visus erat caros habere Philippus dum viveret, res vastare, ac nomen funditus delere constituit. In teterrima hac igitur persecutione princeps occubuit Fabianus Pontifex maximus, in cujus locum suffectus est Cornelius. In carcerem quoque compacti sunt nobiles Episcopi, Alexander, is à quo inter Presbyteros quondam Origenes fuerat cooptatus, & Babylas: qui cum letho destinati in vinculis obiissent, huic Fabius, illi Mazabanes successit. Et quid eos omnes recensere attinet, quos funestissima illa Ecclesiæ clades consumsit? Referta sunt eorum nominibus antiqua Martyrologia. Sed Palæstinam præcipue ea strages affecit: multi siquidem Origenis exhortationibus accensi Decii furoribus sese fortiter objecerunt.

II. Qui Tyrum jam ante concessisse Origenem credunt, quam Christiani à Decio oppugnari cœpti sint, facile iis assentior: secessus annum assignare, hariolari est. In eum certe maxima Persecutionis hujus gravitas incubuit, quam eadem pertulit constantia, qua aliis eam ut perferrent, auctor fuerat. Nam primum in profundum carcerem detrusus est; torquis ferreus collo injectus; pedes ligneis pedicis grandi intervallo invicem remotis ita inserti sunt, ut divaricatis cruribus distractum corpus per multos dies dirissime torqueretur: intentabantur ignium & suppliciorum minæ, ac multiplici denique tormento senile corpus cruciabatur. Altum ille contra, & erectum animum super fortunam gerens, & vitam suam post Christi fidem ducens omnes asperitates supervasit. Ac secum præclare actum existimasset, si extremum ab eo supplicium improbus expetivisset judex, cui unum id fuit propositum, omnes martyrii cruciatus innocentissimo homini infligere, eundem vero sperata per mortem martyrii mercede privare. Ostentatum itaque certaminis & laborum præmium in aliud tempus dilatum est.

III. Bene autem de se merito magistro, dum in tormentis esset, optimus discipulus, & veteris amicitiæ memor Dionysius Alexandrinus non defuit, librumque ad eum de martyrio scripsit, quo animum illi dolore ac miseria tabescentem relevaret, & ei solatii præstaret vicem, qui aliis hanc omnibus præbere solitus erat.

IV. Nicephorus Eusebii perpetuus assectator ducem suum hic deserit, & in atroces adversus Origenem, more recentium Græcorum, calumnias divertit. Eum ait modestia ac Christiana humilitate, quæ virtutum omnium parens est, amissa, in Deciana Persecutione tormentis afflictum, suam quidem constantiam ac fidem Ecclesiæ præstitisse; verum admoto Æthiope qui castissimo corpori illuderet, thura Diis adolere maluisse, quam ejusmodi probrum in se admittere: atque inde divina gratia cum excidisset, in varias hæreses delapsum, multisque in errorem inductis, ab Ecclesia Christi longo post tempore fuisse exterminatum. Hæc habet Nicephorus, quæ ad veritatis amussim revocata, & cum Veterum scriptis, unde depromta sunt, conflicta, fidem suam decoquent. Nimiam enim sibi superbiam tunc sumsisse Origenem, quamvis ante Nicephorum scripserint Anastasius Bibliothecarius, & Zonaras, vix equidem credo, qui subjectissime de se ac demississime in libris à se hoc tempore scriptis & loquitur & sentit. Ad hæc postquam in Persecutione Deciana nuntium Christo remisisse Origenem scripsit, addit in multas deinde incidisse hæreses, multisque errandi caussam dedisse, ac multo post tempore Christianorum communione fuisse privatum: quæ secum manifesto pugnant, cum perpaucis ante Origenis obitum an-

Nicephlib 5. cap. 22.

Anastas. in Hist. ad A. Chr. 244. Zonar. Hist. lib. 2.

nis instinctus furore Decius Christianis bellum indixerit. Sciendum præterea id hausisse Nicephorum ex Epiphanio, qui hanc Origenis perduellionem narrans Hær. 64. cap. 2. de Persecutione Deciana altum silet, quemadmodum Cedrenus, & Suidas: in libro autem De mens. & Ponder. cum Decianæ Persecutionis meminit, Origenem quidem multa tunc perpessum fuisse docet, Æthiopem vero neutiquam commemorat. Nec commemorat certe Johannes Zonaras, qui eum tamen tormentis victum sub Decio à fide desciviſſe tradit; & arrogantia elatum pravorum dogmatum auctorem fuisse. Zonaram fefellerunt malè accepta hæc Epiphanii verba: καὶ αὐτὸς δὲ ὡσεὶ ξὺν πολλὰ πεπονθὼς εἰς τέλος τῆ μαρτυρίᾳ οὐκ ἔφθασεν, obstante nimirum sævitia judicis, non Origenis perfidia, quo minus martyrii coronam consequeretur. Male ea quoque intellecta sunt ab Anastasio Bibliothecario, & ad annum Christi 244. perperam relata: quo anno imperium adeptus est Philippus, sexennio eoque amplius ante Decianam Persecutionem. Glycas autem Epiphanio adhæsit. Nicephorus igitur, qui hoc loco videtur Epiphanium sectatus, & quicunque hoc Origenis facinus Decianæ Persecutionis temporibus assignant, minime quidem Epiphanium auctorem habent. Imo vero, aperte illis contradicere, si quis ad narrationis illius contextum animadvertat, plane fatebitur: id quippe Alexandriæ contigisse scribit, atque Origenem idcirco ab Ecclesia fuisse dejectum; cumque se irrisui esse perdoleret, patria excessisse. At Deciana tempestate neque Alexandriæ fuisse Origenem, neque ab Ecclesiæ communione segregatum, neque Alexandria fuisse profectum vel docuit quisquam, vel credi potest, & ex Eusebii, ipsiusque Nicephori, & aliorum historiis satis refellitur. Quæ quidem omnia huic apprime ætati conveniunt, in quam factum illud conjecimus. Nam & tum Alexandriæ versabatur Origenes, & statim post flagitium reliquit Alexandriam, & à Christianorum societate depulsus est, nec multo post Hierosolymam adiit, ubi in publico Christianorum cœtu commissum scelus lacrymis prosecutus est. Quamvis autem rebus Christianis faveret, qui tunc Imperio potiebatur Severus Alexander, eas tamen pro libidine divexabant provinciarum rectores, Christianosque complures neci dabant. Id declarant Ecclesiastici Annales, & Martyrologia. Constat ergo hallucinatum Nicephorum, nec ad Decianam cladem hoc Origenis facinus ullo modo pertinere.

Zonar. ib.

Glyc. Annal. part. 3.

Verum præpostere agimus qui rei hujus perscrutamur tempus, resne ipsa fuerit aliquando, certum nondum habemus. Quamvis enim clarissimo monumento consignatum id extet in libris Epiphanii, egregii scriptoris & antiqui, rem tamen suum ad examen revocavit Baronius, ut diximus, conflictamque judicavit, & ne manus cum Epiphanio conserere cogeretur, assutum ejus scriptis fragmentum illud & insertum pronuntiavit. Baronio assensi sunt Halloxius, Raynaudus, & Valesius; contradixit Petavius. Nos utriusque partis rationibus adductis, nihil præjudiciis vel auctoritati tribuentes nostram sententiam paucis exponemus. Rationum Baronii summa hæc est. Si res ita se haberet, uti expressa habetur apud Epiphanium, meminissent utique ejus, vel objiciendo Origenis adversarii Theophilus, & Hieronymus; vel refutando fautores ejus Eusebius, Pamphilus, & Rufinus; vel vetusti Patres Augustinus, Vincentius Lirinensis, aliique, qui de eo fuse & explicate egerunt, & in controversiis Justiniani ævo adversus Origenem tanto studio agitatis aliqua tandem facinoris ejus fuisset injecta mentio; nec id quoque prætermisisset Porphyrius, cum Ammonium à Christo ad Ethnicorum partes transfugisse commentus est: res hæc ab illis est silentio prætermissa: igitur ne vera quidem. Eadem hæc fere repræsentat Halloxius, & amplificat dicendo ac dilatat, unumque addit quod animadversione dignum est, eum fabulæ istius primum videri inventorem qui Justiniano Imperatori dictavit Epistolam ad Menam Constantinopolitanum Patriarcham adversus Origenem, quæ in Concilii V. Acta relata est. Cur ita sentiret, non apposuit; & vero quid apponeret non habuit; nullis enim auctoribus, nullis argumentis res falsa poterat approbari; facti siquidem illius præter Epiphanium meminit Nemesius Justiniano antiquior; meminit & Leontius Byzantius, quem Bellarminus Quinta Synodo superiorem fuisse censet. Huc adde idololatriæ quidem Origenem hac Epistola Justinianum arcessere; de Æthiope ne verbum quidem injicere. Neque certe probabile est in Encyclica hac Epistola ad universos Episcopos destinata, Imperatorem, vel qui nomine Imperatoris scripsit, mendacium re nulla postulante conflictum, Patribus in os objecisse, viris non illiteratis, & rei inauditæ novitatem proculdubio miraturis, ejusque falsitatem facile perspecturis. Repudiata igitur hac Halloxii conjectura, Baronium ipsum adoriamur. Ac primum fateatur necesse est admissum ab Origene idololatriæ scelus Nemesio, Leontio, & Justiniano notum ac commemoratum fuisse. Ejus autem tacendi eas habuerunt causas Origeniani oppugnatores nominis, quas exponit Petavius; vel quod ad ventilanda nimirum Origenis dogmata attenti, admissum humanitus flagitium neglexerint; vel quod emendatum pœnitentia crimen objicere, illiberale & iniquum esse duxerint. Quas ad causas, illas etiam accessisse puto, cur id reticerent

Bar. ad A. 253. N. 120 & seq.
Hall. Orig. def. libr. 4. quæst. 3. & Not. p. 35. 36. 37.
Theoph. Rayn. Hoplotheca sect. 2. serie 1. cap. 2.
Vales. ad Euseb. Hist. l. 6. cap. 39.
Petav. Animadv. ad Epiph. Hær. 64. cap. 2. & ad libr. de pond. & mens. c. 18.
Nemes. cap. 30.
Leont. Schol. Action. 10.

Orige-

A Origenis adversarii, quod licet sacrificaturum se recepisset, non ipse tamen, sed qui eum circumstabant facinoris auctores & impulsores, manibus ejus apprehensis & excussis ipsi viderentur foco thus intulisse: quod licet ab Ecclesia fuisset ob eam caussam ejectus Demetrii compluriumque Episcoporum judicio, ab Alexandro tamen, & Theoctisto Episcopis tanta esset charitate susceptus, ejusque patrocinium tanto studio complexæ essent Arabiæ, Palæstinæ, Phœniciæ, & Achaiæ Ecclesiæ, ut ea re fere criminis depulsio contineretur; quod licet capitalis sit vel tenuis admissæ idololatriæ suspicio, & graviter peccasse Origenem fatendum sit, minime tamen hoc nomine posset accusari, quin ejus ingens pudicitiæ studium una prædicaretur: quod denique diris sub Decio singulari constantia toleratis tormentis, prioris criminis noxam satis correxisse, ejusque luisse pœnas, & pristinam
B mollitiem expiasse videretur. Atque iisdem fere rationibus, quo minus id Christianis exprobraret, absterritum fuisse Porphyrium existimo. Quod nullus ergo vitio dederat, quamobrem quisquam excusaret, ratio nulla fuit. Inde par apud multos ea de re silentium. Eusebium autem, cur id scribendo prætermitteret, eo fuisse impulsum jam supra dixi, quod in Apologia pro Origene hoc & ejusmodi plurima fuisset complexus, quæ ad Historiæ suæ propositum non omnino accommoda, quippe quæ res ad universam Ecclesiam spectantes exequeretur, repetere insuper habuit. Jacent igitur collecta à Baronio adversus hunc Epiphanii locum argumenta, quem vel ipsa styli similitudo, ut recte notavit Petavius, satis Epiphanio adjudicat.

V. Cautius equidem ac reverentius Antiquorum, sed Patrum præsertim monumenta
C attingi vellem. Nam quamvis parce, & non sine aliqua verisimilitudine manus Epiphanio attulerit hoc loco Baronius, homo ut excellens ejus ingenium, & singularem doctrinam fileam, sagacissimæ in arte Critica & acerrimæ naris; hoc tamen exemplum in sequens ævum labem trahere potest, ut tanti viri auctoritate producti literati homines, venerandæ vetustatis operibus illudere, eaque ad libitum recoquere, ac incudi suæ reddere fortasse ausuri sint. Quæsivi sane multum ac diu, plusne perniciei in literas an utilitatis Critica ars intulerit. Quot enim sana & integra Veterum scripta pervertit Criticorum temeritas, dum quidquid minus mente perciperent, id ad arbitrium suum refingendi licentiam sibi fecerunt? Quot volumina suis tota detraxerunt scriptoribus, alienis attribuerunt? Differor ira, quotiescunque viles de plebe Grammaticorum literatores bonis Auctoribus
D insitiæ suæ virus aspergentes video; & si quando nova vox, & Lexicographis incognita sese det, eam absque cunctatione obelo suo jugulantes, & obtrusis suis conjecturis per summam audaciam nobis fucum facientes. Et tum vel maxime sese Criticos dici amant, sibique placent, quando nobis Auctorum larvas, veris ipsis deformatis Auctoribus objecerunt. Atque hæc pestis nihil non pervagata est. Plurimæ quidem sordes vel per temporis diuturnitatem, vel per librariorum socordiam Antiquorum scriptis allini atque adhærescere sitæ sunt; at eas nonnisi manifestas elui, nec quicquam nisi vel manuscriptorum Codicum ope, vel certis & evidentibus argumentis supponi, & in Notas potius extra Auctoris ipsius contextum, quantumvis acute cogitatas conjecturas rejici velim. Sed hæc erant alterius loci. Nunc ad rem.

E VI. Quoto Decii anno cruciatibus tortus fuerit Origenes, nescitur; at cum biennium Decius in imperio non expleverit, levis est dubitatio. Id videtur anno Christi 250. Origenis 65. attribuendum. Nec apparet item, quomodo vinculis elapsus sit. Ego vero id per obitum Decii contigisse opinor, quo à Barbaris deleto cum exercitu, imperium capessivit Vibius Gallus, ascito in consortium Volusiano filio. Tunc enim tranquillatis Christianorum rebus, libertatem quoque suam adeptum Origenem verisimile est. At ne tum quidem ætas ad senium devexa, laboribus fractum, otio ac desidia mollivit: sed vix ægritudine relaxatus ac miseria, quæ eum in Decii laniena pæne eliserat, aliis quos eadem afflixerat clades, utilia solatia per Epistolas subministravit. Id ostendebant innumeræ ejus Epistolæ, quæ post Decianam vastationem scriptæ, & multo post à piis & studiosis hominibus serva-
F tæ vetustate demum perierunt. Aliane præterea ante mortem literis mandaverit, quoniam de eo nihil antiqui Scriptores tradidere, compertum non est. Vix credi tamen potest impatientissimum otii ingenium ab assueto scribendi labore, quo tot elucubrata feruntur librorum millia, conquievisse.

VII. Jamque novem ac sexaginta Origenes confecerat annos, cum labore & annis confectum tempestiva mors Tyri consumsit, anno post Christi ortum 254. quo anno Interamnæ Gallus, & Volusianus interfecti sunt. Cum enim natum eum demonstraverimus anno post Christum 185. adjectis 69. quot vitæ explevit annos; omnino efficitur summa annorum 254. Quamvis autem ita scripserit Eusebius: δέκιον καταφαγόντα γάλλῳ δέκιος ... ὡς ἐν τούτῳ ἐνὸς δέοντα τῆς ζωῆς ἑβδομήκοντα ἀποπλήσας ἔτη τελευτᾷ, non iis præcise significavit hoc ipso tempore obiisse Origenem, quo Gallus extincto Decio successit; quod

Euseb. lib. 7. cap. 3.

quod nonnulli perperam opinati sunt ; sed imperium tenente Gallo, fato functum Origenem fuisse. Scribit Photius Cod. 118. narrare Pamphilum, aliosque complures, Origenis vitam & res gestas ex iis ipsis qui hominem viderant perscrutatos, in Deciana Strage martyrio ipsum vitam finivisse. Id refellit Photius, Galli & Volusiani temporibus decessisse hunc asserens ; ex ejusque Epistolis post Decii mortem datis sententiam suam roborat. Infelicem miserabiliter periisse pronunciat Nicephorus, levis Auctor, neque quid scribat satis pensi habens : inde adeo sic sentiens quod eum post idololatriam erroribus implicatum, in impietate diem clausisse crediderit. At contra Theotimus Tomitanus Episcopus, notæ pietatis Antistes, præclara eum morte defunctum fuisse adversus Epiphanium asseveravit.

Socrat. lib. 6. cap. 12.

VIII. Atque hunc demum vitæ finem habuit Origenes Adamantius, vir in Ecclesia Dei longe maximus ; quem præter prosapiam avita in Christum pietate, & Leonidæ patris martyrio claram propriæ virtutes nobilitarunt ; ingens martyrii desiderium, contestatus amor pudicitiæ ac paupertatis, perpetua voluptatum contemtio, prolixa fidei Christianæ propagandæ voluntas, servandarum ab æterno interitu animarum vehemens cupiditas, inusitata in laboribus constantia, singularis in periculis fortitudo, insignis adversum omnes mansuetudo & obsequentia, commemorabilis in magno splendore modestia, & rara morum sanctitudo : portentosa ad hæc ingenii vis, memoria expromta, quam & herbæ cujusdam à se repertæ usu auxisse fertur, minime licet assentiente Epiphanio, subtile judicium, mirus in dicendo lepos, oratio ad persuadendum efficax, acris sæpe & vehemens, nec tam virtutibus ornandis facta quam carpendis vitiis, mirabilis humanarum, divinarumque rerum scientia, ut nemo esset primarum artium magis princeps. Nec fama meritis inferior ; summa apud proceres gratia, par apud Ecclesiæ principes auctoritas. Verum egregias vel à natura collatas, vel comparatas ab arte dotes obscurabant præceps quidam animi calor, neque satis considerata sacrarum literarum tractatio, & prope temerarium reconditorum ac supra mentis humanæ captum positorum Dei mysteriorum evolvendi studium ; quibus vitiis partæ virtutibus suis jam ante invidiæ causam in se erumpendi dedit. Exarsit in eum tota pene Ecclesia : calumniis vexatus, maledictis confixus, proscissus scriptis, percussus anathematis, ab Ecclesia segregatus multorum Episcoporum suffragiis, patria denique ipsa dejectus est, homo mitis & injuriæ opportunus ; ut non facile existimari possit, majorine hominum floruerit gratia, an odio flagraverit. Quisquis tamen ex veritate rem spectaverit, fatebitur dubio procul longe pluribus eum virtutibus enituisse quam vitiis, quæ tanquam nævi aliqui eximio corpori, sic animo excellenti adhæserunt.

IX. Sepultura affectus est Tyri ; cujus sepulchri vestigia hodieque supereſse prædicant, qui hæc loca lustrarunt. De salute Origenis disputationem à multis motam fuisse scio, quorum alii cœlo pro meritis donatum credunt ; alii contra, inter quos Georgius Syncellus, æternam animæ jacturam fecisse affirmant. Vana, & inanis quæstio, quam nos ad necessaria properantes iis disceptandam relinquimus, qui tantum ingenio suo licere volunt. *Grandis labyrinthus*, inquit barbare Wernerus Westphalus, sed vere, *à diversis texitur de Samsone, Salomone, Trajano, & isto Origene, an videlicet salvati sint, an non : quæ quia sine periculo nesciuntur, nec etiam Ecclesia certificata est de his, Domino totaliter committenda sunt.*

Wern. in Fascic. temp.

X. Prodierunt è Schola Origenis viri pietate insignes & doctrina Plutarchus, Serenus, Heraclides, Heron, Serenus alter, Herais, & Basilides, acerbos cruciatus, & mortem denique ipsam Christi nomine perpessi : Heraclas item Plutarchi hujus frater, Origenis primum discipulus, tum in docendo socius, deinde successor, ac Episcopus demum Alexandrinus ; Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ post Heraclæ mortem Antistes, eruditione & scriptis longe celeberrimus ; Gregorius ille à miraculis cognomen adeptus, Neocæsariensis Episcopus, qui æqualibus suis omnibus Origenem ætate jam affectum in familiaritate antepositi ; Athenodorus Gregorii frater ; Tryphon rara Scripturæ peritia illustris, cujus & nonnullas ad Origenem Epistolas suis temporibus extitisse tradit Hieronymus ; Firmilianus Cæsarienſis in Cappodocia præsul, Origeni sic deditus, ut ejus conveniendi causſa patria relicta longum ac difficile iter constitueret. Annumeranda his quoque Barbara Nicomediensis virgo, genere nobilis, eruditione clara, ab Origene primum per epistolas & Valentinum Presbyterum ad eam missum ab Ethnicorum superstitione revocata, & Christi mysteriis instituta, ac tandem in Maximini persecutione sævissime excruciata, & secuti percussa. Tum autem ex Origenis epistolis Christi fidem hausit, postquam Presbyterii dignitate auctus Alexandriam ex Achaia reversus est. Ab eo quippe jam Presbytero Alexandria data est ad ipsam Epistola, quæ in ejus Acta inserta est. Potamiænam virginem nobilissimo martyrio claram inter Origenis discipulas Rufinus & Nicephorus recensent : sed fucum iis fecit Eusebii locus non satis attente perspectus, ubi in hanc seriem disertis verbis septimus refertur Basilides ; de Potamiæna vero talis nulla apud eum suspicio est. Quo magis

Hieron. in l. de script. Eccles. in Tryphon.

A magis mirandum est ab erudito viro in hunc censum Potamiænam adscribi, Basilide expuncto. Quasi vero parum credibile sit virum bellicæ rei deditum, cum Origenis fama permotus esset, accessisse ad eum, & nonnulla rerum Christianarum accepta ab eo notitia, cum Potamiænam ad supplicium pro munere suo deduceret, eam ad improborum hominum petulantia prohibuisse, ab eaque postmodum jam fato functa secundum quietem excitatum, Christi fidem palam fuisse professum. Huc etiam confert Nicephorus Alexandrum Hierosolymitanum Episcopum, & Cæsarienſem Theoctistum; quibus Mammæam quoque adjungere, & memoratum illum ab Eusebio Arabiæ Præsidem rationi consentaneum est. Denique *Innumerari*, inquit Vincentius Lirinensis, *ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, & Martyres extiterunt.*

Niceph. l. 5. cap. 20. Euseb. l. 6. Hist. c. 19. Vincent. Lirin. adv. Har. Commonitorio 1. cap. 23.

B

ORIGENIANORUM

LIBER SECVNDVS.

C

ORIGENIS DOCTRINA.

Libri secundi partitio.

EXPLICATA Origenis vita, institutus ordo postulat ut ad exponendam ejus doctrinam progrediamur. Id propositum fronte simplex, multiplex sane est in recessu: nam & de eruditione Origenis, & iis quibus potissimum dum viveret animum informa-
D vit artibus & studiis, nonnulla præmittenda erunt. Tum dogmata illius suis distincta proponentur capitibus; non ea quidem quæ Ecclesiæ decretis consona universa tulerunt suffragia, vel quæ levioris sunt momenti; sed quæ majoris in Ecclesia ponderis à communibus & receptis sunt aliena sententiis; eaque præsertim quæ Patrum subinde censuris & Anathematis Synodorum vexata sunt. Quibus subjungetur Origenianæ doctrinæ, non dicam Apologia; nam neque ausim, neque sane velim, sed accuratum & præjudiciis omnibus liberum ac solutum examen. Hinc ad ipsam Dogmatum illorum describendam summatim fortunam accedemus, ut quas excitarint in Ecclesia procellas, quantis partium studiis oppugnata & propugnata sint, palam fiat. Atque ita in capita quatuor Liber iste distribuitur. I. agitur de eruditione Origenis. II. Dogmata ipsius excutiuntur. III. Doctrinæ ejus generale examen
E continetur. IV. Fortuna doctrinæ ejusdem narratur.

CAPUT PRIMUM.

ORIGENIS ERUDITIO.

I. *Scripturæ callentissimus fuit Origenes,* II. *sed Ebraicæ linguæ parum consultus, Samaritanæ vero penitus ignarus.* III. *Scripturæ Interpretes scriptoresque Ecclesiasticos studiose legit:* IV. *Sacræ doctrinæ causa excoluit* τὰ ἔξω θεν, *Philosophiam præsertim;* V. *sed & reliquas disciplinas.*

F

I. PRIMUM illud ac præcipuum fuit Origenis à teneris pueritiæ annis ad obitum usque studium, ad interiorem ac reconditam sacrarum literarum peritiam penetrare. In quo quidem ita se tractavit ut admirabile esset, nec quisquam deinde tantum in ea exercitatione consecutus sit; sive literam ipsam, quemadmodum vocant, spectes, quam totam memoriæ ita commendaverat, ut locos omnes ex tempore, etiam libris inconsultis, apposite recitaret; sive intimos ac latentes sensus, quos tanta sagacitate eruit, ὡς ἐξ ἐκείνου, inquit Suidas, πάντας τοὺς μετέπειτα τῶν ἐκκλησίας διδασκάλους καὶ ἀφορμὰς εἰληφέναι

Id facile ex noſtris apparebit Obſervationibus, in quibus loca Patrum conſimilia, & ab A
Origenianis profecta per παραπομπὰς indicamus. Nec ullum vero ad exquiſitam divinorum Voluminum comparandam notitiam ſubſidium neglexit: cum vulgata quippe apud Alexandrinos Septuaginta Senum interpretatione alias magnis à ſe ſumtibus redemtas contulit, Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi; ac Quintam item, & Sextam in lucem à ſe primo editas; easque ad Ebraica accommodavit exemplaria, unde Tetrapla, Hexapla, & Octapla extiterunt.

II. Quod ſi plus ſeſe in Ebraicis exercuiſſet, majoremque linguæ hujus fuiſſet peritiam conſecutus, nihil ei ad perfectam ſacræ Legis cognitionem defuiſſet, ſed tantum decerpſit ex ea gloria, quantum ex loquelæ hujus ſtudio detraxit. Dicam enim vere: vel Ebraiſmi parum ſcientes ſunt, vel in lectione Origenianorum operum perfunctorie verſati, qui B
eximium quid ipſi vel in ſanctæ linguæ, vel in earum quæ ex hoc fonte profectæ ſunt, dialectorum peritia tribuerunt. Nec opinioni noſtræ contradicit Hieronymus, etſi videtur
Hieron. Ep. 25. ad Paulam. contradicere, cum ait ſingularem loquelæ hujus notitiam demiratam in eo fuiſſe totam Græciam: mirum id quippe videri potuit Græcis Ebraiſmi rudibus & imperitis, nec quantum in eo profeciſſet Origenes exiſtimare ſcientibus. Minime vero ſuam ipſe linguæ hujus ignorationem diſſimulat Homil. 14. in Num. *Ajunt ergo*, inquit, *qui Hebraicas literas legunt, in hoc loco, Deus, non ſub ſigno tetragrammati eſſe poſitum: de quo qui poteſt requirat.* Multa in Obſervationibus noſtris animadvertimus, quæ inſcitiam ejus in Ebraicis demonſtrant; cujusmodi eſt frivola illa diſtinctio, ἑρανὸν inter & ἐρανὲς, quam comminiſcitur ad Matth. 18, 18. & ad quam Chriſtum reſpexiſſe tradit; quaſi hanc diſtinctionem ferat Syriaca dialectus, C
quam Chriſtus uſurpabat: cujusmodi eſt falſa illa nominis *Aſer* interpretatio, quæ habetur in Comment. ad Matth. 18. 19. quaſi derivetur à יסר *erudiit, ligavit*, cum fiat ab אסר *ligavit*. Quamquam auctoritate Senum Septuaginta excuſari id poteſt, qui אסר aliquando ita reddiderunt, quaſi idem eſſet ac יסר. Ut Pſalm. 104. (Ebr. 105.) 22. pro Ebræo לאסור שדיו habent, τοῦ παιδεῦσαι τοὺς ἄρχοντας αὐτοῦ· Vulgata: *ut erudiret principes ejus.* Et Oſ. 10. 10. ואסרים. LXX. παιδεῦσαι αὐτούς· Vulgata: *corripiam eos*: cujusmodi eſt depravata illa lectio
Origen. in Matth. 19. 12. loci Interpretum LXX. 2. Eſdr. 1, 11. ἐυνέχων τῷ βασιλεῖ. quod ſi in Ebraicis utcunque fuiſſet verſatus, quæ habent משקה למלך emendaſſe utique in τοῖς ὁ ἐυνέχων τῷ βασιλεῖ, ſi modo hunc ipſe errorem non invexit, qui certe in LXX. Seniorum exemplaribus nuſpiam extat: cujusmodi eſt inepta illa expoſitio vocabuli, *Iohannes*, quod formari exiſtimavit à nomine D
יהוה præfixo, & חנן, cum ex ſolo חנן præfixis ſervilibus literis derivatum ſit. Plerumque itidem peccat in perſcrutandis nominum Ebraicorum originibus. Proclive id nempe fuit viro ad mutuatitiam lucem veſtigia ſua in locis ignotis regenti: præſtabat autem lucem Judæus Philo, qui Ebraica Veteris Teſtamenti nomina peculiari libro fuerat interpretatus; cui libro parem ſubjunxit Origenes, Ebraicorum Novi Teſtamenti expoſitionem complexum. Qui vero non offendiſſet Origenes Philonem ſequens ducem, qui Judæus licet, Judæis prognatus, ne mediocri quidem literarum Ebraicam aura, uti neque Helleniſtæ fere reliqui, fuerat afflatus? Id ſi minus in hominibus Alexandriæ natis & eductis novum eſt, quo-
Hieron. de ſcript. Eccl. in Origene. rum naturæ repugnare ſcribit Hieronymus, Ebraicam linguam addiſcere, pro more Græ- E
corum omnium, qui linguarum exoticarum ſtudium aſpernari conſueverunt; at in Joſepho illo Ebræo Mattathiæ filio plane mirum videri debet; facile quippe ex ejus ſcriptis deprehendere licet, ad magnam illam & ſingularem Judaicarum originum cognitionem non parem ipſum patriæ loquelæ peritiam contuliſſe; quamvis ſe nonnulla Ebraice ſcripſiſſe dicat, quæ lapſu temporum interciderunt.

Qui Judaicis porro literis tam leviter tinctus fuit Origenes, hunc Samaritani idiomatis fuiſſe callentiſſimum affirmare quidam non verentur. Abunde refelluntur illi ex his Origenis verbis ad illud Ezechiel. 9. verſ. 4. *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium.* ἑβραῖος δέ τις, inquit, πρὸς εἰς σωτῆρα πεπιστευκότων ἐλεγε τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερῆς ἔχειν τὸ ταῦ τῷ τοῦ σωροῦ χαρακτῆρι, καὶ προφητεύεσθαι περὶ τοῦ γινομένου ἐν χριστιανοῖς ὅτι τῷ μετώπῳ σημεῖόν, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ πεπιστευκότες πάντες ὅτινος ὧν προκαταρχόμενοι πράγματος, καὶ μάλιστα εὐχῶν καὶ ἁγίων ἀναγνωσμάτων· F
Ebræus autem quidam, ex iis qui Chriſti fidem amplexi ſunt, dicebat in antiquis elementis ſimile eſſe Tau formæ crucis, & prædici de ſigno quod inter Chriſtianos ſit in fronte, quod quidem faciunt qui crediderunt omnes, quamcumq; rem aggrediantur, maxime vero preces, & ſanctas lectiones. Samaritarum elementa appellat ἀρχαῖα στοιχεῖα, quod iis Ebræi uterentur priſcis temporibus πρὸ τῆς μετοικεσίας βαβυλῶνος. Eorum ſi notitiam aliquam comparaſſet Origenes, Thau Samaritani formam ab Ebræo illo accepiſſe ſe non dixiſſet, quam cognitam ex ſe habuiſſet & perſpectam. Atque hic obiter Origenem vindicemus à cenſura Scaligeri, qui in Notis ad Euſebium præfracte negat Thau Samaritticum alia forma fuiſſe, quam qua hodie pingitur in libris Samaritarum; etiam contra Hieronymi auctoritatem, qui codices Samaritanos verſaverat. Certum eſt enim non unico modo notari ſolitum fuiſſe Thau Samariticum, atque

A que id aliquando ad crucis formam esse depictum, ut fidem faciunt vetustissimi nummi Ebræorum.

III. Non Scripturæ interpretationes duntaxat, sed ipsos etiam Interpretes, Scriptoresque adeo Ecclesiasticos omnes accurate evolverat Adamantius, quorum patrocinium sententiis suis plerumque nominatim asciscit, Clementis puta, Ignatii, Josephi, Philonis & aliorum. Neque id in libris solum qui à Rufino conversi sunt, reperias; hæc quippe vir hujus ætatis eruditus ab Interprete conficta existimabat; sed in Græcis etiam Tomis, vel scriptionibus ab Hieronymo Latinitate donatis, præcipue vero in libris contra Celsum. Inter Ecclesiasticos scriptores, apocryphorum auctores librorum refero, quorum testimoniis sæpe quoq; utitur; non plus tamen iis fidei vel auctoritatis tribuens, quam quantum ex hoc Apostoli monito tri-
B buere licet; *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

IV. Fuit ergo præcipua Origenis in Scripturis enodandis contentio, cujus disciplinæ causa excoluit etiam τὰ ἔξωθεν, sed Philosophiam potissimum. Unum autem præ reliquis Platonem admiratus est: sicut Christiana dogmata ad Platonicæ doctrinæ leges, non ipsam Platonis doctrinam ad Christi effata accommodaret. Exemplo suo Origenem eo compulit Philo Judæus, totus ad Platonis exemplum compositus, non Platoni nimis tribuendo duntaxat, sed Scripturam etiam allegoriis perpetuis explanando. Compulit & præceptor illius Clemens Alexandrinus, Academiæ pigmentis res Christianas illustrare suetus; quod & maxima pars fecit vetustiorum Patrum, sed parcius & verecundius. His itaque Platonicorum deliriis sincerum doctrinæ Christianæ vas postquam incrustavit Adaman-
C tius, ex illo doctrina ejus corrupta est, & profanis imbuta erroribus, unde infinitis jactatus convitiis, & querelis in summas incidit calamitates, & laudem meritis partam decoxit. Sed nec Academiæ finibus ingenium suum coërcuit; universas ille Philosophorum sectas animo pervagatus est. Pythagoricorum scriptis delectatum fuisse, & Stoicorum quoque adhibuisse libros testis est Porphyrius. Hinc adeo non uni alicui addictum sectæ, sed omnium studiosum fuisse, exiisque quidquid utilius esset, & vero similius decerpsisse, idemque discipulis ut facerent caute præcepisse Gregorius Thaumaturgus scriptum reliquit; ut non tam Platonicus, vel Pythagoricus, quam Potamonicus dici debeat, à Potamone illo Alexan- *Gregor. Thaum. in Paneg.*
drino, qui Eclecticæ sectæ auctor fuit. Quocirca Justinianus in Epistola ad Menam, & in
D altera ad Quintam Synodum, Paganorum erroribus affinem fuisse Origenem tam crebro objicit.

V. Ad reliquas quoque disciplinas, sive Mathematicas artes, sive eas quæ ab humanitate nomen habent, animum appulit; sed majorem videtur iis artibus impendisse operam, quarum erat usus vel ad Scripturæ sacræ illustrationem, vel ad morum emendationem, vel ad Ecclesiæ ædificationem accommodatior. Tam assidui autem & inexhausti in evolvendis voluminibus laboris fuit, ut objiciat ei Theophilus, perpetuus ipsius insectator, *jactare se* illum *in scientia Scripturarum, & putare tanta legisse, quanta nullus hominum legerit*: tanta vero di- *Theophil. Paſch. 1.*
scendi cupiditate incensus, ut ad eos conveniendos, quorum esset celebre nomen in literis, multas sese regiones perlustrasse scribat libr. 6. contr. Cels. Porro Epistola quadam, quæ est a-
E pud Eusebium, excusavit nimium suum in eas doctrinas studium, quod aliquorum reprehen- *Euſeb. lib. 6. c. 19.*
sionibus patuerat; stolidorum quippe hominum, quantum profanæ literæ sacris promovendis conducant parum intelligentium. Tantam demum sibi nominis claritatem eruditione sua peperit, ut ad eum confluerent omnis generis homines, excellentem ejus eruditionem Ethnici ipsi celebrarent scriptis, suas ei consecrarent lucubrationes, disciplinarum omnium encyclopædiam animo crederetur esse complexus, & princeps inter literatos ab omnibus propemodum poneretur.

CAPUT SECUNDUM.

F

ORIGENIS DOGMATA.

Capitis secundi Prologus, & partitio.

PERVENIMUS jam ad ipsa Origenis dogmata, sive quæ reprehensiones experta aliquo modo defendi possunt; sive quæ sanæ Christianorum doctrinæ re ipsa minus consentanea omnem penitus respuunt excusationem: nec ea modo quæ culpari vulgo solent, sed quæ nos etiam ex attenta & diligenti lucubrationum ejus lectione excepimus. Alii quidem universos Origenis errores defendere qua jure, quaque injuria sunt aggressi; magnam hinc sibi spondentes laudem, si receptas de eo opiniones impugnarent;

neutiquam cogitantes se, dum in Origenem officiosi esse student, existimationi suæ ac pudori parum consulere. Nobis veritatem persequi propositum est, & Adamantium vel accusare, si ita res ferat, vel excusare, quoad patietur candor noster; sed ita tamen ut ad præstandum ipsi defensionis officium simus paratiores: quod triplici fere ratione facere instituimus, vel molli ac benigna interpretatione locis controversis adhibita; vel prolatis ex ipso Origene contrariis ac repugnantibus effatis; vel similibus Patrum adductis sententiis. Posterior uterque defensionis modus à nonnullis reprobatus est, & secundus quidem ab insigni ætatis nostræ Theologo, idcireo nimirum quod ex oppositis Origenis testimoniis concluditur solummodo diversa ipsum sensisse, non vero perversis opinionibus neutiquam adhæsisse. At non aliam tamen protegendi Adamantii commodiorem viam insistere se putavit Pamphilus in Apologetico. Nam cum ab Hæreticis violata esse constaret Origeniana volumina, si quæ sententiarum deprehendebatur varietas, merito in Hæreticorum fraudes varietatis caussa convertebatur. Præterea ut errasse Origenem demus, fatendum est saltem incertum animi in iis fuisse quæstionibus, & à pertinaciæ crimine longe abfuisse, quo uno satis purgatur. Tertia quoque tuendi Origenis ratio, quæ ex Patrum adstipulatione sumitur, repudiatur ab Hieronymo; qui, cum eodem pacto Origenem defendisset Johannes Hierosolymitanus, hæc scripsit ad Theophilum: *Novum defensionis genus, sic Origenis vitia non negare, ut cum illo cæteros crimineris. Videlicet quem aperte defendere non audeas, multorum simili errore tuearis.* Nempe non raro contigit, ut quod in Origene damnabat Hieronymus, ejus ipse reus teneretur. Id cum ipsi objicerent adversarii; purgari Origenem volebat, non suo aliorumque exemplo defendi. Quapropter Rufinus Invect. 1. ita loquentem inducit Hieronymum: *Omnes isti* (Patres) *ut Origenes erraverunt: sed accipiant erroris sui veniam, quia & ego aliquando erravi, & nunc pœnitentiam gero, sed veniam accipere debeo. Origenes vero cum eadem quæ ego dixerit, etiamsi pœnitentiam egit, veniam non accipiet: imo pro his quæ omnes diximus, solus ipse damnetur.* Si quando vero accusabatur Hieronymus ipse, Origenis patrocinium pro se ambire non dubitabat: sibi concedi volens, quod negabat Origeni. Merito itaque ait Rufinus Invect. 2. *Sive hoc fecit Origenes, sive non fecit, quid ad te? Si ad illius exemplum judicari vis, relege sententias tuas, & vide quid dixeris. Hoc non est, inquis, se purgare; sed socios criminis quærere. Noli ergo & tu socios criminis quærere, sed purgationem facti require.* Profecto hæc si criminationum eripiatur depulsio, legitimo & in ejusmodi controversiis receptissimo defensionis argumento carebimus, & à Patribus etiam post Hieronymum sæpe usurpato. Nam, ut alios sileam, numquid simili patrocinio Theodori Mopsuesteni caussam munivit Facundus, qui undecimum Operis sui librum conquisitis Patrum paribus sententiis totum refersit: *Statuimus*, inquit, *in hoc volumine magnorum virorum dicta proferre similia, ad excusandum difficiliora his pro quibus eum putaverunt, tamquam magistrum Nestorii, anathemate percellendum.* Et nunc in velitationibus adversus Heterodoxos, quid usitatius quam suffragio Patrum, & consensione pugnare? Triplici hoc ergo vallatus præsidio, prodeat tandem ad pugnam Origenes.

Hujus dogmata quæstionibus quatuordecim comprehendimus; I. est de Deo: II. de sanctissima Trinitate: III. de Christo, ejusque Incarnatione & ὑποστάσει. IV. de B. Maria Virgine: V. de Angelis bonis & malis: VI. de anima: VII. de libero arbitrio, gratia, & prædestinatione: VIII. de Astris: IX. de resurrectione mortuorum: X. de postremo judicio: XI. de pœnis & præmiis: XII. de mundo, Paradiso terrestri, & Adamo: XIII. de allegorica Scripturæ interpretatione: XIV. quæstiunculas aliquot quasi per saturam complectitur.

Hier. Epist. 62. c. 2.

QUÆSTIO PRIMA.

DE DEO.

I. *Utrum circumscriptam esse Dei potentiam Adamantius dixerit:* II. *quemadmodum ipsi à Patribus quibusdam objicitur:* III. *cui & nonnulli assensi sunt.* IV. *Ex Academia manavit isthæc doctrina.* V. *Utrum corporeum esse Deum ratus sit.* VI. *Ab hæreseos hujus suspicione vindicatur.* VII. *Objecta diluuntur.* VIII. *Multos hic error infecit.*

I. PRIMUM hoc nomine vapulat Adamantius, quod finitam esse ac terminis circumscriptam Dei potentiam crediderit, totque eum procreasse res, quot providentia sua continere & administrare poterat; tantam eum fecisse materiam, quantam valebat ornare, & in rerum formas dividere; tantum ipsum potuisse, quantum ei ad agendum materia ministrarit; nec in infinitum proferendam ejus potentiam, laudis obtentu;

A tentu: ne seipsam quippe à se intellectum iri nisi determinata foret, infinitum enim comprehendi non posse. Quotiescunque igitur Deum omnipotentem Origenes dixerit, res omnes quæ ab eo creatæ sunt in ejus esse potestate; non vero infinitum rerum numerum ab eo creari, & ad libitum regi posse intellexerit; hoc est, esse quidem eum παντοκράτορα, at παντοδύναμον non esse. Atque hæc sane sententia ex his ejus verbis satis extat: *Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, id est cœli & terræ, Solis & Lunæ, & Stellarum omniumque quæ in ipsis sunt.* Orig. lib. 1. de princip. cap. 2.

II. Itaque hoc ei crimen objicit Theophilus Alexandrinus in prima Paschali Epistola; cui testificando disertum profert è primo de principiis libro fragmentum Justinianus Imperator, quod in Latina Rufini interpretatione libro 2. cap. 2. non parum deformatum repe- Justin. in Epist. ad Men.
B ritur. Præterea idcirco mundum Deo coæternum credidisse illum refert Methodius apud Photium Cod. 235. quod semper fuerit παντοκράτωρ, minime autem παντοκράτορα esse posse ἄνευ τοῦ κρατουμένου. Unde sequitur omnipotentem esse, non quod omnia possit efficere, sed quod in omnia quæ sunt, potestatem habeat. Rufinus Palæstinus in libello de fide, quem edidit Sirmondus: *Impie*, inquit, *Origenes, ac nefarie fatus est, qui sic dixit: Non omnia quæ voluit Deus fecit, sed ea tantum quæ potuit continere, & comprehendere. Qui cum hoc dixit, ademit Domino cunctorum potentiam, quasi ex parte dimidia ei faciendi potestas daretur. Nam si continendi, ac sibi quæ faceret subjugandi non habet, ut ille æstimat, facultatem, ne creandi quidem scilicet potestatem habebit. Nam qui creandi facultatem habet, & subjugandi sibi creata similiter habebit.*

III. Vanum ergo Origeni patrocinium præbet Halloxius, id sibi velle Origenem prædi- Hall. lib. 4. Orig. def. Quæst. 6.
C cans, *cuncta Deo esse subjecta, & ejus omnipotentiæ in creando æqualem esse sapientiam in gubernando, ita ut nunquam fieri possit, ut tot tantaque creet, quin tot & tanta gubernare possit; ut sapientia gubernatoris æquiparetur potentiæ conditoris.* Quod si in eadem quæstione cespitantium numerus facere aliquid potest pro caussa Origenis, dabimus Petrum Abaëlardum, hominem inquieti ingenii, & novarum opinionum studiosi, qui libr. 3. Introduct. Theolog. cap. 5. ita disputat: *Quantum igitur æstimo, cum id tantum Deus facere possit, quod eum facere convenit, nec eum quidquam facere convenit, quod facere prætermittat, profecto id solum eum posse facere arbitror, quod quandoque facit: licet hæc nostra opinio paucos aut nullos habeat assentatores, & plurimum dictis Sanctorum, & aliquantulum à ratione dissentire videatur.* Dabimus & Gulielmum Parisiensem, qui plures à Deo mundos procreari posse negabat.

D IV. Videntur ea profecto è Veteris Academiæ orta decretis: docuit enim Plato, quem fere assectatur Adamantius, Deum esse ipsum animum mundi, omnia quæ in mundo sunt procurantem & administrantem. Cicero 1. Academ. Quæst. *Partes autem esse mundi* (putant Academici) *omnia quæ insint in eo, quæ natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna: nihil enim valentius esse à quo intereat. Quam vim animum esse dicunt mundi, eandemque essementem, sapientiamq; perfectam, quam Deum appellant, omniumque rerum quæ sunt ei subjectæ quasi prudentiam quandam, procurantem cœlestia maxime, deinde in terris ea quæ pertinent ad homines, quam interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter esse possit, atque ab ea constitutum sit.* Atqui rei uniuscujusque animus huic animandæ & regendæ par, vim suam ad plura animanda non potest exerere; intra rei enim sibi subjectæ terminos hæc ipsius vis cohi-
E betur. Animus ergo mundi, qui juxta Platonem Deus ipse est, potestatem suam ad aliud animandum extra mundum proferre non potest; igitur ne ad creandum quidem. Quapropter Plotinus nihil creare Deum posse decrevit, præterquam quod creavit. Plot. Enn. 5. lib. 5. cap. 12.

V. Deo corpus ab Origene adscriptum fuisse nonnulla persuadere possunt. Primum argumentatio illa, quam è libr. 3. περὶ ἀρχῶν adducit Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 3. qua animam corpore carituram demonstrare studet Adamantius, quia Sancti Deo similes futuri sunt, juxta illud Christi: *Ut quo modo ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint*; Joh. 17. 21. Deus autem est incorporeus. Quod ipsum reperire licet Homil. 1. in Genes. & libr. 6. contr. Cels. At ostendemus in sequentibus, animam licet incorporalem statuere videatur, talem tamen respectu crassiorum corporum ab eo prædicari, revera corpore præditam decer-
F ni; quemadmodum vel ex priore capite librorum de princip. perspicuum est, ubi vim vocis hujus, ἀσώματον exponens, accipi docet pro eo quod *non est simile huic nostro crassiori, & visibili corpori*, sed *quod est naturaliter subtile & velut aura tenue.* Deus igitur cui anima similis est, juxta Origenem reapse corporalis est, sed graviorum tantum ratione corporum incorporeus. Hieronymus præterea cap. 3. memoratæ ad Avitum Epistolæ ait, Origenem ad extremum libri 3. περὶ ἀρχῶν hæc intulisse: *Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa natura corporea redigatur in eam substantiam quæ omnibus melior est, in divinam scilicet qua nulla est melior.* Et sub finem ejusdem Epistolæ refert Origenem lib. 4. περὶ ἀρχῶν *conjungere omnes rationabiles naturas, id est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Angelos, Potestates, Dominationes, cæterasque Virtutes, ipsum quoque hominem secundum animæ dignitatem unius esse substantiæ.* Id ipsum ex ejus doctrina consequi probat Theophilus Alexandrinus 1. Pasch.

VI. Nihilominus tamen ab hac longe hæresi abfuisse ipsum aperte evincunt loci com- A plures; maxime vero caput 1. libri 1. περὶ ἀρχῶν, quo corpus omne à Deo apertissime segregatur. Demum post longam rei hujus probationem sic habet: *Omni igitur sensu, qui corporeum aliquod de Deo intelligi suggerit, prout potuimus, confutato, dicimus secundum veritatem quidem Deum incomprehensibilem atque inæstimabilem.* Deinde: *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid & inferius esse credatur; sed ut sit ex omni parte* μονὰς, *& ut ita dicam totus mens ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est:* & cap. 6. *Solius Dei, id est Patris & Filii, & Spiritus sancti naturæ id proprium est, ut sine materiali substantia, & absque ulla corporeæ adjectionis societate intelligatur subsistere:* & libr. 2. cap. 2. *Solius namque Trinitatis incorporea vita existere recte putabitur:* & libr. 4. cap. 2. *Illa vero substantia Trinitatis, quæ prin-* B *cipium est & causa omnium, ex qua omnia, & per quam omnia, & in qua omnia, neque corpus, neque in corpore esse credenda est.* Præclare vero cap. 4. sequenti: *Si corpus esse pronuntietur Deus, quoniam omne corpus ex materia est, invenietur & Deus esse ex materia: quod si ex materia sit, materia autem sine dubio corruptibilis est; erit ergo jam secundum illos corruptibilis Deus.* Quæ si quis à Rufino gratis inserta putet, eandem ratiocinationem iteratam ac dilatatam videat Tom. 14. in Joh. p. 214. 215. Item libr. 8. contr. Cels. sic ait: οὐδὲ γὰρ καθ' ἡμᾶς σῶμα ὁ Θεός. ἵνα μὴ φεκπέσωμεν εἰς πλείστους ἀτόπους οἱ τὰ ζήνωνος καὶ χρυσίππου φιλοσοφοῦντες. Denique in Catena Combefisiana ad Gen. 1. 26. & apud Theodoretum Quæst. 20. in Exod. Melitonem non perfunctorie castigat, qui librum scripserat hoc argumento, Deum esse corporeum. Sane ipse Plato, cujus dogmata fere amplexus est Origenes, à Deo corpus omne removet: remo- C vet & Aristoteles.

VII. Cum ait igitur Origenes animam corpore carituram, quia similis futura est Deo qui corpore caret, id sibi vult, Deum & animam corpore carere ὁμωνύμως quidem, sed non eodem modo; Deum quippe simpliciter & absolute esse incorporeum; animam vero crassiorum duntaxat corporum ratione. Quod autem objiciunt Theophilus & Hieronymus, Deum unius & ejusdem substantiæ ac res ratione præditas Adamantium posuisse, pari responsione dissolvitur; in eo illas convenire substantias, quod sint νοεραὶ & λογικαὶ, cum immensum cæteroquin differant. Firmat hanc responsionem locus ipse Origenis quem affert Hieronymus: *Intellectualem*, inquit, *rationabilemque naturam sentit Deus, & unigenitus Filius ejus, &* D *Spiritus sanctus; sentiunt Angeli, & Potestates, cæteræque Virtutes; sentit interior homo, qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus est. Ex quo concluditur, Deum & hæc quodammodo unius esse substantiæ. Quodammodo*, id est, aliqua ex parte; quod ad effugiendum sacrilegii crimen additum ait Hieronymus; nos benignius interpretari possumus.

VIII. Quæ cum ita sint, hæc tamen scribit Origenes in Procem. libror. περὶ ἀρχῶν: *Deus quoque quomodo intelligi debeat, inquirendum est, corporeus, an secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturæ quam corpora sunt, quod utique in prædicatione nostra manifeste non designatur.* Inde est quod Deum corporalem esse absque dubitatione decrevit Tertullianus, cum alibi, tum adversus Praxeam, cap. 7. *Quis enim negabit*, inquit, *Deum corpus esse, etsi spiritus est? spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed & invisibilia illa quæcunque sunt, habent apud Deum & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt; quanto magis* E *quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit?* Quæ quamvis manifesta sint, in contrariam tamen sententiam flectere conantur quidam, per corpus substantiam intelligi volentes. Quasi vero tam Latini sermonis imperitus fuerit, & vocabulorum inops Tertullianus, ut rem per se extantem notare volens, non aliter appellare potuerit, quam corpus. Idem de Deo senserunt Valentinus, Seleucus & Hermias Galatæ, Audius, & ejus asseclæ Audiani (quos alii subinde Vadianos perperam appellarunt) & Ægyptii Anthropomorphitæ, de quibus infra disseremus.

QVÆSTIO SECVNDA. F

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

I. *In multos circa S. Trinitatis mysterium errores incidisse fertur Origenes, quorum gravissimi notantur.* II. *Hoc nomine Patrum multorum reprehensiones expertus est.* III. *Utrum S. Trinitatis Personas substantia differre opinatus sit.* IV. *Nonnulla in ejus defensionem afferuntur.* V. *Eruitur germana ipsius sententia.* VI. *Utrum Filium per prolationem genitum esse arbitratus sit.* VII. *Utrum Filium Patre, Spiritum sanctum Filio inferiorem esse dixerit.* VIII. *ita ut jactatur à plurimis.* IX. *Utriusque dignitatem*

videtur

A *videtur nonnunquam tueri.* X. *Patrum multorum suffragio gaudet.* XI. *Recte eum de Filii & Spiritus sancti dignitate sensisse Patres nonnulli testantur.* XII. *Platonicis deliriis orthodoxam doctrinam oblimavit.* XIII. *Utrum Patrem primarium rerum conditorem, Filium vero secundarium & Patris ministrum crediderit.* XIV. *Vetustiorum aliquot Patrum consensu sublevatur.* XV. *Quo sensu Filium dixerit non esse absolute bonum,* XVI. *& non esse absolute veritatem.* XVII. *Utrum æqua sit multorum criminatio, Origenem dixisse querentium Patrem à Filio, Filium à Spiritu sancto videri non posse,* XVIII. *quam ab eo depellere conatur Rufinus.* XIX. *Utrum Filii cognitionem*
B *cognitione Patris, Spiritus sancti cognitionem cognitione Filii inferiorem dixerit,* XX. *quod aliquando videtur negasse.* XXI. *Utrum Filium & Spiritum sanctum existimaverit esse creatos,* XXII. *ut vulgo fertur.* XXIII. *Plurima culpæ huic elevandæ proponuntur.* XXIV. *Aperitur genuina Origenis sententia.* XXV. *Patres aliquot assentientes habet.* XXVI. *Quo sensu dixerit duo Seraphimos Isaiæ c. 6. v. 2. esse Christum, & Spiritum sanctum.* XXVII. *Crimini datur Origeni, quod dixerit Patrem rebus universis, Filium ratione præditis, Spiritum sanctum Sanctis duntaxat præesse:* XXVIII. *sed defenditur.* XXIX. *Utrum Filium non orandum esse pronuntiaverit.* XXX. *Utrum*
C *finxerit sibi Spiritum sanctum genus humanum redimere non potuisse.*

I. EX iis religionis Christianæ dogmatis quæ ab Origene tractata sunt; tractata sunt autem pæne universa; nullum æque commentis & opinationibus deformasse suis creditus & dictus est, ac illud quo sacrosanctæ Trinitatis mysterium continetur. Nam & Filii substantiam visus est à substantia Patris secernere; & Filium Patre, Spiritum sanctum Filio inferiorem ponere, adeo ut Pater à Filio, Filius à sancto Spiritu videri neutiquam possit, atque ita dignitatis & excellentiæ gradus in Trinitate statuere; Filium ac Spiritum sanctum in creatarum rerum ordinem detrudere; huic sanctorum, illi ratione pollentium procurationem, secluſa rerum aliarum administratione, assignare; orationibus no-
D stris Filium fraudare; redimendæ prolis humanæ potestatem Spiritui sancto detrahere; alia denique comminisci plurima, quibus substantiæ unitas, Personarum Trinitas, perfecta ipsarum invicem æqualitas violatur.

II. Quamobrem Augustinus, ac Justinianus deinceps in Epistola ad Menam pessime illum de Trinitate sensisse ac scripsisse conquesti sunt; Arianorum, Anomœorum, & Manichæorum patrem appellarunt Epiphanius, & Hieronymus; ipse quoque pertinacissimus Origenis assecla Rufinus multa in libris περὶ ἀρχῶν resecta à se fatetur, quibus Trinitatis majestas imminuebatur; & sexcentorum præterea, quos suis appellabimus locis, capitali hoc errore Origenes sibi reprehensiones conscivit. Ex novem certe criminationibus ipsi objici solitis, quas repræsentat & confutat Pamphili Apologia, ad Filium Dei, ipsiusque οἰκονομίαν per-
E tinent insigniores quinque. Nos singula quæque expendemus distincte, quoad fieri poterit, & in pauca contrahemus.

Augustin. Hær. 43. ad Quod vult d Epiph. Hær. 64. & in Ep. ad Ioh. Hierosol. Hier. Ep. 65. & lib. 1 Apol. adv. Ruf. cap. 2. Rufin. in Præf. ad l. περὶ ἀρχ. S. Thom. part. 1. quæst. 32. a. 1. Fulg. Resp. ad object. 7 Arianor.

III. Ordiamur primum ab eo crimine, cujus Origenem compellat S. Thomas, dixisse ipsum asseverans *Patrem & Filium secundum substantiam differre*; quæ mera fuit Arianorum hæresis, tres in Trinitate naturas ac substantias fingentium, unde Triusiani appellantur à Fulgentio. Loca Origenis quibus id continetur dogma non indicavit Thomas. Hæc certe legimus Tom. 2. in Johann. p. 70. ἐπεὶ ὃ φῶς ἁπαξαπλῶς ἐνταῦθα μὴν ὁ σωτὴρ, οὐ δὴ τὴν καθολικὴν τοῦ αὐτοῦ Ἰωάννου θεολογίαν λέγειν ὁ θεὸς ἦν φῶς, ὁ μήν τις οὐκ ἂν κατασκευάζοιτο τὴν οὐσίαν μὴ διεστηκέναι τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα. Hinc concludat aliquis aliam Patri substantiam, aliam Filio Origenem tribuisse. At id certe satis clarum non est, nam hic negat simpliciter colligi posse ex his
F duobus Johannis locis Patrem à Filio non differre substantia; minime vero negat non differre. Vidit id Ferrarius Origenis Interpres, & adnotavit. Apertius loci patefieri videtur sensus ex sequentibus, in quibus ait Origenes futurum ut qui cautius attenderit, & saniora proloqui voluerit, dicat Patrem qui lux est, eatenus differre à Filio qui lux est similiter, quatenus lux Filius lucet in tenebris, & ab ipsis oppugnatur; cum nempe assumta natura humana inferiorem se gesserit paterna luce, quæ non lucet in tenebris: ᾧ γὰρ λόγῳ, inquit pag. 73. ὁ πατὴρ μόνῳ ἔχει ἀθανασίαν, τὸ κυρίως ἡμῖν δοξαζόμενον φιλανθρωπίαν θάνατον τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀνειληφότος. οὕτω ὁ πατὴρ ἔχει μόνῳ τὸ σκοτία οὐ αὐτῷ οὐκ ἔστιν ἀσθενία, τῷ χριστῷ δοξαζόμενον τὴν τοῦ ἀνθρώπου ἐνεργησίαν ἐφ' αὐτὸν ἡμῶν σκοτίας ἀναδεδεγμένου.

Sed vereor tamen ne de Platonicæ doctrinæ narthecio depromta ista sint. Docebat siquidem Plato ταγαθὸν, sive Deum Patrem creasse νῦν, mundo proximum, qui qua parte respi-

respiciebat Patrem, ejus erat similis, secus qua inferiora. Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. cap. 14. ex sententia Platonis sic disserit: *Deus qui prima caussa & est & vocatur, unus omnium quæque sunt, quæque videntur esse, princeps & origo est. Hic superabundanti majestatis fœcunditate de se mentem creavit. Hæc mens quæ νοῦς vocatur, qua Patrem inspicit, plenam similitudinem servat Auctoris, animam vero de se creat posteriora respiciens.* Mundi hujus effectorem esse νοῦν Pythagorei affirmabant. Ab his non abludit Origenes, cum Patrem ait non lucere in tenebris, Filium vero Patre esse inferiorem, quatenus in tenebris lucet, ab iisque oppugnatur; cum res nimirum ab eo procreatæ, ac homines præcipue beneficiorum immemores, Auctoris sui leges ac mandata contemnunt. A

Difficilior etiam est locorum solutio, qui extant libr. 8. contr. Cels. εἰ δέ τις περισπασθήσεται, μή πη ἀνθομολήσῃ πρὸς τὰς ἀναιρετικὰς δύο ἓν ὑποστάσεις πατέρα καὶ υἱὸν, ἐπισκοπείτω τῷ λόγῳ ὃ πάντων τῶν πιστευσάντων ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία, ἵνα θεωρήσῃ τὸ· ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· & deinde: θησαυρίζομεν οὖν τὸν πατέρα τῆς ἀληθείας, καὶ τὸν υἱὸν τὸ ἀλήθειαν, ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ καὶ τῇ συμφωνίᾳ & τῇ ταυτότητι τῆς βουλήματος. Patrem & Filium duo esse ait ὑποστάσει, unum consensu & concordia. Atqui ὑπόστασις pro οὐσίᾳ priscis temporibus solebat usurpari ab Ethnicis & Christianis. Hieronymus Epist. 57. ad Damas. *Tota secularium literarum schola nihil aliud ὑπόστασιν nisi οὐσίαν novit.* Ita sumserunt Nicæni Patres, ita Sardicenses. Ita & sumsisse Origenem verisimile est. Tomo quidem primo in Johannem p. 27. sic loquitur de Valentinianis: διέμβροι φοροραὶ παλαικὴν, οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένου ἓξ τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ μὴ τάτο ὑπόστασιν αὐτῷ εἰ ἀκριβῶς αὐτῷ πιθανοίμεθα, οὐδὲ δώσουσιν, οὐδὲ οὐσίαν αὐτὸ σαφηνίζουσιν. Ubi ὑπόστασιν ab οὐσίᾳ distinguit quidem, at non sumit pro persona, sed pro *subsistentia*; personam quippe proprio vocabulo ἰδιότητα alias appellat. Præterea cum unum esse consensu & concordia dixerit Patrem & Filium, postquam docuit duos esse hypostasi, plane ὑποστάσεως vocabulum videtur notandæ substantiæ adhibuisse: nam si priore loco duos esse significasset quoad personas, adjecisset profecto unum esse quoad οὐσίαν. At cum unum esse scripserit consensu duntaxat, aliam omnem videtur respuisse unitatem, & duos quoad οὐσίαν credidisse. Antiochenus ille conventus in Encæniis celebratus anno 341. in Expositione fidei Ecclesiasticæ, quam Expositionem referunt Athanasius & Hilarius in libris de Synodis contra Arianos, consimili locutione utitur: *Manifesta utique*, inquit, *Patris, vere Patris; certaque Filii, vere Filii; notaque Spiritus sancti, vere Spiritus sancti: hisque nominibus non simpliciter, neque otiosis propositis, sed significantibus diligenter propriam uniuscujusq; nominatorum substantiam, & ordinem, & gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum.* ὡς ἓν τῇ μιᾷ ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν. Diceres postrema hæc ex Origene depromta: quæ tamen excusavit & emollivit Hilarius, cum diceret non adversus eos coactam fuisse Synodum, qui Patrem & Filium & Spiritum sanctum substantia differre scisciterent, sed adversus eos qui unam in Trinitate personam, Patrem scilicet, sed tribus distinctam nominibus post Synodi Nicænæ tempora statuebant. Quibus ut occurrerent Antiocheni, *tres substantias esse dixerunt* (verba sunt Hilarii, ὑποστάσεις pro more suo substantias interpretantis) *subsistentium personas per substantias edocentes, non substantiam Patris & Filii & Spiritus sancti diversitate dissimilis essentiæ separantes.* Tum subjungit: *Quod autem dictum est, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum, non habet calumniam. Quia cognominato Spiritu, id est Paracleto, consonantiæ potius quam essentiæ per similitudinem substantiæ prædicari convenit unitatem.* Auctor libri de Trinitate, qui Novatiano adscribitur, & inter Tertulliani opera vulgo habetur, cap. 22. adversus eandem hæresim disputans, quæ Filium à Patre nomine solo differre decernebat, iisdem pæne verbis, eadem certe sententia usus est ac Antiochenum Concilium. Sic enim locum illum Johannis exponit: *Ego & Pater unum sumus. Vnum*, inquit, *neutraliter positum societatem concordiæ, non unitatem personæ sonat. Vnum enim non unus esse dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, sed ad societatem alterius expromitur. Denique adjicit dicens; Sumus, non sum, ut ostenderet per hoc quod dixit; Sumus & Pater, duas esse personas. Vnum autem quod ait, ad concordiam & eandem sententiam, & ad ipsam charitatis societatem pertinet, ut merito unum sit Pater & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem.* Jam vero Auctoris hujus & Hilarii rectane sit sententia & locutio, non disquiro. B C D E F

Sed quid defensionem præbere conamur Origeni, cum suam ipse caussam prodat tom. 2. in Johan. p. 56. ubi quemdam impugnans δογματίζοντα μηδὲ οὐσίαν τινὰ ἰδίαν ὑφεστάναι τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἑτέραν παρὰ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν, distinctionem ait, Filium inter & Spiritum sanctum ostendi his verbis: *Qui verbum dixerit in Filium hominis, dimittetur ei: qui autem blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non dimittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro.* Deinde addit: ἡμεῖς μέν, οὐχὶ πρεῖς ὑποστάσεις πειθάρχοι τυγχάνειν, τὸν πατέρα, & υἱὸν, (quæ duo vocabula per Typographi incuriam prætermissa sunt) καὶ ἅγιον πνεῦμα. Quibus significat ab eo qui unicam in Trinitate οὐσίας ponit, se dissentire, & tres ὑποστάσεις admittere, hoc est tres οὐσίας. Nam si ἰδιότητας, hoc est *personas* hic signaret vox ὑποστάσεις, neutiquam exprimeret dissensionem suam ab eo qui unius οὐσίας Trinitatem esse volebat. Matth. 12. 32.

IV. Alias

A IV. Alias quidem orthodoxa nonnunquam videtur esse prolocutus, sed ea è Rufini Interpretis, Origenianos errores celare volentis, officina prodiisse vehemens suspicio est. Talis ille locus est Homil. 14. in Num. *Est ergo hæc trium distinctio Personarum, in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, quæ ad pluralem puteorum numerum revocatur. Sed horum puteorum unus est fons: una enim substantia est & natura Trinitatis*: & hic etiam è libr. 4. in Epist. ad Rom. *Fidere autem dicimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, qui integram substantiam, plenam, perfectam, qui nihil diversum, nil discrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur*: & ille è libr. 5. *Nec rapinam ducit (Christus) esse se æqualem Deo; hoc est, non sibi magni aliquid deputat, quod ipse quidem æqualis Deo, & unum cum Patre est*: & è iste libr. 7. *Si ergo Filius Dei super omnes dicitur, Deus autem Pater est ex quo omnia, evidenter ostenditur natura Trinitatis & substantia una, quæ est super*
B *omnia*: & hic quoq; libr. è 8. *Sunt enim nonnulli qui annuntiant quidem de Patre, & Filio, & Spiritu sancto non sincere, non integre, ut sunt omnes Hæretici, qui Patrem quidem, & Filium, & Spiritum sanctum annuntiant, sed non bene, nō fideliter annuntiant. Aut enim male separant Filium à Patre, ut alterius naturæ Patrem, alterius Filium dicant; aut male confundunt, ut ex tribus compositum Deum vel trinæ tantummodo appellationis in eo esse vocabulum putent. Qui autē bene annuntiat bona, proprietates quidem Patri, & Filio, & Spiritui sancto suas cuique dabit; nihil autem diversitatis esse confitebitur in natura vel substantia*: nec non & ille è libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap 2. *Secundæ vero comparationi imago Filii Dei, de qua nunc sermo est, comparari potest, & secundum hoc quod invisibilis Dei imago invisibilis est, sicut secundum historiam dictimus similitudinem Adæ filium Seth; ita enim scriptum est: Et genuit Adam Seth secundum imaginem suam, & secundum speciem suam. Quæ imago*
C *etiam naturæ ac substantiæ Patris & Filii continet unitatem*: & è capite sequenti, quem recitat Pamphilus in Apologia: *Quod si esset, numquam utique in unitate Trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis, & Filii ejus, etiam ipse Spiritus sanctus haberetur*: & iste etiam è c. 5. *Non enim Trinitatis natura habere aliquid compositionis ostensa est*: & hic è lib. 3. c. 6. *Id quod unum est Filius cum Patre, ad naturæ proprietatem referendum fidei veritas docet*: & iste præterea è libr. 4. in Anacephalæosi: *Veritas, vita, sapientia, idem sunt ac Christus: Christus idem ac Pater. Quæ quamvis intellectu multa esse dicantur; re tamen & substantia unum sunt, in quibus plenitudo est divinitatis*: cui & hic indidem adjungendus: *Non enim dicimus, sicut Hæretici putant, Patris aliquam substantiam Dei in Filium versam, aut ex nullis subsistentibus Filium procreatum à Patre, id est, extra substantiam suam, ut fuerit aliquando, quando non fuerit.* Nihil esset ad Trinitatis laudem clarius, si non, ut
D dixi, suspecta ea faceret fluxa Rufini Interpretis fides. Utilia quoque hæc esse Origeni putaverit aliquis, quæ leguntur Tom. 2. in Johann. p. 57. εἰ ὃ κατ' ἠσαΐαν φησὶν ὁ πύελος ἡμῶν τὸν πατρὸς ἀπεσκάλθαι κρᾶ τὸ πνεῦμα· ἀπὸ. ἔστι καὶ ἐνταῦθα περὶ τοῦ σαλέντος τὴν χεῖρα ὸν πνεύματος ὁμολογήσαντος, ὡς οὐσίᾳ διαφέροντος, ἀλλὰ διὰ τῶν ἡρωμένων οἰκονομίαν τὴν ἐναν θρωπήσεως τοῦ υἱοῦ θεοῦ ἐλαττωθέντος παρ' αὐτὸ τοῦ πατρός. At cum Spiritum sanctum ait non esse φύσει διαφέροντα, minime significat *natura non differre*, quod putavit Perionius, sed *natura non præstare.*

V. Validior ille locus ex eodem Tomo in Johann. p. 46 ubi adversus quosdam invehitur, ἀρνεμένους τὸν θεότητα τοῦ υἱοῦ, τι θέντας ὃ ἀπὸ τῶν ἰδιότητα, καὶ τῶν οὐσία καὶ ἀπεχαρίσ τυγχάνουσαν ἑτέραν τοῦ πατρός· Filium qui splendor gloriæ, & figura substantiæ paternæ appellatur Ebr. 1, 3. id esse censebat
E ratione Patris, quod est radius respectu Solis, At qui solaris radius Sole licet inferior, ejusdem tamen est substantiæ ac Sol ipse; nam substantiæ solaris effluvium quoddam est & particula, sed tamen non est una numero & eadem substantia. Hic ergo culpat Hæreticos substantiam Filii à Patris substantia penitus, & καὶ ἀπεχαρίσ secernentes, & ab hac illam emanasse negantes; at in allatis superius testimoniis Filium inficiatur unius numero ac ejusdem esse ac Patrem substantiæ. Vera hæc est & germana Origenis opinio. Hinc conciliantur ἐναντιοφανῆ ista Epiphanii Hær. 64. cap. 4. ἐκ τῆ οὐσίας τοῦ πατρὸς τοῦτ' (υἱὸν) εἰσηγεῖτ' *Ex substantia Patris eum* (Filium) *esse arbitratur*: cum illis è cap. 8. ἐν πολλοῖς τόποις ἐυρομεν αὐτὸν μονογλῶ θεὸν ἀπαλλοτρίωλα τοῦ πατρὸς θεότητός τε καὶ οὐσίας, ὁμῶ τε καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Multis in locis invenimus eum Unigenitum Deum segregantem à Patris divinitate & substantia, simul vero & Spiritum sanctum.* Quod si genuina hæc est
F Origenis sententia, quam proponimus; parum ea certe perspecta fuerit Athanasio; cum ait: περὶ δὲ τοῦ αἰδίως συνεῖναι τὸν λόγον τῷ πατρὶ, καὶ μὴ ἑτέρας οὐσίας ἢ ὑπος ἀσεως· ἀλλὰ τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτοῦ ὄν, ὡς εἰρήκασιν οἱ ἐν τῇ συνόδῳ, ἐξέσω πάλιν ἡμᾶς ἀκῆσαι, καὶ ὧδε τοῦ φιλεπόνου ὠεριγένους· *Athan. De Decret. Nycenæ Synod.* *Verbum autem ab æterno esse cum Patre, nec esse alterius essentiæ vel substantiæ, sed substantiæ Patris proprium illum esse, quemadmodum dixerunt qui interfuerunt Synodo, licet nobis iterum audire ex laborioso Origene.* Non nego hæc dixisse Origenem; at eo sensu dixisse, quo Nicæna dixit Synodus, id vero fateri non possum. Frustra igitur ad purgandum Origenem, afficta illi & scriptis ejus inserta esse dicit Rufinus, quæcunque hanc hæresim sapiunt. *Numquid*, inquit, *in eodem Opere ejusdem libri interdum, ut diximus, statim in consequenti capitulo oblitus sui esse potuit? Verbi caussa, ut qui Patrem & Filium unius substantiæ, quod Græce ὁμοούσιον dicitur, designavit, in consequentibus statim capitulis alterius substantiæ & creatum poterat dicere eum, quem paulo ante de ipsa natura Dei Patris pronuntiaverat natum?* *Rufin. in libell. de adult. libr. Origen.*

VI. Sic exposita Origenis doctrina, exploduntur nonnulli à quibus accusatum fuisse Origenem scribit Pamphilus in Apolog. quod Filium Dei per prolationem in substantiam venisse dixerit. Mirum certe est hoc ei crimen objici, quod in aliis sæpe ipse carpit ac diserte. Nam præter ea quæ affert Pamphilus testimonia, insigne quoq; illud est è Tom. 1. in Joh. p. 23. & 24. καὶ ἔστιν ἄξιον ἐπισῆσαι τοῖς τὰ τοσοῦτα τῶν ὀνομαζομένων παραπεμπομένοις, καὶ τούτῳ ὡς ἐξαιρέτῳ χρωμένοις, καὶ πάλιν ἐπ' ἐκείνων μὲν δίκησιν ζητῆσαι, εἰ τις αὐτοῖς πεσθάνοι αὐτὰ ἐπὶ δὲ τούτων ὡς σαφῶς πεφυσιωμένοις τό τίποτέ ἐστιν ὁ υἱὸς τῷ θεῷ λόγῳ ὀνομαζόμενος καὶ μάλιστα ἐπεὶ συνεχῶς χρῶνται τῷ ἐξερεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθὸν, διόμενοι πεφορᾶν πατρικὸν, οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένῳ τῷ ὁμοουσίῳ τῷ θεῷ καὶ λατρεύοντας ὑπόστασιν αὐτῷ. εἰ ἀκριβῶς αὐτῶν πυνθάνοι μεθ' ὑποδάσιν ἂν δείσαιεν ἀποσαφηνίζεσθαι. Atque hæc vasania fuit Valentinianorum, Marcosiorum, aliorumque Hæreticorum, quibus perpetuum Origenes bellum indixit. Fuit & Tertulliani, & Lactantii, & Pauli Samosateni. Nec dissimulandum tamen hic aliquid esse peccatum ab Origene, quod *Verbi* vocabulum non aliter ad Filium pertinere putet, quam vel *Lucis*, vel *Pastoris*, & aliorum quæ commemorat. Id falsum est, nam vox *Verbum* hypostasin illius proprie distinguit, & substantiæ ipsius divinæ significationem involvit.

VII. Quam proxime usurpavimus solaris radii comparationem, cum Origenis de generatione Filii sententiam explicaremus, eadem nunc hic & alias quoque repetetur inferius: nulla enim est ad evolvenda Origenis de Trinitate dogmata accommodatior. Quanto igitur radiis ex immenso lucis suæ penu emissis nobilior est Sol ipse, & dignitate superior; tanto nobiliorem esse ac superiorem Filio Patrem censuit Origenes, passimque perditam hanc & damnosam scriptis affudit hæresim, unde in Arium, Ariique partiarios transmissa est; fortasse & in Donatistas, qui *quamvis ejusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putarunt Spiritum sanctum*, ut discimus ex Augustino in libro De hæresibus ad Quodvultdeum, Hær. 69. & Epist. 50. Longum esset ex singulis Adamantii scriptionibus, quæcunque peste hæc efflata sunt, seligere. Consulamus brevitati, & excutiamus potissimum Commentarios in Johannem, in quibus Filii dignitatem ex instituto explicandam suscepit. Primum se dat locus ille è Tom. 2. pag. 49. λοῦ γὰρ ὁ θεὸς καὶ θεὸς, εἶτα θεοὶ δηλῶν, ὧν τὸν κρείττονα Ἰσραὴλ ὑπερέχει ὁ θεὸς λόγος, ὑπερέχομεν ὑπὸ τὸν ὅλων θεόν. Sequatur iste è Tomo eodem pag. 56. ὅτω τόνυν καὶ ἐνθάδε εἰ πάντα δι' αὐτοῦ ὁ λόγος ἐγένετο, ἐχ' ὑπὸ τὸν λόγον ἐγένετο, ἀλλ' ὑπὸ κρείττονα καὶ μείζονα τοῦτον ὁ λόγος· τίς δ' ἂν ἄλλος εἴη τυγχάνει ἢ ὁ πατήρ; Minime hic locum habet vulgata responsio, inferiorem Patre esse Filium, humanitatis ratione, non divinitatis, juxta Johann. 14. 28. *Pater major me est*, unde hæresim suam conflavit Arius: ecquænam enim illic humanitatis Filii ratio, ubi vel de rerum creatione, vel de æterna Verbi generatione agitur? Apertiora etiam hæc è Tomo eodem pag. 70. πείζων δὲ τὸ λεγόμενον τοῦτο τὸ φῶς, φῶς ἀληθινὸν, ὃ ὁ λόγος ὁ πατὴρ τῆς ἀληθείας θεὸς πλείων ἐστὶ καὶ μείζων ἀληθείας, καὶ ὁ πατὴρ ὧν σοφίας κρείττων ἐστὶ καὶ διαφέρων, ἡ σοφία, τέτῳ ὑπερέχει τοῦ φῶς ἀληθινόν· & hæc è Tomo 13. pag. 218. ἀλλ' ὅμως τοῦ τοσούτων καὶ τηλικούτων ὑπερέχων οὐσίᾳ καὶ πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει καὶ θεότητι· ἔμψυχος γάρ ἐστι λόγος καὶ σοφία· ὁ συγκείνης κατ' εἰκόνα τοῦ πατρὸς εἰκὼν γάρ ἐστι τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, καὶ ἀπαύγασμα, ὃ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τῆς δόξης αὐτοῦ, καὶ τοῦ φωτὸς αὐτοῦ, καὶ ἀπόρροια εἰλικρινὴς τοῦ παντοκρατορικῆς δόξης αὐτοῦ, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ· διὸ καὶ ἐσόπτρου παῦλος καὶ πέτρος, καὶ οἱ θεοπλήσιοι αὐτοῖς βλέπουσι τὸν θεὸν λόγον· ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα τὸν πέμψαντά με. Quæ cum noxia esse intelligeret Ferrarius Interpres, in gratiam Auctoris sui Lectorem fefellit, & cui nullam poterat excusationem oblinere, locum in Interpretatione sua prætermisit. Eodem laborant ista vitio è Tom. 32. ζητῶ δὲ εἰ ἔνεστι δοξασθῆναι τὸν θεὸν πρὸς τὸ δοξάζεσθαι ἐν υἱῷ, ὡς ἀποδεδώκαμεν, μειζόνως αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ δοξαζόμενον, ὅτε ἐν τῇ ἑαυτοῦ γινόμενον θεωπῇ, ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ γνώσει, καὶ τῇ ἑαυτοῦ θεωρίᾳ, ὅση μείζονι τοῦ ἐν υἱῷ θεωρίας, ὡς ὅτι θεὸς χρὴ νοεῖν τὰ τοιαῦτα, θεὶ λέγειν ὅτι ἐυφραίνει ἀφαλόν τινα ἐυαρέστησιν. Nec sincera quæ insunt Tomo 8. contr. Cels. ἔστω δὲ τινας ὧν πίστει πιστευόντων καὶ δηλομένων διαφωνίαν, διὰ τὴν προπέτειαν τοῦ θεοῦ τοῦ σωτῆρος τῶν ἐπὶ πᾶσι θεόν· ἀλλ' ὅτι γε ἡμεῖς τοιοῦτον, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με, μείζων μού ἐστιν· His vulgatam ex Athanasio responsionem subjicit Hœschelius: οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὸν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς γέννησιν. *Non magnitudine aliqua, nec tempore, sed propter generationem ex ipso Patre*: & alteram hanc: ὡς θεὸς θεῷ ἐχ· ὡς πατὴρ δὲ υἱῷ ἐνανθρωπήσαντι· *Non ut Deus Deo, sed ut Pater Filio, qui humanam suscepit naturam.* At ea, ut vere dicam, parum ad rem. Affirmabant quidam, Christum esse universorum Deum, idque vere & orthodoxe. Pertinet illud sane ad divinam Christi naturam, non ad humanam. Negat è contrario Origenes Servatorem esse universorum Deum, quod inde probat, quia Patre minor sit, qui est universorum Deus. Divinæ ergo Christi naturæ detrahit supremam illam θεότητα supra res universas, & Patri addicit; proindeque μεγέθει τινὶ, & ut Deum Deo, inferiorem Patre Filium statuit, non ut hominem Deo. Leontius Byzantinus Scholiorum Actione 10. ad convincendum erroris hujus Origenem ista adducit verba ex quadam ipsius Epistola: ὁ υἱὸς ἢ μείζων ἐστὶ τοῦ πατρὸς, ἢ ἐλάττων, ἢ ἴσος

A ἢ ὁ Υἱὸς. εἰ δὲ μείζων ὅτι υἱός ἐστιν, υἱὸς δὲ ὁ Υἱός, δῆλον ὅτι ἐλάττων ἐστίν. Postremo cum dixerit superius Patrem essentia, dignitate, virtute, divinitate, bonitate, & sapientia præstare Filio, idem quoquè scisciit de scientia Tract. 30. in Matth. *Forsitan autem & quod ait nescire se diem consummationis & horam, ante dispensationem suam dixit quia nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi solus Pater. Post dispensationem autem impletam nequaquam hoc dixit, postquam Deus illum superexaltavit, & donavit ei nomen quod est super omne nomen: nam postea & Filius cognovit scientiam à Patre suscipiens, etiam de die consummationis & hora, ut jam non solum Pater sciret de ea, sed etiam Filius.* Quasi Christus nonnisi post mortem obitam cognitionem hanc à Patre acceperit. At sanior est, quæ paulo post sequitur loci ejusdem expositio, eatenus nempe horam hanc ignorasse Christum, quatenus ipsam Ecclesia, quæ corpus Christi est, ignorat. Huc addendam censeat aliquis longam disputationem ex initio Tomi 2. in Johann. p. 46. & seq. in qua
B vocem Θεὸς articulo suo conjunctam distinguit Origenes à voce Θεὸς eodem articulo destituta, atque hanc deputat Filio, illam Patri: unde opinati sunt quidam aliam ipsum Deitatem adscripsisse Patri, ac præstantiorem; inferiorem vero Filio. Quapropter ea Genebrardus ab Arianis assuta fuisse censebat. At cum ea tamen dextre accipi posse agnoscat, & Nos quoque in Observationibus demonstraturi simus, cur loco huic falsi apponamus notam, causa nulla est. At manifeste sanctum Spiritum honore suo ac dignitate fraudare conatur Origenes Tom. 13. in Johann. pag. 218. his verbis: πρὸς ὃν βουλόμενον ὑπερδοξάζειν τὸν υἱὸν, πάντων μὲν τῶν γενητῶν ὑπερέχειν, ὡς συγκείσει, ἀλλ' ὑπερβαλλούσῃ ὑπεροχῇ φαμὲν τὸν σωτῆρα, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὑπερεχόμενον τοσοῦτον, ἢ καὶ πλέον δοκοῦν πρὸς ὅσον ὑπερέχει αὐτὸς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα τῶν λοιπῶν, ὡς τὸν τυχόντων. Spiritum sanctum illic infra Patrem deprimit: Filio vero posthabet Tom. 2. in Johann. p. 58.
C Ταῦτα ὁ ἀπόστολος ἐξήτασεν σαφέστερον ἐν οἷς βουλόμενος, πῶς, εἰ πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ τὸ πνεῦμα δι' αὐτοῦ λόγῳ ἐγένετο, ἓν τῶν πάντων τυγχάνον ὑποδεέστερον τοῦ δι' οὗ ἐγένετο νοούμενον, εἰ καὶ λέξεις τινὲς περισπῶσιν ἡμᾶς εἰς τὸ ὀναλίσκον δοκοῦσιν.

VIII. Læsæ Christi majestatis reum Origenem peragit Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 1. ubi libri primi περὶ ἀρχῶν deliria commemorans, dixisse illum notat, *Christum collatione Patris splendorem esse perparvum, qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse videatur.* Deinde addit: *Duarum statuarum, majoris & parvulæ; unius quæ mundum impleat, & magnitudine sua quodammodo invisibilis sit; & alterius quæ sub oculos cadat, ponit exemplum; priori Patrem, posteriori Filium comparans.* Justinianus in Epistola ad Menam gradus in Trinitate posuisse ipsum ait, & Patrem Filio majorem finxisse: tum ex ipsis Origenis verbis accusationem suam com-
D probat. Et quid reliquos commemorare attinet, cum par sit Scriptorum fere omnium querela, quotquot in ejus recensendis erroribus operam aliquam posuerunt? Non minoribus doctrina ejus de Spiritu sancto insimulationibus & convitiis prosciſſa est à Theophilo, Epiphanio, & præter alios à Basilio, qui Origenem de Spiritu sancto male sentientem, si quando recte locutus est, vi consuetudinis & traditionis victum fuisse scribit. Ejusdem etiam noxæ arcessivit Dionysium Alexandrinum Origenis discipulum: adeo ut ex Adamantii schola primi omnium adversus Spiritum sanctum errores videantur extitisse. Ad aliorum criminationes adjicit Hieronymus, dixisse illum Patris & Filii ministrum esse Spiritum sanctum: & Justinianus in fine Epistolæ suæ ad Menam Origenem ait Filium & Spiritum sanctum appellasse λειτουργικὰ ζῶα, *ministratoria animalia.*

Basil. libr. De Spir. sanct. c. 29.
Idem Ep. 41
Hier. lib. 2. Apol. ad v. Ruf. c. 3.

E IX. Multa quidem contra hæc in gratiam Origenis obtendi possunt, quibus orthodoxam de Verbi dignitate sententiam tueri visus est: sed ea fere è libris depromta quæ Rufinum Interpretem habent, propterea que dubiæ sunt fidei, & interpolata credi possunt. Afferemus tamen singula, ne causam Origenis deseruisse videamur. Ac primum de Christo hæc leguntur Hom. 4. in Gen. *Formam namque servi accepit, & cum ipse invisibilis sit naturæ, utpote æqualis Patri, habitum tamen visibilem suscepit:* & ista libro 7. in Epist. Paul. ad Rom. *Et ideo non ad injuriam dicitur, quia Prophetis subjecti sunt spiritus, sed ad dispensationem; sicut & illud dictum accepimus à Salvatore, quia tunc & ipse Filius subjectus erit ei qui sibi subdidit omnia. Et hic enim subjectus non quasi inferior dicitur. Quomodo enim inferior dici poterat, qui Filius & omnia est quæ Pater? Omnia enim, inquit, Pater tua, mea sunt.* Quin etiam libr. 1. περὶ ἀρχῶν,
F cap. 2. eamdem esse docet Patris & Filii potentiam, bonitatem eamdem. Quod autem Servatorem universorum esse Deum negavit libr. 8. contr. Cels. huic illud opponi potest è Præfat. Comment. in Johann. ὑστερητέον δὲ, ὡς τὸ μὲν τοῦ πατέρα τῶν ὅλων Θεὸν λόγον, ὡς ἔνεστιν ἐλάττων ἀγαθὸς καὶ τοῦτο τὸ ἀγαθόν. Cum enim omnia habeat à Patre Filius, acceptum Patri refert universorum esse Deus. Rerum igitur universarum Deus est Pater à se; Filius earumdem rerum Deus est à Patre. Cum Servatorem ergo universorum Deum esse negat, Deum intellige à se, seu αὐτόθεον. Cum eumdem universorum Deum esse asserit, Deum intellige à Patre, sive Deum de Deo. Facit etiam pro Origene, quod maxima locorum illorum, quibus Filii majestatem imminuit, pars è Commentariis in Johannem est profecta, quos adversus Marcionistam Heracleonem scripserat. Id autem erat sectæ hujus delirium, Opifi-

cem mundi Deum alium esse à Deo Christi Patre, ipsoque ac Christo inferiorem. Quo facilius commentum ejusmodi profligaret Origenes, contrariam abstruxit sententiam, probavitque mundi Opificem Deum Christo majorem esse ac superiorem. De Spiritu sancto orthodoxa eum sentire credas in Proœmio libror. περὶ ἀρχῶν, cum ait: *Tum deinde honore & dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt* (Apostoli) *Spiritum sanctum*. Verum levia sunt, ut dixi, quæ petuntur ex operibus à Rufino interpretatis testimonia: præcipue vero ex libris περὶ ἀρχῶν, in quibus errores circa Trinitatem admissos emendare conatus est. Quamobrem ficulnea quoque est loci illius tutela, è libro 1. hujus Operis, cap. 1. *Porro autem nihil in Trinitate majus minusve dicendum est*: & hujus, è libr. 2. cap. 2. *Origo & fons Filii, vel Spiritus sancti, Pater est, & nihil in iis anterius, posteriusve intelligi potest*. Nec gravioris isthæc pro Origene momenti è libr. 7. in Epist. ad Rom. *Est ergo Christus Deus super omnia. Quæ omnia? illa sine dubio quæ & paulo ante diximus, super Principatus, & Potestates, & Virtutes, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo sed etiam in futuro. Qui autem super omnes est, super se neminem habet: non enim post Patrem ipse, sed de Patre. Hoc autem (id est Sapientia Dei) etiam de sancto Spiritu intelligi debet, ubi dicit: Spiritus Domini replevit orbem terrarum; & Qui continet omnia, scientiam habet vocis.* A B

X. Favorabilior erit pro Origenianis partibus præscriptio, quæ ex paribus in eodem argumento Patrum aliorum locutionibus peti potest. Inter Christianos quippe Doctores, qui ante Nicænam floruerunt Synodum, multi de Trinitatis mysterio parum caute locuti sunt. Insincera certe fuit Tatiani, & Tatiano vetustioris Justini de Trinitate doctrina. In eamdem venit criminationem Pseudo-Clemens, venit & Theophilus Antiochenus. Indigna vero, & intoleranda profuderunt Tertullianus & Lactantius; Clemens quoque, Dionysius, & Pierius, Alexandrini: aliique complures. Itaque cum Origenem hoc argumento tuetur Bellarminus, quod sana & orthodoxa fuerit præceptoris ipsius Clementis, discipulorum Dionysii Alexandrini, & Gregorii Thaumaturgi de mysterio sanctæ Trinitatis opinio; credibile quippe esse, quam à Clemente doctrinam acceperat, eamdem à se excultam discipulis suis tradidisse; nihil profecto Origenianæ causæ contrarium magis dicere potuit. Nullius enim ex his tribus satis puri fuerunt & integri de Trinitate sensus: nam & Filii substantiam à paterna ita secernit Clemens, ut inferiorem eam statuat: Dionysius vero Alexandrinus Filium Patris ποίημα, eique dissimilem esse dixit, & ἀφῆκε φωνὰς ἧκιστα πρεπούσας τῷ πνεύματι. *Voces Spiritui parum convenientes emisit*, inquit Basilius Epist. 41. à quo castigatus quoque est Gregorius Thaumaturgus, quod Filium aperte creatum prædicaverit. Adeo ut parum attentum fuisse Anastasium Bibliothecarium putandum sit, cum ait in Historia, laudes Gregorii Thaumaturgi silentio pressisse Eusebium, quod ab Origenis & Arii deliramentis prorsus fuerit alienus: cum & hæc deliramenta sit sectatus, nec laudibus eum Eusebius fraudaverit. Constat denique, ne Basilii quidem temporibus, ac recentioribus etiam, Spiritus sancti divinitatem aperte profiteri ausos esse Catholicos, ne Pneumatomachorum petulantiam experirentur. C D

Bellarm. lib. 1. de Christ. c. 10

Anast. ad a. Chr. 240

Euseb. l. 6. Hist. c. 30.

Verum tamen cum inferiorem Patre Filium, Filio Spiritum sanctum visi sunt illi statuere, ad auctoritatem principii, originis, caussæ, paternitatis, & ἀγεννησίας fere attenderunt, quæ inter sanctæ Trinitatis Personas ordinem aliquem constituit. Nam quod Pater principium sit & origo Filii, major Filio & dignitate anterior dici potest, absque ullo tamen naturæ, perfectionisve discrimine. Sic intelligendum esse illud Johannis: *Pater major me est*, magna Patrum pars arbitrata est; quod alii de humanitate Christi ad Patris divinitatem comparata interpretantur. Item quod à Filio Spiritus sanctus ducat originem, minor eo appellatur. Athanasius Orat. 2. contr. Arianos: Ταῦτα μὲν οὖν τοῖς ἰουδαίοις ὡς ἀνθρώπῳ ἔλεγεν ὁ κύριος· τοῖς δὲ μαθηταῖς πλὴν θεότητος καὶ πλὴν μεγαλειότητος δεικνὺς ἑαυτὸν τοῦ πνεύματος, ἀλλὰ μείζονα καὶ ἴσον ὄντα σημαίνων, ἰδίσε μὲν τὸ πνεῦμα, καὶ ἔλεγε, λάβετε τὸ πνεῦμα ἅγιον, καὶ ἐγὼ αὐτὸ δώσω ὑμῖν, κἀκεῖνος ἐμὲ δοξάσει· *Hæc quidem ludæis tanquam homo dicebat Dominus: Discipulis autem divinitatem & magnitudinem suam ostendens, non jam amplius se Spiritu minorem, sed majorem & æqualem esse significans, dabat quidem Spiritum, & dicebat: Accipite Spiritum sanctum; & Ego illum mitto, & ipse me glorificabit.* Clarius etiam Basilius: ὥσπερ ὁ υἱὸς τάξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρός· προβέβληται γὰρ ὁ πατὴρ ἐν τῇ συναριθμήσει ..... ἔτι δὲ καὶ ἀξιώματι· ἐκ τοῦ πατρὸς γὰρ ὁ υἱός· ἐκ δὲ τοῦ υἱοῦ ὁ πατήρ· φύσει δὲ ἴσος· ἐγὼ γὰρ, φησὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τάξει μὲν δεύτερον τοῦ υἱοῦ, καθὼς ἐν τῇ συναριθμήσει πεδήλωται· ναὶ μὴν καὶ ἀξιώματι· πνεῦμα γὰρ υἱοῦ λέγεται, ὡς ἐκ τοῦ υἱοῦ χορηγούμενον· *Quemadmodum Filius ordine quidem secundus est à Patre; prior enim ponitur Pater, cum numerantur simul..... Præterea secundus est etiam dignitate; nam à Patre est Filius; Pater non est à Filio: natura autem æqualis est: Ego enim, inquit, & Pater unum sumus. Ita & Spiritus sanctus ordine quidem secundus est à Filio, quemadmodum demonstratum est, cum simul numerarentur: certe & dignitate; Spiritus enim Filii dicitur, utpote per Filium subministratus.* Hæc repræsentat Euthymius in Panoplia, Part. 2. Tit. 12. ubi vides gradus aliquos, & dignitatis E F

ὑποβάθ-

A ὑποδάδμους in Trinitate constitutos. Atque hac potissimum responsione aspersam Origeniano nomini calumniam abstergere se posse Genebrardus existimavit.

Geneb. Collect. cap. 6.

XI. His fortasse permotus Athanasius præclare de Trinitate Origenem scripsisse tradit, ejusque auctoritatem præ se fert: ὡς ὁ τὰ ἀίδιος, inquit, σωσεῖναι τὸν λόγον τῷ πατρὶ, & μὴ ἑτέρας οὐσίας ἢ ὑποστάσεως, ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτὸν εἶδ), ὡς εἰρήκασιν οἱ ἐν τῇ συνόδῳ, ἐξέστω πάλιν ὑμᾶς ἀκοῦσαι & ὡς τὰ φιλοπόνως ἐρευνῆσαι. *Verbum porro ab æterno esse cum Patre, nec essentia vel substantia differre, sed substantiæ paternæ proprium illum esse Filium, ut dixerunt qui interfuerunt Nicænæ Synodo, licet denuo nobis audire ex laborioso Origene.* Tum duos ex eo subnectit locos, quibus æterna Filii à Patre processio, cum eoque æqualitas aperte demonstratur. Basilium quoque, & Nazianzenum Gregorium refert Socrates, cum ab Arianis Origenis Auctoritate & testi-

Athanas. de decret. Nicæn. Syn.

B moniis premerentur, perperam ab iis intellectum ostendisse. Didymum præterea Origenis de Trinitate sententiam ita propugnasse ait Hieronymus, ut male sonantibus verbis rectum tamen sensum inesse diceret: *Didymus*, inquit, *in ipsis* ὡς ἀρχῶν, *quos tu interpretatus es, libris breves dictavit commentariolos, quibus non negaret ab Origene scripta, quæ scripta sunt; sed nos simplices homines non posse intelligere quæ dicuntur; & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur.* Accedit Anonymi scriptoris à Photio Cod. 117. commemorati testificatio. Is Origenis defensionem quinque libris complexus, φησὶ μηδὲν αὐτὸν κατ' ὀρθὸν ἐσφάλθαι περὶ τῆς τριάδος, ἀντιφερόμενον δὲ τῇ αἱρέσει σαβελλίου, εἰς μέγα κακὸν ἠρμένη τότε, καὶ πῶς τῷ προσώπων τριάδα, ἐναργεστάτῳ καὶ πολλοῖς τρόποις διαφέρουσαν ἀγωνιζόμενον, ὥστε ἦσαι ὡς τὰ προσήκοντα, καὶ εἰς τἀναντίον ἀπενεχθῆναι, ἐξ ὧν ὀρθαὶ καὶ τῷ ἀῤῥωστήματι ἑαλωκέναι. *Nihil ipsum asserit circa Trinitatem errasse; sed cum Sabellii hæresim impugnaret, quæ tum in magnam erumpebat perniciem, & Personarum Trinitatem manifestam & multis modis differentem defenderet, extra callem abiisse, & in contrariam partem fuisse abreptum, indeque visum Ariano morbo laborare.* Quod ait de Sabelliana

Socrat. lib. 4. cap. 26. Hier. Epist. 65. ad Pam mach. & Ocean. c. 4. & Apol. adv. Ruf. lib. c. 4.

C hæresi, de Noëtiana intellige; post Origenem quippe suam Sabellius sparsit hæresim: verum non tam novam invexit sectam, quam veterem à Noëto præceptore suo traditam refinxit. Æqualis autem Origenis fuit Noëtus, qui veteris & ipse propagator hæreseos potius quam novæ auctor dicendus est. Æqualis etiam utriusque fuit Beryllus Bostrenus Episcopus, erroris ejusdem defensione, & deinde repudiatione celebris, postquam ab Origene convictus, & ad saniorem doctrinam traductus est. Hos perstringit Origenes, cum alibi frequenter, tum in libro quem in Epistolam ad Titum scripsit; quique laudatur à Pamphi-

D lo in Apologia. Initia doctrinæ hujus jam inde ab Ignatii temporibus repetit Baronius ad A. Chr. 260. N. 63. Quod ergo dixit Anonymus Sabellii hæresim impugnasse Origenem, sic accipiendum est, hanc ab eo impugnatam hæresim quæ à vetustis Hæreticis orta, à Noeto & Berillo suis propugnata temporibus, novum deinde à Sabellio nomen ac formam accepit. Ac si quis ἀρειανίζειν diceret Origenem, eam nempe tueri doctrinam, quæ multo post ab Ario amplificata, nomen ab eo adepta est.

XII. Multum quidem valet apud me, pro eo ac debet, Patrum illorum auctoritas, qui doctrinam Origenis de Trinitate suffragiis suis comprobarunt. Sed mihi tamen pluris est ipsa veritas, quam & ex Origenianæ doctrinæ connexione, & ex attente perspectis Adamantii verbis, & ex Patrum aliorum complurium testificationibus, in partes sectam ab ipso

E Trinitatem, & essentiæ ac divinitatis quibusdam veluti gradibus distinctam clamantium, liquido mihi perspexisse videor. Adde Platonicæ Philosophiæ decreta, ad quæ fere sua expressit Origenes, quod jam supra monuimus, larvam quandam Trinitatis effingere, Personis constantem tribus, inæquali præditis dignitate, potestate, antiquitate, & sapientia. Cyrillus libr. 3. contr. Julian. πλάτων ἕνα μὲν φῂ τὸν δημιουργὸν διοείσασθαι τὸν ἁπάντων αἴτιον, ὃν καὶ προσεχῆ τῷ κόσμῳ φησὶ· προϋφεστάναι γε μὴν αὐτῷ θεὸν ἕτερον, ἤδη πῃ ἰδέαν τἀγαθὸν· προσεπινοεῖ δὲ καὶ τρίτον αἴτιον, τάξει δὲ καὶ φύσει τῶν πρώτων μειονεκτοῦντα, ὃ δὴ καὶ ψυχὴν τῶν ὄντων ἁπάντων κεκλήκασι. *Plato unum quidem esse Opificem definivit, rerum omnium caussam, quem & propinquum mundo esse dixit, extitisse vero Deum alterum ante hunc nempe boni ideam. Excogitat præterea & tertiam caussam, ordine quidem & natura prioribus illis inferiorem, quam & animam universarum rerum*

F *appellat.* Quo ex fonte profluxere non Origenis errores solum adversus sanctissimam Trinitatem, aliorumve quos recensuimus Patrum minus circumspectæ locutiones, sed quidquid etiam fuit contra idem mysterium ab Hæreticis insanitum.

XIII. Si non ex supra allatis & in utramque partem expositis testimoniis, quibus Filii & Spiritus sancti dignitatem labefactare vel asserere visus est Origenes, satis ipsius elucet sententia: at facile certe deprehenditur ex sequentibus, in quibus molitionem rerum in Deum Patrem transcribit; Filium vero secundariam tantum creationi impendisse vult operam, & instrumenti vel ministri partes obiisse: ὕτω φησίν, inquit Tom. 2. in Johan. p. 56. καὶ ἐνθάδε, εἰ πάντα διὰ τοῦ λόγου ἐγένετο, ἀλλ' οὐκ ἄνευ τοῦ λόγου ἐγένετο, ἀλλ' οὐκ κρείττων καὶ μείζων τοῦ λόγου, τίς δ' ἂν ἄλλος εἴη τυγχάνη, ἢ ὁ πατήρ; Duplex est hujus loci labes, nam & Filium Patre minorem ac inferiorem esse decernit, & rerum creationem penitus ipsi abjudicat:

in qua Patri tantum ministrasse, non molitorem itidem ut Patrem fuisse dicit libr. 1. A
περὶ ἀρχῶν, in ipso Proœmio: *Iesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cum in omnium conditione Patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) novissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus est*: quem locum repetit Auctor libri de Deitate & Incarnatione Verbi ad Januarium, qui Tomo quarto Operum Augustini subjici solet, cap. 1. Repetiit & ante illum Pamphilus in Apologia; atque item illum: *Data est autem Lex Moysi per Angelos, in manu mediatoris Christi & virtute, qui cum esset in principio Verbum, & apud Deum esset, & Deus esset Verbum, Patri in omnibus ministravit. Omnia enim per ipsum facta sunt, id est non solum creaturæ, sed & Lex & Prophetæ.* Unde Tomo 20. in Johan. p. 292. ipsum quidem αὐτόπλων esse ait eorum quæ sunt in Patre; Angelos autem videre eadem per ipsum, tanquam per mediatorem & ministrum, ὡς διὰ μεσίτου καὶ ὑπηρέτου. Et Tom. 1. p. 18. Christum B
catenus esse creatorem docet, quatenus dixit Pater: *Fiat lux*, id est quatenus in facienda luce Patri ministrum se præbuit. Clarissime vero sententiam hanc expressit libr. 6. contr. Cels. τὸν μὲν προσεχῶς δημιουργὸν (φησὶ) τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ λόγον, καὶ ὡσπερεὶ αὐτουργὸν τοῦ κόσμου, τὸν δὲ πατέρα τοῦ λόγου, τῷ προστεταχέναι τῷ ἰδίῳ ἑαυτοῦ λόγῳ ποιῆσαι τὸν κόσμον, (φησὶ) πρώτως δημιουργόν. Jam ergo liquet, quo sensu dixerit in Catena Balthasaris Corderii in Joh. ad cap. 1. v. 1. (si modo ea vere sunt Origenis, & aliquid Catenarum auctoritati tribuendum est) δημιουργὸν τῶν πάντων τιθέμενον αὐτὸν, τὸ τοῦ λόγου ὄνομα καταγορεῖ αὐτοῦ. *Opificem rerum omnium statuens ipsum, Verbi nomine ipsum afficit*: ubi & ποιητὴν τῶν πάντων appellat: & ait paulo post: πῶς γὰρ οὐκ ἔδει (φησὶ) αὐτὸν πρὸ πάντων, ὃν ἀρχὴν τῆς ὑπάρξεως αὐτῶν, κτίσαι ὄντα; *Quomodo enim non oportebat esse ipsum ante omnia, & cum primum esse cœperunt, qui eorum creator est?* & mox: ὅτε δὲ ἐδημιούργει εἰς οὐσίαν ἔφερε τὰ πάντα, καὶ πρὸς τὸν C
θεὸν ἦν ὁ θεὸς λῶν. *Cum vero Opificis agebat partes, cunctis præbebat ut essent, & erat apud Deum, & Deus erat*: & denique: ἀλλ' ὁ δημιουργὸς τῶν παντὸς θεὸς, τυγχάνων θεὸς λόγος κατ' οὐσίαν, διὸ καὶ σοφία, καὶ ἀλήθεια ὀνομάζεται. *At non ita rerum omnium conditor, qui Deus Verbum est secundum essentiam. Unde & Sapientia appellatur, & veritas, cum de rebus divinis disseritur.* Item libr. 7. in Epist. ad Rom. *Nihil est visibilis, sive invisibilis creaturæ, quod Filio possit adæquari: nullo enim pacto Creatori suo creatura potest conferri: & si Creator ipse donatus est nobis, quomodo non cum ipso creatura nobis donabitur?* Rerum effectorem Filium esse putat, sed secundarium: & res quidem creasse, at instrumenti vice fungentem; Patrem vero creationis auctorem esse, & primariam ac præcipuam caussam: atque ita suum cuique officium partitur. Hinc Gennadius libr. de dogmat. cap. 4. *Nihil officio singulare, nec alteri communicabile* D
(in Trinitate credamus) *ut Origenes.* Hinc etiam Cyriacus apud Symeonem Metaphrastem inter dogmata Origenistarum Palæstinorum sæculi sexti ponit illud; *Trinitatem non fuisse mundi Opificem*, & Justinianus Origenem conqueritur Filium & Spiritum sanctum appellasse λειτουργικὰ ζῶα, *ministratoria animalia*, ut supra a me observatum est.

XIV. Easdem partes in rerum molitione nonnulli è vetustioribus Patribus Filio tribuerunt. Theophilus Antiochenus libr. 2. ad Autolycum: τοῦτον τὸν λόγον ἔχων (ὁ θεὸς) ὑπουργὸν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γενομένων, καὶ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα ποιήσων. *Hoc Verbum habuit* (Deus) *ministrum operum suorum, & omnia per ipsum fecit.* Tum inferius: ὁπότε δὲ ἐθέλησεν ὁ θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικόν. *Quando autem voluit Deus facere quæcunque deliberaverat, hoc Verbum genuit prolatitium.* Et paulo post: θεὸς ὢν μὴ ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ θεοῦ πεφυκὼς, ὁπότ' ἂν E
βάλῃ ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, πέμπει αὐτὸν εἴς τινα τόπον. *Cum ergo Deus sit Verbum, & ex Deo prognatus, quotiescunq. vult Pater universorum, mittit eum in locum aliquem.* Justinus in Dialogo cum Tryphone: ἔστι γάρ τις ἀφῃρημένος τῆς πατριαρχικῆς λεγομένης θεὸς, καὶ ἄγγελος καὶ κύριος λεγόμενος, ἵνα καὶ ἐκ τούτων ὑπηρετοῦντα αὐτὸν ὑπηρετοῦντα τῷ τῶν ὅλων πατρὶ. *Iste qui Patriarchis visus est, & dicitur Deus, & Angelus, & Dominus appellatur; ut ex his quoque intelligatis ipsum Patri universorum ministrare:* & alio loco: δι' ὧν ἀποδέδεικται ὑπὸ τῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ τεταγμένος, καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτοῦ. *Per quæ demonstratum est Patri & Domino subjectum esse ipsum, ac ejus voluntati servire.* Irenæus lib. 3. c. 8. *Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod, inquit, cœli firmati sunt:* & libr. 4. cap. 17. *Ministrat enim ei* (Patri) *ad omnia sua progenies, & figuratio sua, id est Filius, & Spiritus sanctus, Verbum, & Sapientia, quibus serviunt, & subjecti sunt omnes Angeli.* Episcopi sex Antiochenæ Synodi in Epistola ad Paulum Samosatenum antequam deponeretur: τοῦτον τὸν υἱὸν πιστεύομεν σὺν τῷ πατρὶ ἀεὶ F
ὄντα ἐκπεπληρωκέναι τὸ πατρικὸν βούλημα πρὸς τὴν κτίσιν τῶν ὅλων. *Hunc* (Filium) *credimus semper existentem cum Patre implevisse paternam voluntatem ad creationem universorum.* Atque ex hoc dogmate occasionem videntur habuisse Arius & Aetius, cur creationis rerum Patrem primariam esse caussam, instrumentum vero Filium arbitrarentur: quam eorum insaniam castigaverunt Athanasius, Cyrillus, & alii.

Athanas. orat. 3. & 5. Cyrill. libr. 15. & 16. Thes.

XV. Non Filii majestatem solum oppugnavit Origenes, sed de ejus etiam bonitate detraxisse ipsum auctor est Hieronymus in Epist. ad Avit. cap. 1. *Deum Patrem omnipotentem*, inquit, *appellat bonum, & perfectæ bonitatis: Filium non esse bonum, sed auram quandam & imaginem bonitatis; ut non dicatur absolute bonus, sed cum additamento, Pastor bonus, & cætera.* Anonymus quoque

A quoque apud Photium, Cod. 117. & Pamphilus in Apologia errorem hunc inter eos recenſent, qui Origeni objici vulgo ſoliti ſunt. Verba ipſa refert Juſtinianus ad calcem Epiſtolæ ad Menam, quæ à Rufino Interprete emendata, & in orthodoxam ſententiam detorta ac interpolata ſunt libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. unde ea cap. 15. ſumſit Auctor libelli De Deitate & Incarnatione Verbi, qui reperitur, ad calcem Tomi 4. Auguſtini. Hac labe fœdata ſunt iſtæ quæ ſupra adduximus è Tom. 2. in Johan. pag. 56. ἕτω τοίνυν καὶ ἐνθάδε εἰ πάντως δεῖ τῶ λόγω ἐχθύειν, ἐχ' ὑπὸ τῶ λόγω ἐχθύειν, ἀλλ' ὑπὸ κρείττονος καὶ μείζονος παρὰ τὸν λόγον· τίς ἂν ἄλλος εὕροι τυγχάνη ἢ ὁ πατήρ; & hæc è Tomo 6. p. 130. ὁ γὰρ πέμψας αὐτὸν πατὴρ, ὁ ζῶντων θεὸς, ὡς αὐτὸς ἱησοῦς μαρτυρεῖ. τὸ ἀβραὰμ, καὶ τὸ ἰσαὰκ, καὶ τὸ ἰακώβ, δῆλα τοῦτο κύριος τῶ οὐρανῶ καὶ τῆς γῆς, ὅτι πεποίηκεν αὐτά. εἷς δὲ μόνος ἀγαθὸς, καὶ μείζων τῶ πεμφθέντος. Nihilo ſaniora iſtæc è libr. 5. contr. Celſ. ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ κύριος ἀκούσας ποτε, διδάσκαλε ἀγαθὲ, ἀναπέμπων τὸν λέγοντα τοῦτο ὅλη τῶν ἑαυτῶ πατέρα, φησί· τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεὸς ὁ πατήρ· εἴπερ δὲ τῆς εὐλόγως, ὡς εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος τοῦ θεοῦ τυγχάνων, εἰρήκει ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ παιδὸς, πῶς ἐχὶ εὐλογώτερον ἂν τοῖς προσκυνοῦσιν εἶπεν ἤλιος· τί με προσκυνεῖς; κύριον γὰρ τὸν θεὸν σου προσκυνήσεις. καὶ αὐτῶ μόνῳ λατρεύσεις, ᾧ κἀγὼ καὶ πάντες οἱ σοὶ ἐμοὶ προσπυνοῦμεν καὶ λατρεύομεν; Bonitatem illam quæ Deo Patri convenit, Chriſto detrahit, non tantum quatenus homo eſt, ſed etiam quatenus eſt imago bonitatis Dei, hoc eſt, quatenus eſt Deus. Nullibi vero apertius quam Tom. 15. in Matth. pag. 377. ὡς μὲν πρὸς τὸν πατέρα, inquit de Chriſto, εἰκών ἐστιν ἀγαθότητος, ὡς ὃ πρὸς τὰ λοιπὰ, ὅπερ ἡ τοῦ πατρὸς ἀγαθότης πρὸς αὐτόν. ἢ καὶ μᾶλλόν ἐστί τινα ἀναλογίαν προσεχῆ ἰδεῖν ἐπὶ ἀγαθότητος τοῦ θεοῦ πρὸς τὸν σωτῆρα ὥστε εἰκόνα τῆς ἀγαθότητος αὐτὸν, ὑπερ ἐπὶ τοῦ σωτῆρος πρὸς ἀγαθὸν ἄνθρωπον, καὶ ἀγαθὸν ἔργον, καὶ ἀγαθὸν δένδρον· πλείων γὰρ ἡ ὑπεροχὴ πρὸς τὰ ὑποδεέστερα ἀγαθὰ ὧν τῷ σωτῆρι, καθό ἐστιν εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος ὡστε τοῦ θεοῦ, ὑπερ ἡ ὑπεροχὴ τοῦ θεοῦ ὄντος ἀγαθοῦ πρὸς τον εἰπόντα σωτῆρα· ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με μείζων μού ἐστιν, ὥστε πρὸς ἕτερος καὶ εἰκόνα τῆς ἀγαθότητος τοῦ θεοῦ. C

Adverſus ea præſcribere velle, non eſt candoris noſtri. Quam autem ſolaris radii comparationem adhibuimus ſupra, eandem hic replicare neceſſe eſt, ut ejus de Filii bonitate ſententia innoteſcat. Quemadmodum ergo tanto dignitate Patris inferiorem credidit Filium, quanto ſolaris radius Solis ipſius dignitati decedit; eandem eſſe bonitatis Filii rationem ad Patris bonitatem cenſuiſſe ipſum putandum eſt. Ut enim quandam Solis imaginem, ſed rudem & imperfectam continet ac exprimit ſolaris radius; pari modo imaginem paternæ bonitatis referre Filium exiſtimavit, non perfectam quidem ac per omnia archetypo ipſi ſimilem & æqualem, ſed expreſſam leviter, & exemplaris præſtantia longe inferiorem. Si quando igitur bonitatem Filii eandem eſſe docet ac Patris bonitatem, velut D libr. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 2. ubi eandem eſſe ait utriusque potentiam, bonitatem eandem, & quæcunque habet Pater, habere & Filium, facilis eſt intellectus; Filii nempe bonitatem paternæ bonitatis eſſe particulam & auram, è paterna bonitate decerptam ac delibatam. Si quando Patri ſoli bonitatem tribuit, primigeniam bonitatem, & bonitatis intelligit principium ac fontem; Filium autem paterna tantum illa bonitate impertitum. Cujus impietatis occaſionem videtur accepiſſe ex male intellecto Matthæo 19. 17. & Johan. 17. 13. & ex Platone qui *boni* nomen ad Deum peculiariter pertinere dicebat.

XVI. Simili modo explicandum venit dogma alterum, quod ab ipſo propoſitum refert Hieronymus, *Filium quantum ad Patrem non eſſe veritatem, quantum ad nos eſſe imaginariam veritatem.* Paria fere habet Auguſtinus: *Dicit præterea Origenes*, inquit, *quod Filius Dei ſanctis hominibus comparatus, veritas ſit; Patri collatus, mendacium.* Nec diſſimilia quæ ex Epiſtola Decretali Palæſtinorum Epiſcoporum repræſentat Guido Carmelita adverſus Origeniſtas: *Si qui ſunt qui in ſuis tractatibus tradiderunt, quod Filius nobis comparatus ſit veritas, Patri collatus mendacium, & quod eſt Petrus & Paulus ad Salvatorem, hoc eſt Unigenitus Filius & Deus Verbum comparatus Patri..... & ipſi, & dogmata ipſorum ſint Eccleſiæ anathema.* Quibus adſtipulatur Anonymus ille defenſor Origenis, quem dixi, & inter capita in ipſo reprehendi ſolita poſtremum illud ponit: ὅτι ἡ εἰκὼν τῶ θεοῦ, ὡς πρὸς ἐκεῖνον, ἃ ἐστιν εἰκὼν, καθ' ὃ εἰκὼν, οὐκ ἔστιν ἀλήθεια· *Imaginem Dei reſpectu ejus cujus eſt imago, quatenus eſt imago, non eſſe veritatem.* Videtur hæc hæreſis libro 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. fuiſſe expreſſa, ſed Rufini artiF bus diſſimulata, & falſa hac interpretatione obducta: *Imago ergo eſt inviſibilis Dei Patris Salvator noſter, quantum ad ipſum quidem Patrem, veritas: quantum autem ad nos, quibus revelat Patrem, imago eſt, per quam cognoſcimus Patrem.*

E *Hier. Epiſt. 19. ad Avit. c. 1. Auguſt. de hæreſ. ad Quodvult d. Hær. 43. Guid. in Summ. de Hæreſ. in Hær. Origeniſt.*

XVII. Quæ Origeni dica impingi ſolet, negaſſe ipſum Patrem à Filio, Filium à Spiritu ſancto, Spiritum ſanctum ab Angelis, Angelos ab hominibus videri non poſſe, facilis expurgatu non eſt, ſi criminantium numerus ſpectetur & auctoritas. Primarium hunc ac præcipuum inter ejus errores ſtatuit Epiphanius Hær. 64. cap. 4. & in Ancorato, cap. 63. ubi verba ipſa Origenis exhibet: μαθέτωσαν, inquit, πῶς οὐκ ἀπηξίωσεν ὠνομάσθαι εἰπεῖν, ὅτι οὐχ ὁρᾷ τὸν πατέρα ὁ υἱός. ἀλλά φησιν. ὡς ὁ δύναται ὁρᾶν τὸν πατέρα ὁ υἱὸς καὶ ὃ ἅγιον πνεῦμα ὁ δύνα-

ναῦ ἰδεῖν τὸν υἱόν. καὶ πάλιν· ἄγγελοι δ' οὐναν῀ ἰδεῖν τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οἱ ἄνθρωποι δ' οὐναν῀ ἰδεῖν τοὺς ἀγγέλους. *Discant quomodo non dubitavit Origenes dicere Filium non videre Patrem, sed dicit: Quemadmodum non potest videre Patrem Filius, nec Filium videre potest Spiritus sanctus. Et rursum: Angeli videre non possunt Spiritum sanctum, & homines non possunt videre Angelos.* Eadem replicat in Epistola ad Johannem Hierosolymitanum, cap. 2. Hieronymus quoque errores recensens librorum περὶ ἀρχῶν, in Epistola 59. ad Avit. scripsisse eum ait in primo Operis hujus volumine, *Deum Patrem, per naturam invisibilem, à Filio non videri*: & in secundo: *Restat ut invisibilis sit Deus. Si autem invisibilis per naturam est, neque Salvatori visibilis erit.* Idem in Epist. 16. ad Pammach. cap. 3. *Et primum de libro* περὶ ἀρχῶν, *ubi loquitur: Sicut enim incongruum est dicere quod possit Filius videre Patrem, ita inconveniens est opinari quod Spiritus sanctus possit videre Filium.* In qua hæresi versatum fuisse Johannem Hierosolymitanum toto hoc capite demonstrat. Par est Gennadii querela libr. de dogmatib. c. 4. *Nihil*, inquit, *sibi invisibile à creaturis* (in Trinitate credamus) *ut Origenes.* Legendum, ni fallor, *ut creaturis*; hoc est, Nihil esse credamus in Trinitate, quod ab aliquibus ejus Personis videri non possit, quemadmodum à creaturis videri non potest, quod putavit Origenes. Par & illa Justiniani in Epistola ad Menam, & Isiodori libr. 8 Origin. cap. 5. & Anonymi Auctoris Apologiæ pro Origene, apud Photium, Cod. 117. & Nicetæ Acominati, & Honorii Augustodunensis in lib. de Hær. & Cedreni in Compendio, & Suidæ in voce ὠριγένης, & Zonaræ libr. 2. in Decio. Atque hunc porro errorem ab Adamantio mutuatus est Arius, quem dicere ausum esse narrat Athanasius de Synodis, ἀδύνατα ἐῴ τὸν πατέρα ἐξιχνιάσαι, ὅτι ἐστιν ἐφ' ἑαυτῷ. αὐτὸς γὰρ ὁ υἱὸς πῶς ἑαυτῷ ἦσαν ἐπ ἴσθεν. υἱὸς γὰρ ὤν, θελήσει πατρὸς ὑπῆρχεν ἀληθῶς. τίς γὰρ λόγῳ συγχωρεῖ τὸν ἐκ παθρὸς ὄντα αὐτὸν τὸν γνώσαντα γνῶναι ἐν καταλήψει; δῆλον ὅτι τὸ ἀρχὴν ἔχον τὸν ἀναρχον ὡς ἐστιν ἐμφανῶσαι, ἢ ἐμφανισράξασθαι ἐχ. ἴδιόν τε ἐστιν· *Possibile enim ipsi non est investigare Patrem qualis in seipso est. Filius quippe suam ipse essentiam non novit. Cum sit enim Filius, voluntate Patris talis extitit. Quæ enim concedit ratio eum qui sit ex Patre genitorem ipsum comprehensione cognoscere? Perspicuum est, quod habet principium eum qui careat principio mente complecti vel comprehendere non posse.*

XVIII. At eam criminationem ab Origene multis depellere conatur Rufinus Invect. 1. in Hieron. ostenditque ad refellendam Valentinianorum hæresin, qui Deum corporeum humanis membris habituque constantem describebant, Origenem probasse Deum ex natura sua corpore carere, ac proinde sub oculos cadere non posse, visionem quippe corporum esse; nosci autem posse, quod cognitio rerum sit corpore carentium; nosci igitur Patrem à Filio, videri neutiquam. Tum locum ipsum Origenis depromit, in quo hæc habentur: *Aliud est videre, aliud noscere; videri & videre corporum est; nosci & noscere, intellectualis naturæ est. Quidquid ergo proprium corporum est, hoc nec de Patre nec de Filio sentiendum est. Quod vero ad naturam pertinet Deitatis, hoc inter Patrem & Filium constat.* Ait demum depravatam hoc loco, & corruptam fuisse suam interpretationem, atque ita purgandi sui causa concludit: *Si quis negat quod non ita videt Filius Patrem, sicut Pater Filium; & non ita videt Spiritus sanctus Patrem & Filium, sicut videt Pater Filium & Spiritum sanctum, anathema sit. Videt enim, & verissime videt, sed ut Deus Deum, & lux lucem, & non ut caro carnem, sed ut Spiritus sanctus; non corporeis sensibus, sed virtutibus Deitatis.* Rufini responsionem arripuit & uberius explicavit Halloxius libr. 4. Orig. defens. Quæst. 4. Porro locus Origenis his celebratus concertationibus extat lib. 4. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. cui similem alterum reperies libr. 2. cap. 4. His adjungi potest ad tutelam Origenis & ille quoque è Tom. 20. in Joh. pag. 292. ὥσπερ ἀνθρώπους ἄν τινας εἰποιμὶ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπλας γεγονέναι τῷ λόγῳ, περὶ ὧν ὁ λυκᾶς φησι· καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπλαι καὶ ὑπηρέ῀ γενόμενοι τοῦ λόγου. οὕτω τὸν σωτῆρα αὐτόπλω λέξομεν εἶ῀ τῷ πρὸς τὸν πατρὶ, ἃ καὶ τοῖς εἰρῆσθαι τό· οὐδεὶς ἔγνω τὸν πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱὸς, οὐκέτι αὐτόπλων ὄντων ὅς ἂν ὁ υἱὸς ἀποκαλύψῃ. φησὶ δ' τὸ αὐτόπλω πρὸς τὸν πατρὶ τυγχάνειν τὸν σωτῆρα σαφὼς ἡ προκειμένη λέξις ἐν τῷ· ἃ ἐγὼ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρὶ, λαλῶ. Hic autem, ut alibi sæpe, illud ex Apologia Pamphili usurpare licet: *Dubium autem non est, quod eodem sensu etiam in cæteris sentiat, nec sit sibi ipse contrarius.*

XIX. Attamen ne perfecte quidem & plene Patrem à Filio nosci, ita ut à seipso noscitur Pater, minoremque esse cognitionem Filii quam Patris nonnunquam Origenes asseruit: nam Hieronymus in Epist. 59. ad Avit. cap. 4. recitat hoc ipsius decretum è lib. 4. περὶ ἀρχῶν, quod & Græce exhibet Justinianus in fine Epistolæ ad Menam: *Curiosus Lector inquirat, utrum à semetipso cognoscatur Pater, quomodo cognoscatur à Filio; sciensque illud quod scriptum est: Pater qui misit me, major me est, in omnibus verum esse contendet, ut dicat & in cognitione Filio Patrem esse majorem, dum perfectius & purius à semetipso cognoscitur quam à Filio.* Atque id esse causas, quare Filium à Patre comprehendi, Patrem vero a Filio neutiquam comprehendi posse opinatus sit, ait Hieronymus: contra quam Paganino Gaudentio visum est, qui ideo censuisse Origenem scribit, Filium videre non posse Patrem, quia Filium habuit pro re creata; intellectum autem creatum rem infinitam cernere non posse. Cum enim putasse

Gaudent. de comparat. dogm. Orig. cum Philos. Platonis.

feratur

A feratur neque Filium à Spiritu sancto videri posse, neque Spiritum sanctum ab Angelis, neque Angelos ab hominibus, vanam esse sequitur Gaudentii conjecturam. Eodem pertinet quod queritur Hieronymus, cap. 1. ejusdem Epistolæ ad Avit. decrevisse Origenem, *Deum Patrem esse lumen incomprehensibile.* Anonymus quoque Auctor Apologiæ pro Origene apud Photium Cod. 117. inter capita criminationum quæ Origeni intentari solebant, tertium illud ponit, (ἰδὲν) μὴ γινώσκειν τὸ πατέρα ὡς αὐτὸς ἑαυτόν. *Filium non cognoscere Patrem, ut se ipse Pater cognoscit.* Hujus sane commenti notæ extant Tom. 32. in Johann. γινώσκει οὖν τὸ πατέρα ὁ υἱὸς, ὡπερ τῷ γινώσκειν αὐτὸ ὅτι μείζων ἀγαθός, καὶ ὁποῖον ἄν τι δεῖ τελείαν γνῶσιν τὸ γινώσκει ὁ υἱὸς τὸ πατέρα ἐδοξάσθη· ὅμοιον ὅτι κἀκεῖνο γινώσκων, ὅπερ καὶ αὐτὸ ὑμᾶς δεῖ τὸ προτέρα, ἐδοξάσθη ἐκ τοῦ αὐτὸ ἐγνωκέναι. Cognitionem qua se cognoscit Filius, cognitione illa qua cognoscit Patrem paulo inferiorem esse definit; quod mox apertius prædicat, dicens πῶς παντὸς θεωρίαν

B τῷ μείζονα τὸν υἱὸν θεωρεῖσθαι.

XX. Quæ quamvis asseveranter pronuntiata sint, idem ipse tamen in iisdem Commentariis Tomo 1. pag. 28. æqualem cognitionem Filii cognitioni Patris videtur statuere, adeo quid sequeretur parum ipsi ratum, fixumque fuit: ἐὰν δέ τις ζητῇ, inquit, εἰ ἐπάν ὁτιποτὲ ἐγνωσμένον ὑπὸ τοῦ πατρὸς κατὰ τὸ βάθος τοῦ πλούτου, καὶ τὸ σοφίας, καὶ τοῦ γνώσεως αὐτοῦ, ὅπως ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ φαντασία τοῦ δοξάζειν τὸν πατέρα ὑποφαίνοιτό τινα γινωσκόμενα ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀγνοεῖσθαι ὑπὸ τοῦ υἱοῦ δι' ἀκριβοῦς ἐξισωθῆναι ταῖς καταλήψεσι τοῦ ἀγνώστου θεοῦ, ἐπισατέον αὐτῷ ὅτι τοῦ ἀληθειαν εἶναι τὸ σωτῆρα, καὶ προσαιτίον ὅτι εἰ ὁλόκληρός ἐστιν ἡ ἀληθεια, ἐδὲν ἀληθὲς ἀγνοεῖ, ἵνα μὴ σκάζῃ λείπουσα ἡ ἀληθεια οἷς ὑ γινώσκει, κατ' ἐκείνους τυγχάνουσιν ὀνμόνῳ τῷ παθεῖ ἡ δεικνύτω τις ὅτί ἐστιν ἃ γινωσκόμενα τοῦ ἀληθείας προσηκόντως ὑ τυγχάνοντα, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτὸν ὄντα. Addendum censerem & istum è libr. 1. περὶ ἀρχῶν, c. 3. (quem usurpat c. 18. Au-

C ctor libelli De Deitate & Incarnatione Verbi, ad Januarium, qui subjungitur Tomo quarto Augustini) in quo cognitionem Spiritus sancti æqualem esse cognitioni Patris & Filii ostenditur, si non hoc Opus, ut toties monui, in iis maxime quibus de Trinitate agitur, corrupisset Rufinus. Sic autem conceptus est: *Sicut enim de Filio dicitur, quia nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: hæc eadem etiam de Spiritu sancto dicit Apostolus, cum ait: Nobis autem revelavit Deus Spiritum sanctum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei. Sed & rursus in Evangelio de divinis & profundioribus Discipulis commemorans Salvator, quæ nondum capere poterant Discipuli sui, ita ait ad Discipulos: Adhuc multa habeo quæ vobis edicam, sed non potestis portare modo: cum autem venerit Paracletus, id est Consolator Spiritus sanctus, ille vos docebit omnia, & commonebit omnia quæ dixi vobis. Et ita dicendum est, quod sicut Filius qui solus cognoscit Patrem, re-*

D *velat cui vult, ita Spiritus sanctus qui solus scrutatur etiam alta Dei, revelat cui vult; Spiritus enim ubi vult, spirat. Neque enim putandum est quod etiam Spiritus Filio revelante cognoscit: si enim revelante Filio cognoscit Patrem Spiritus sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod utique & impium pariter & stultum est, Spiritum sanctum confiteri, & ignorantiam ei adscribere.* Si ullam Spiritui sancto ignorantiam adscribendam esse Origenes negat, æqualem omnino scientiam ipsi tribuit ac Patri & Filio; nec major enim excogitari potest scientia, quam quæ nulla penitus ignorantiæ caligine permista est.

XXI. Filium Dei pro re creata ab Origene habitum fuisse ac prædicatum, quæ Arianorum & Anomæorum impia fuit & damnosa opinio, verba hæc persuadere pos-

E sunt, quæ è libr. 4. περὶ ἀρχῶν adducit Justinianus in Epistola ad Menam: ὅτι ὁ υἱὸς ὁν θελήματος τοῦ πατρὸς γεννηθείς, ὃς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, καὶ ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ, χαρακτήρ τε τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, φωτότυπος πάσης κλίσεως κλίσμα, σοφία· αὐτὴ γάρ ἡ σοφία φησίν. ὁ θεὸς ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν ἑαυτοῦ εἰς ἔργα ἑαυτοῦ. & ista ex eodem libro: ὅτι μὴν πᾶν ὁτιποῦν τῶν παλαίρα καὶ θεὸν τὸ ὅλων γεγονὸς ἐστιν, ὁν καὶ αὐτὸ ἀκολουθίας πεισθήσεται nec non & hæc, quæ ex ipsius Commentario in Psalmum 1. profert Epiphanius: ἀξιέρμυ τοίνυν, ἐπεὶ μηδὲ χωρεῖς θεὸν καλὸν εἶναι δύναται, καὶ μᾶλιστα νόησις γραφῶν θεοπνεύστων, ὅπως τὸ παιδὶ τὸν θεὸν δόξα τὸ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ ἀρχιερέως γεγονότος θεοῦ προσενεγκεῖν αἰτήσεως δοθῆναι ἡμῖν παρῶν καλῶς ζηλεῖν. & hæc præterea quæ ex eo recitat Diodorus in Catena Combefisii nondum edita ad Gen. 1. 2. γεννηθῆτω φῶς· πῶς νοήσω; ἆρα τὸ ἀληθινὸν, τὸ υἱόν; Idem de Spiritu sancto decernere videtur, cum ait in Procemio librorum περὶ ἀρχῶν, juxta Rufini interpretationem: *Tum deinde honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non jam ma-*

F *nifeste discernitur, utrum natus an innatus*: & libr. 1. cap. 2. eodem Interprete: *Ita ergo & ab eo* (Patre) *Filii subsistentia generatur: quod necesse est imprimis suscipi ab his, qui nihil ingenitum, id est innatum, præter solum Deum Patrem fatentur.* Quod vertit Rufinus, *natus an innatus*, redditum est ab Hieronymo, *factus an infectus*: sic enim ille, errores libri primi περὶ ἀρχῶν recensens: *Tertium dignitate & honore post Patrem & Filium asserit Spiritum sanctum: de quo cum ignorare se dicat, utrum factus sit an infectus; in posterioribus quid de eo sentiret, expressit, nihil absque solo Deo Patre infectum esse confirmans.* Scripserat nimirum Origenes, γνωστὸς ἡ ἀγνωστὸς, quemadmodum & Tom. 2. in Johann. pag. 57. ἔχει δὲ ἐπαπόρησιν ὅσα τε τὸ· πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ἀκολουθεῖν τὸ πνεῦμα γνητὸν ὄν, ὅσα τὸ λόγῳ γεγονέναι, πῶς οἱονεὶ προλιμᾶ τοῦ χρίσαντος ἔτι τοῖς γραφαῖς·

Epiph. Hær. 64. cap. 7.

Hier. Epist. 59. ad Avit. c. 1.

Genebr. in Collectan. De vit Origen. c. 6.

Quæ ab Arianis esse assuta sine caussa Genebrardus contendebat, ut apparebit ex sequentibus. Item paulo superius; ὡς ἐυσεβέστερον, inquit, καὶ ἀληθὲς προσιέμενα τὸ πάντων δι' αὐτοῦ λόγῳ γινομένων, τὸ ἅγιον πνεῦμα πάντων τίμιώτερον, καὶ τάξει πάντων ὑπὸ τοῦ πατρὸς διὰ χριστοῦ γενομένων. & pag. 58. Tomi ejusdem: πεῦμα δὲ ἅπα πολὺ ἐξῃρῆσθαι σαφέστερον ἰδεῖν βουλομένοις πῶς, εἰ πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. καὶ τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ λόγῳ ἐγένετο. A

Hier. Epist 59. cap. 1.

XXII. Atque hoc crimen magna contentione in Origene damnat Hieronymus, credidisse ipsum dicens, *Christum Filium Dei non natum esse, sed factum*, atque idem de Spiritu sancto decrevisse. Similiter Epiphanius Hær. 64. cap. 4. ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς τοῦτον (υἱὸν) εἰσηγεῖται. κτίσμα δὲ ἅμα βούλεται δὲ ὡς κατ' χάριν τὸν υἱὸν αὐτὸν καλεῖσθαι λέγειν. *Ex substantia Patris eum* (Filium) *esse arbitratur* (Origenes) *sed nihilominus creatum. Vult autem quasi per gratiam Filium ipsum appellatum dicere*: & cap. 5. Φανερώτατα τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ κτίσμα ἐσόμενον καὶ ποίημα τοῦ υἱοῦ τολμᾷ γράφειν ὅτι καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κτίσμα εἰσηγήσατο. *Apertissime Filium Dei creaturam esse asseveravit, & ab hac in Filium audacia nosce & prorecreata Spiritum sanctum habuisse*: & cap. 8. ὁπότε οὖν ἐν πολλοῖς τόποις εὑρομεν αὐτὸν τὸν μονογενῆ θεὸν ἀπαλλοτριοῦντα τὸν τοῦ πατρὸς θειότητός τε καὶ οὐσίας, ἅμα τε καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τότε χάριν τὸ γενητὸν θεὸν εἰρηκέναι αὐτὸν, σαφὲς ἔστιν ὅτι κτίσμα ὑπάρχειν. *Quoniam autem in multis locis invenimus eum Vnigenitum Deum segregantem à Patris divinitate & substantia; simul vero & Spiritum sanctum; idcirco eum productum Deum dixisse liquet, quia creatum esse decernit.* Justinianus in Epist ad Menam dixisse Adamantium asserit, ὅτι ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα κτίσματά εἰσι, καὶ ὅπερ ἡμεῖς ἐσμεν πρὸς τὸν υἱὸν, τοῦτο ὁ υἱὸς ἔστι πρὸς τὸν πατέρα. *Filium & Spiritum sanctum res esse creatas, quodque nos sumus ad Filium, id Filium esse ad Patrem.* Photius Cod. 58. scribit, Origenem docuisse in 1. περὶ ἀρχῶν, τὸν μὲν υἱὸν ὑπὸ τοῦ πατρὸς πεποιῆσθαι, τὸ δὲ πνεῦμα ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. *Filium esse à Patre factum, Spiritum sanctum à Filio.* Quibus assentiuntur Augustinus, Cedrenus, Suidas, Zonaras, & Nicetas. B C

Rufin. de adult. libr. Orig.

XXIII. Si quæ tamen culpam hanc extenuare possunt, colligamus. Rufinus hujus hæreseos virus libris Origenis aliena manu affusum existimabat: *Nunquid*, inquit, *in eodem opere ejusdem libri, interdum, ut diximus, statim in consequenti capitulo oblitus sui esse potuit? verbi causa, ut qui superius dixerat nusquam inveniri in omni Scriptura, ubi Spiritus sanctus factus vel creatus esse diceretur, continuo subjiceret inter cæteras creaturas factum esse Spiritum sanctum?* Similia regerit Genebrardus. Didymus vero non eximiæ solum eruditionis homo, sed or-

Genebr. in collectan. De vit. Origin. c. 6.

thodoxæ etiam fidei, scripta quidem ab Origene non negat quæ objici solent, sed in malam partem flecti asserit à malevolis, quæ recta poterant interpretatione defendi. Id priusquam aggredimur facere, afferemus Origenis testimonia quædam, Catholicæ doctrinæ satis consentanea. Filium creatorem appellat libr. 7. in Epist. ad Rom, & à rebus creatis diserte secernit: *Nihil est*, inquit, *visibilis, sive invisibilis creaturæ, quod Filio possit adæquari: nullo enim pacto Creatori suo creatura potest conferri; & si Creator ipse donatus est nobis, quomodo non cum ipso creatura nobis dabitur?* Et in Anacephalæosi libri 4. περὶ ἀρχῶν: *Non enim dicimus, sicut Hæretici putant, Patris aliquam substantiam Dei in Filium versam, aut ex nullis subsistentibus Filium procreatum à Patre, id est extra substantiam suam, ut fuerit aliquando, quando non fuerit, sed abscisso omni sensu corporeo, ex invisibili & incorporeo Verbum & Sapientiam genitam dicimus, absque ulla corporali passione, velut si voluntas procedat è mente.* Locum hunc capite 18. repetit Auctor libelli De Deitate & Incarnatione Verbi ad Januarium, qui habetur in fine Tomi quarti Augustini. Atque hæc verba: *Aut ex nullis subsistentibus Filium procreatum à Patre, id est extra substantiam suam, ut fuerit aliquando quando non fuerit*, nemo non videt vel à Rufino fuisse interpretationi intexta, vel ab aliis Rufino antiquioribus Græco ipsi contextui infarta contra Arium, quem Sozomenus

Sozomen. lib. 1. c. 15.

αἴτ πρότερον παρ' ἑτέρου μὴ εἰρημένον τολμῆσαι ἐν ἐκκλησίᾳ λοιφωδῶς, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐξ οὐκ ὄντων γεγονέναι, καὶ εἶναί ποτε ὅτε οὐκ ἦν. *Primum in Ecclesia ausum esse dicere, quod nemo ante illum dixerat, Filium scilicet Dei ex non-extantibus extitisse, & fuisse aliquando cum nondum esset.* Disertissima etiam hæc de sancto Spiritu è libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. *Verum tamen usque ad præsens nullum sermonem in Scripturis sanctis invenire potuimus per quem Spiritus sanctus factura esse, vel creatura diceretur; ne eo quidem modo quo de Sapientia referre Salomonem supra edocuimus, vel quo de vita, vel Verbo, aliisque appellationibus Filii Dei intelligenda esse tractavimus.* Atque hæc quidem è Rufinianis Interpretationibus depromta testimonia, ut minus valida præmisimus, velut leviorem quamdam arD E F

maturam. Sed jam cominus signa conseramus.

Aliquot attulimus locos, quibus in creatarum rerum censum detrusi videntur ab Origene Filius & Spiritus sanctus. Priore, quem adducit Justinianus, Filius dicitur ὡς θελήματος τοῦ πατρὸς γέννημα, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, κτίσμα. Respiciebat nempe ad illud Proverb. 8, 22. ὁ θεὸς ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ. *Deus creavit me initium viarum suarum.* Ita nimirum reddiderunt hunc versum Interpretes, LXX. qui Ebraice habet קנני *possedit me.* Vertit Aquila: ἐκτήσατό με. & sic fortasse legendum quoque apud τὸν ὁ. hanc enim lectionem tuentur Basilius libr. 2. contra Eunomium, Gregorius Nyssenus libr. 1. contra eumdem, & Hieronymus in Isaiæ 26. 13. Quamquam & Chaldæus, & Syrus, & Arabs, & maxima Patrum etiam vetu-

A vetustiorum pars hodiernæ lectioni consentiunt. Sane ad generationem Filii potest utrumque pertinere. ἔκτισε, *creavit*, id est, genuit, Cicero libr. 1. De republ. *Quoniam plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quam is qui, ut ajunt, creaverit.* Virgilius Æneid. 10.

Sylvicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat.

Claudianus 1. de raptu:

Nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur.

Sed & ἐκτήσατο, *possedit*, de parentibus dicitur; quorum nihil tam proprium est quam liberi, quos genuerunt. Quamobrem Eva dixit de Caino: קניתי איש את יהוה. LXX. ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τοῦ θεοῦ. Vulgata: *Possedi hominem per Deum.* Filium igitur κτίσμα ab Origene dictum credere possumus hoc sensu, quo Filii à parentibus creari dicuntur. Quapropter cum Tom.
B I. in Joh. p. 19. sapientiam animatam, id est Filium, diceret à Deo esse creatam, locutionem illam mollivit hoc temperamento, ἵν' ἔτως εἴπω. En tibi verba: καὶ λεκτέον ὅτι κτίσας, ἵν' ἔτως εἴπω, πλὴν ἔμψυχον σοφίαν ὁ θεὸς, αὐτῇ ἐπέτρεψεν, &c. Nec sic tamen docti cujusdam viri reprehensiones locus iste effugit.

Sequentium locorum crimen hoc est, quod Servator noster appelletur θεὸς γενητός. cujus postremæ vocis ea est ambiguitas, & tam crebris disputationibus ventilatus intellectus, ut omnis inde quæstionis hujus pendeat dijudicatio. Perscrutanda itaque illa est accurate, sed paucis. A γενάω, *gigno*, fit γενητὸς, *genitus*: à γίνομαι, *sum, existo*, fit γενητὸς hoc est, *habens ab aliquo ut sit.* Itaque si proprie loqui velimus, Deus Pater est ἀγένητος, & ἀγένητος,
C quia neque ab ullo genitus est, neque ab ullo habet ut existat. Item Filius est γενητὸς, *genitus*, nam gignitur à Patre: est γενητὸς, nam à Patre sic tamquam à principio habet ut sit. Spiritus vero sanctus non est γενητὸς sed γενητὸς genitorem enim non habet, sed habet à Patre & Filio ut existat. Hæc est propria vocum illarum notio, quam tamen nec semper servarunt Patres, & consulto permiscuerunt ac confuderunt Ariani, ut in ambigua voce facilius fraudem struerent. Origenes vero cum Filium appellat γενητὸν θεὸν, sic accipe: *qui principium sui habet, & existendi initium.* Filio quidem commune est cum creatis rebus, sui principium ac originem habere: emanandi autem ex illo principio ac prodeundi ratio plane diversa est: prodit enim Filius per generationem æternam; prodeunt creatæ res per temporariam creationem. Hoc sensu, quo dixi, vocem ἀγένητος à Veteribus usurpatam scribit Athanasius: ἀλλ' ἀγνοοῦμεν δὲ ὅτι καὶ οἱ ἑρμηνεύσαντες τὸ ἀγένητον, τὸν πατέρα λέγοντες, οὐχ' ὡς γενητὸν *Athanas. De Synodis Ariminis & Seleuc.*
D καὶ ποιήματος ὄντος τοῦ λόγου ἔτως ἔγραψαν, ἀλλ' ὅτι μὴ ἔχει τὸ αἴτιον. *Non ignoramus autem eos qui dixerunt unum esse ἀγένητον, Patrem significantes, non ita scripsisse quasi Verbum sit γενητὸν & opus, sed quia Pater causam non habet.* Patrem dictum esse ait ἀγένητον quia ab alio non habet ut sit: Filium autem γενητὸν esse negat hac notione, quod ab alio factus sit: sed non negat γενητὸν esse alia notione, ea sc. quam indicavi, quod ab alio habeat ut sit, non tamquam res facta, sed tamquã res genita. Atq; ita Filius dici potest ἀγένητος, qui ab alio non habet ut sit, nempe tamquã opus seu res facta, vel tamquam res creata: & γενητὸς, qui ab alio habet ut sit, nempe tamquam res genita & Filius. Sic Origenes, qui γενητὸν θεὸν appellasse Filium insimulatur, & qui Tom. 2. in Joh. p. 56. credere se dixit ἀγένητον (legendum, vel certe intelligendum ἀγένητον) μηδὲν ἕτερον τοῦ πατρὸς εἶναι,
E hoc est unum Patrem principio carere, nec ab alio habere ut sit, Filium tamen ἀγένητον vocat libr. 6. contra Cels. ἔστε γὰρ τὸ ἀγένητον καὶ πάσης γενητῆς φύσεως πρωτότοκον κατ' ἀξίαν οἰόν τε ἦν ὡς ὀγεννήσας αὐτὸν πάλιν. Illic ἀγένητον sonat *non factum, non creatum.* Hinc natam opinor primam è criminationibus adversus Origenem conflatis, quas Pamphilus in Apologia recenset. *Prima illa est*, inquit, *quod dicunt, eum innatum dicere Filium Dei.* Dixerat nempe Origenes ἀγένητον, quod ipsius adversarii, contentiosi homines & rixosi, confuderunt cum ἀγένητον, ut ansam haberent calumniæ. Contra vero Socrates de Eusebio loquens merito dixit: θαυμαστὸς καὶ ζηλωτὴς ἐγένετο τῶν ὠριγένους βιβλίων· ἐν οἷς παντα χοῦ τὸν υἱὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα ἐυρίσκουσιν ἐκ τῶν ὠριγένους βιβλίων τὸ βάθος καταπόσαι δυνάμενοι. *Admirator & æmulator librorum Origenis fuit, in quibus Filium ex Patre natum ubique reperiunt, qui librorum Origenis profunditatem animo penetrare possunt.* Hieronymus vero dixisse ipsum affirmans *Christum Filium Dei non natum*
F *esse, sed factum*, hoc est, ἀγένητον & γενητὸν, utramque hanc vocem in alium detorquet intellectum, ac ab Origene usurpata est: qui cum dixit Filium ἀγένητον, id sibi voluit, non esse factum, nec creatum. Contra Hieronymus exposuit, non esse natum, quasi dixisset ἀγένητον: cum vero Filium dixit γενητὸν, id sibi voluit, habere ipsum sui principium; contra Hieronymus exposuit, esse factum. Nempe sic verba Origenis in pessimum sensum trahere amabat. Ita Epiphanius vocis γενητὸς usum in aliis probaturum se dicit, in Origene damnare. Contra ea vero quæ addit, velle Origenem χρῆ χάειν τὸν υἱὸν αὐτῷ καλῶς· *Per gratiam Filium ipsum (Christum) appellari*, promta est ex ipso Origene defensio, qui diserte docet Tom. 2. in Johan. μόνον τὸν μονογενῆ φύσει υἱὸν ἀρχῆθεν τοῦ χάειν· & libr. 7. in Epistol. ad Rom. *Sicut enim multi sunt Filii Dei, ut Scriptura dicit; Ego dixi, Dii estis & filii Excelsi omnes, unus tamen est natura Filius & Vnigenitus de Patre.* *Epiph. Har. 64. cap. 8.*

Commode vero exponetur locus à Diodoro recitatus, ubi lux à Deo producta Gen. 1. 3. A Filius esse dicitur, si respondeamus id allegorice ad Filium ab Origene fuisse relatum. Quoniam enim nunquam non dicit Pater : Ego hodie genui te ; induci quoque potest semper dicens, Gignatur Filius meus qui est lux vera. Firmat hanc responsionem vox, γεννηθήτω, *gignatur*: sic enim legitur in Catena, non ut vulgo, γενηθήτω *fiat*. Penitus vero id confirmatur ex eo quod ait Tom. 1. in Johan. pag. 118. jubente Patre ut fieret lux, mandato Patris obtemperantem Filium lucem creasse. Quod si creavit lucem, lux ista creata ipse utique non est.

XXIV. Quorsum vero tot ambagibus detinemus Lectorem, explicandis verbulis, & evolvendis sententiolis frustra immorantes? Præstat ipsa Origenianæ doctrinæ penetralia B scrutari. Meminerimus supra notatum esse à nobis credidisse Origenem Filium manasse de Dei substantia, sic tanquam lucem de Sole, atque ideo ejusdem esse ac Patrem substantiæ, quia lux ejusdem est substantiæ cujus Sol, licet non sit eadem numero substantia : & rursus Filium à Patris substantia & divinitate, ut ait Epiphanius, segregasse ; quia ut à Sole per effluvium profecta est lux, secreta ab eo & sepositа dici potest : præterea Patre inferiorem esse Filium, quia Sol luce nobilior est & dignitate superior. Creatum dixit, vel eo sensu quo liberi à parentibus procreari dicuntur, ut notavimus ; vel quia materiam è qua conflatus est mundus, quam à Dei substantia ab omni retro ævo emanasse censuit, quemadmodum ostendemus infra, creatam dici sciebat. Id enim tantum discriminis posuit Filii inter & materiæ procreationem, quod ille sit *primogenitus omnis creaturæ*, & quod præ na- C turis reliquis sit τελειωτάτη, ut loquitur Clemens Alexandrinus libr. 7. Strom. καὶ ἁγιωτάτη, καὶ κυριωτάτη, καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ βασιλικωτάτη ἡ τοῦ Φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη· *Perfectissima, & sanctissima, & maxime dominans, & maxime imperatoria ac regia Filii natura, quæ soli Omnipotenti propinquissima est.* Sed parum interest, qua voce Filii ortum à Patre significaverit, sive υἱὸν appellans, sive ποιητὸν, sive γεννητὸν, dummodo de re constet. Manifestum hinc est etiam quo sensu dixerit Tom. 2. in Johan. pag. 47. Filium è divinitate Patris divinitatem suam haurire & trahere, ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀρύσασθαι, &, παίσασθαι τὸ θεότητος εἰς ἑαυτὸν, hoc est, portionem divinitatis, non divinitatem. Præterea quoniam si Solem æternum ponas, lucem coæternam ponere necesse est, idcirco coæternum Filio Patrem agnovit Tom. 1. in Johan. pag. 31. ὅτε γὰρ τὸ υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, λέγῃ πρὸς αὐτὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ᾧ ἀεὶ ἐστι D τὸ σήμερον. οὐδενὶ γὰρ ἑαυτὸν θεὸς ἐγὼ ἤγημαι ὅτι μὴ πρωΐα, ἀλλ' ὁ συμπαρεκτείνων τῇ ἀγεννήτῳ & ἀϊδίῳ ἀπὸ ζωῆ, ἵν' ἕτως εἴπω, χρόνῳ, ἡμέρα ἀπὸ ἐστι σήμερον, ὃν ἡ γεγέννηται ὁ υἱός. ἀρχῆς γενέσεως ἀπὸ ἀχ' ὑπερεκομένης, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ἡμέρας· & libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. *Per Evangelium docetur quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil : & intelligat ex hoc, quia non potest antiquius esse in Deo Omnipotentis appellatio, quam Patris : per Filium enim omnipotens est Pater :* & capite sequenti de S. Trinitate loquens ait : *Ea de quibus loquimur, tractu quidem sermonis temporaliter nominantur, natura autem sui omnem intelligentiam sensus temporalis excedunt*, & libr. 4. in Anacephalæosi : *Supra omne autem tempus, & supra omnia sæcula, & supra omnem æternitatem intelligenda sunt ea quæ de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dicuntur. Hæc enim sola Trinitas est quæ communem sensum intelligentiæ, non sum temporalis, verum etiam æternalis excedit. Cætera vero quæ sunt extra Trinitatem in sæculis & in temporibus metienda sunt.* Quæ loca cap. 13. & 19. usurpat E scriptor Operis de Deitate, & Incarnatione Verbi, quod habetur in calce quarti Tomi Augustini. His adjunge & istum è lib. 1. in Epist. ad Rom. cap. 1. *Qui nunquam prædestinatus est ut esset Filius, sed semper fuit sicut & Pater.* Quamobrem Athanasius in libro de Decretis Nicænæ Synodi sic ait : ὡσὰν δὲ τῶ ἀϊδίως σωεῖναι τὸν λόγον τοῦ παλεί..... ἐξέτω πάλιν ὑμᾶς ἀκοῦσαι καὶ παρὰ τῶ φιλοπόνω ἀνεγνῶς· & Socrates lib. 7. cap. 6. postquam lectitari solitos fuisse dixit Platonem à Georgio, Origenem à Timotheo Arianis Presbyteris, θαυμάσαι ἐν μοι, inquit, ἔπεισι πῶς ἕτοι οἱ ἄνδρες τῇ ἀρξανῶν θρησκείᾳ παρέμειναν, ὧν ὁ μὲν τὸν πλάτωνα ἀεὶ μὴ χεῖρας ἔχειν. ὁ δὲ τὸν ὠριγένην ἀνέπνεεν· ἐδὲ γὰ πλάτων τὸ δεύτερον καὶ τὸ τρίτον αἴτιον, ὡς αὐτὸς ὀνομάζειν εἰώθειν, ἀρχικὴ ὑποστάσεως εἰληφέναι φησί· καὶ ὠριγένης σωαΐδιον σωαχῶς ὁμολογεῖ τὸν υἱὸν τῷ πατρί· Vertit Epiphanius Scholasticus : *Mihi tamen videtur admirabile, quomodo tales viri in Arianorum lege manserint, quorum unus quidem Platonem semper habebat in manibus, alter spirabat jugiter Origenem : quum nusquam Plato secundam vel tertiam causam (sicut ipse nominare solet) initium subsistentiæ asserat percepisse, & Origenes coæternum ubique fateatur Filium Patri* : & Guido Elnensis in Summa de hæresibus : *Origenes*, inquit, *super Epistolam ad Rom. 1. non est secutus errorem Arii de existentia Filii Dei : Arius enim dicit quod erat tempus quando Dei Filius non erat, quod reprobat Origenes dupliciter, primo exponens illud Rom. 1. Qui factus est ex semine David secundum carnem, dicit sic : Factus est autem sine dubio id quod prius non erat secundum carnem : secundum autem spiritum, id est, secundum Deitatem, qua Deus est spiritus, prius erat & non erat, tempus quando non erat. Secundo reprobat errorem Arii cum ait : Observandum est enim quia non dicit ; Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum*

spiritum

A *ſpiritum ſanctificationis, ſed dicit; Qui deſtinatus eſt Filius Dei in virtute..... Deſtinatur enim ille qui eſt: prædeſtinatur vero ille qui nondum eſt, ſicut de his dicit Apoſtolus: Quos autem præſcivit, illos & prædeſtinavit. Præſciri ergo & prædeſtinari poſſunt illi qui nondum ſunt; ille autem qui eſt, & ſemper eſt, non prædeſtinatur, ſed deſtinatur..... Filius autem Dei ſemper fuit ab æterno, & non fuit tempus quando non fuerit. Vbi patet quod Origenes errorem Arii clare damnat.* Pluribus id probare ſuperfluum eſt, quod ex gemino Origenis loco ſatis probavit Athanaſius in Decretis Nicænæ Synodi. Porro quæ de Filii generatione diximus, eadem de Spiritus ſancti proceſſione intelligenda ſunt.

Ne quis vero nos Solis, ſolarisque radii exemplum, ad declarandos Origenis ſenſus gratis aſciviſſe putet, en ipſius verba Hom. 9. in Jer. pag. 106. ἐὰν ἓν ὑπομνήσω σοι ἐπὶ τὸ σωτῆρος, ὅτι οὐχὶ ἐφθόνησεν ὁ πατὴρ τὸ ἰδεῖν, καὶ ἀπέλυσεν αὐτὸν ὁ πατὴρ δόξαν τὴν γενέσεως αὐτοῦ, ἀλλ' ἀεὶ γεννᾷ αὐτόν. ᾧ ἐφ-
B ησω δὲ ἐπὶ τῶν δικαίων πλησίον. ἰδιωτικῶς οὖν τίς ἡμῶν ἔστιν ὁ σωτὴρ ἀπαύγασμα δόξης. τὸ ἀπαύγασμα δόξης οὐχ ἅπαξ γεγόνηκεν, καὶ οὐχὶ γεννᾷ. ἀλλ' ὅσον ἐστὶ τὸ φῶς ποιητικὸν τοῦ ἀπαυγάσματος, ἐπὶ τοσοῦτον γεννᾷ τὸ ἀπαύγασμα τὴν δόξης τοῦ θεοῦ· ὁ σωτὴρ ἡμῶν σοφία ἐστὶ τοῦ θεοῦ ἔστι δὲ καὶ ἡ σοφία ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου. εἰ ἀεὶ ὁ σωτὴρ ἀεὶ γεννᾶται, καὶ δίχα τούτου λέγω· πρὸ δὲ πάντων ἐμοῦ γεννᾷ με. οὐχὶ δέ· πρὸ δὲ τῶν πάντων ἐμοῦ γεγέν-
νηκέ με. ἀλλὰ πρὸ πάντων ἐμοῦ γεννᾷ με, καὶ ἀεὶ γεννᾷ) ὁ σωτὴρ ὡσὰν τοῦ πατρός. Eadem utitur ſimilitudine Tertullianus Apologet. cap. 21. *Etiam cum radius ex Sole porrigitur, portio ex ſumma, Sed Sol erit in radio, quia Solis eſt radius; nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accenſum: manet integra & indefecta materiæ matrix, & ſi plures inde traduces qualitatis mutueris. Ita & quod de Deo profectum eſt, Deus eſt, & Dei Filius, & unus ambo.* Quibus hæc adſonant è libr. contr. Praxeam, cap. 9. *Pater tota ſubſtantia eſt: Filius vero derivatio totius & portio, ſicut ipſe profitetur: Quia Pater major me eſt.*
C Unde liquet quo ſenſu dixerit *Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unius eſſe ſubſtantiæ, & unius ſtatus, & unius poteſtatis, & Filium non aliunde deducere ſe, quam de ſubſtantia Patris.* Auguſtinus ipſe comparatione eadem generationem Verbi explicat lib. 6. de Trinit. ipſo initio, ſed non eadem inde colligit: *Ipſe Arius*, inquit, *dixiſſe fertur: Si Filius eſt, natus eſt: ſi natus eſt, erat tempus quando non erat Filius; non intelligens etiam natum eſſe Deo ſempiternum eſſe, ut ſit coæternus Patri Filius: ſicut ſplendor qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coævus illi eſt, & eſſet coæternus, ſi eſſet ignis æternus.* Itaque eò diſcrepabat ab Origene Arius, quod hic Filium diceret eſſe factum ἐξ οὐκ ὄντων, hoc eſt, ex nihilo, & cum antea non eſſet: ille paternæ ſubſtantiæ portionem eſſe & effluvium ab æterno manans & Patri coæternum. Quo in error re verſatos eſſe Pſathyrianos Hæreticos Ario prognatos narrat Theodoretus in 4. libr.
D De Hær. Fab. Scriptor operis de Deitate & Incarnatione Verbi ad Januarium; qui ad calcem Tomi 4. Auguſtini reperitur, & fere Origenis laciniis ſuffarcinatus eſt; auctoribus Johanne & Paulo generari Verbum dixit cap. 10. quemadmodum ſplendor à luce proficiſcitur: *Eſt namque*, inquit, *ita æterna ac ſempiterna generatio, ſicut ſplendor generatur à luce*; & c. 19. *Sed & Iohannes indicat quia Deus lux eſt, & Paulus deſignat quia Filius ſplendor lucis æternæ ſit Deus. Sicut ergo nunquam lux ſine ſplendore eſſe potuit, ita nec Filius quidem ſine Patre intelligi poteſt, qui & figura expreſſa ſubſtantiæ ejus, & Verbum, & Sapientia dicitur.* Denique Symbolum Filium eſſe decernit *Deum de Deo, lumen de lumine.*

Tertull. contr. Prax. c. 3. & 4.

Ioh. 1. 5. Hebr. 1. 3.

XXV. At non in iis ſolum, ſed in aliis etiam ad Chriſti generationem, & Spiritus ſanc-
E ti proceſſionem pertinentibus, & hic quem dico Tertullianus, & alii plerique ex antiquiſſimis Doctoribus, & Nicæna Synodo anterioribus, Origenis impietatem dicam, an imperitiam vel æquarunt vel ſuperarunt. Juſtinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, ipſe Tertullianus, & Lactantius, Deum dixerunt cum mundi creationem meditaretur, Verbum ſuum protuliſſe, quo adminiſtro in rerum molitione uteretur. Gregorium quoque Thaumaturgum Filium dixiſſe creatum & factum tradit Baſilius Epiſt. 64. Leguntur & iſta Dionyſii Alexandrini, quæ ſunt ſingularis væcordiæ, Filium Dei eſſe ποίημα καὶ γενητὸν, ξενὸν καὶ ὁσίαν τοῦ πατρὸς, ὥσπερ ἐστὶν ὁ γεωργὸς πρὸς τὴν ἄμπελον· *Opus & factum, alienum quoad ſubſtantiam à Patre, quemadmodum eſt agricola ad vitem.* Demum ſubjicit: καὶ γὰρ ὡς ποίημα ὤν, οὐκ ἦν πρὶν γένηται). *Etenim utpote qui ſit opus, non erat antequam factus eſſet.* Theognoſtum etiam Alexandrinum Origenis aſſeclam libro Hypotypoſeon ſecundo dixiſſe nar-
F rat Photius, Filium eſſe creatum, quamvis ipſius, & Dionyſii quoque Alexandrini auctoritate ad Arianos confutandos Athanaſius uſus ſit. Quod allegorice dictum indicavimus ab Origene, tum à Patre productum Filium, quando juſſit fieri lucem, id plane & aperte dixit Tertullianus contra Praxeam, cap. 3. *Tunc ipſe Sermo ſpeciem & ornatum ſuum ſumit, ſonum & vocem, cum dixit Deus; Fiat lux.* Sed quod in homine horum temporum æquali, quibus nondum quæſtiones illæ fuerant ventilatæ, excipiendum eſt minus ſevere, neutiquam id ferri poteſt in Ruperto ſic loquente libr. 1. Comment. in Geneſ. cap. 10. *Vere enim ſine voce natum, & omnia potentialiter continens Verbum tunc Pater actualiter generavit, quando cælum & terram creavit, quando lucem & cætera fecit. Eructavit ergo cor Patris Verbum bonum, & ex utero, ideſt, de ſuæ ſubſtantiæ ſecreto, ante Luciferum genuit illud, quando dixit: Fiat lux.*

Phot. Cod. 106.

XXVI. Est apud Origenem Hom. 1. in Isaiam, duo Seraphim quibus solium Dei stipatum vidisse se scribit Propheta, ea esse Christum, & Spiritum sanctum. Idem iteratur libr. 1. περὶ ἀρχῶν, c. 3. ubi & auctorem expositionis hujus Ebræum magistrum laudat, & libr. 4. c. 2. Verba ipsa dat Justinianus in calce Epistolæ ad Menam. Hieronymo stomachum ita movit hæc interpretatio, ut impiam eam & detestandam appellet. Impia ergo ea quoque est, & detestanda interpretatio Homiliæ sequentis, qua Davidem Christum esse docet. Impia etiam ea quam libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. damnatæ ab Hieronymo sententiæ subjunxit. Talis utraque est: *Dicebat autem & Ebræus magister, quod duo illa Seraphim, quæ in Esaia senis alis describuntur, clamantia ad invicem, & dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, de Vnigenito Filio Dei & Spiritu sancto essent intelligenda. Nos vero putamus etiam illud quod in Cantico Abacuc dictum est: In medio vel duorum animalium, vel duarum vitarum cognoscēris; de Christo & de Spiritu sancto sentiri debere. Omnis enim sapientia de Patre revelante Filio in Spiritu sancto cognoscitur, ut ambo quæ secundum hoc vel animantia, vel vitæ dicuntur, causſa sapientiæ Dei Patris existant.* Similiter impia & hæc interpretatio, qua olivæ duæ candelabri aurei, quod vidisse se narrat Zacharias cap. 4. Filius & Spiritus sanctus exponuntur; media vero lampas, Deus Pater (cujus ad dextram & sinistram esse Christum & Spiritum sanctum non sine blasphemia dici posse ait Hieronymus) rami sive spicæ olivarum, Incarnatio Christi, & similitudo columbæ Spiritus sancti. Sin ut Davidem Christi typum esse, & ut animalia, vel vites, vel olivas candelabri, sic & Seraphimos Isaiæ anagogice Christi & Spiritus sancti symbola esse voluit Origenes, ut certe voluit, vanæ sunt Hieronymi querelæ. Clarius id etiam sequentia demonstrant, in quibus per hæc verba: *Plena est omnis terra gloria ejus*, adventum Christi significari scribit Origenes: certum est enim eum cujus gloria plena illic esse dicitur terra, hunc ipsum esse Dominum Deum Sabaoth; Christum autem eum esse cujus gloria plena est terra, Origenes censuit. Christum igitur credidit ipsum esse Dominum Deum Sabaoth. Hoc si sit, Christo ipsi adstitisse Seraphimos, non unum ex illis Christum fuisse Origenes existimaverit. Incassum igitur fingit Haymo Alberstatensis in libro De rerum Ecclesiasticarum memoria, Origenianis hæc esse Operibus inserta à malevolis; vel si Origenem auctorem habent, dubitanter fuisse proposita.

Hier. libr. in Isaiam, & Epist. 63 ad Pamm. & Ocean.

Hieron. in Zach. 4.

XXVII. Photius Cod. 8. errores referens librorum περὶ ἀρχῶν, hos ait libro primo contineri: διήκειν μὲν τὸ πατέρα διὰ πάντων τῶν ὄντων, τὸ δὲ υἱὸν μέχρι τῶν λογικῶν μόνων, τὸ δὲ πνεῦμα μέχρι μόνων τῶν σεσωμένων· *Pervadere quidem Patrem quæcunque sunt, Filium vero res duntaxat rationis particípes, Spiritum sanctum ea tantum quæ salutem adepta sunt.* Codice vero 106. narrat Theognostum Alexandrinum Origenis dogmata propugnantem libro Hypotyposeon secundo dixisse Filium τῷ λογικῶν μόνον ἐπισατεῖν· *Ratione duntaxat præditis rebus præesse.* Athanasius in libro quem scripsit in Matth. 12. 32. ad Novati hæresim hæc accedere docet, Origenemque & ejus sectatorem Theognostum explodit. Amaris etiam defricat ipsum convitiis Theophilus in 1. Paschali, & ratione ac auctoritate commenta illa convellit. Quæ & leviter perstringit Hieronymus in Epist. ad Avit. Suis vero ipsius verbis coarguit Justinianus ad calcem Epistolæ ad Menam, talia è libr. 1. περὶ ἀρχῶν repræsentans: *Quod Deus quidem & Pater omnia continens ad unumquodque entium pervenit, esse unicuique impertiens de suo: quod vero præter Patrem Filius ad sola rationabilia pervenit, est enim secundus à Patre: adhuc etiam minor est Spiritus sanctus ad solos Sanctos perveniens. Ita ex hoc major est potestas Patris præ Filio & Spiritu sancto, ampliorque Filii præ Spiritu sancto; ac rursum præstantior sancti Spiritus potestas præ aliis entibus sanctis.* Ex hoc dogmate aptum est quod ait Tom. 1. in Johan. pag. 29. Christum eatenus lucem esse, quatenus mentes rationis particípes illustrat. Atque item illud quod in 1. περὶ ἀρχῶν Rufinianæ interpretationis reperio: *In illis solis arbitror esse opus Spiritus sancti, qui jam se ad meliora convertunt, & per vias Iesu Christi incedunt, id est, sunt in bonis actibus, & in Deo permanent.* Et paulo inferius: *Hoc ergo pacto operatio virtutis Dei Patris & Filii indiscrete super omnem protenditur creaturam; Spiritus sancti vero participationem à Sanctis tantummodo haberi invenimus.* Et libr. 7. in Epist. ad Rom. *Tamen quod & ille* (Christus) *pro impiis mortuus est: sic enim & ipse Paulus ostendit, cum dicit: Adhuc enim Christus cum infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est: sanctus autem Spiritus non pro impiis jam interpellat, sed pro Sanctis.* Quibus omnibus id sibi vult, Patrem in omnibus quæ sunt operari, quia totius ἐντότητος, sive existentiæ (sic enim loqui liceat) principium est; Filium, qui & λόγος, hoc est juxta Origenis expositionem, *ratio*, in iis solum quæ ratione prædita sunt, vim suam experiri; Spiritus, qui à sanctitate proprium sibi cognomen habet, vim ἁγιαστικὴν ad Sanctos duntaxat pertinere.

Orig. lib. 1. περὶ ἀρχ. cap. 3.

XXVIII. Atque hæc κατὰ τόμους ita sumpta vix est ut reprehensionem effugiant. At si quis ad mentem potius Origenis quam ad verba attenderit, aliter sentiet. Quamvis enim una eademque sint sacræ Trinitatis extranea opera, & quidquid agit in rebus externis Pater, hoc agat & Filius, hoc & Spiritus sanctus; quædam tamen Patri assignari solent, alia Filio,

A Filio, alia Spiritui sancto. Quemadmodum ergo Patri vulgo attribuitur creatio rerum, licet trium peræque Personarum sit; ita Filio, qui est λόγος, omnium λογικῶν curam Origenes adscribit; sanctitudinis vero collationem addicit Spiritui sancto, juxta Rom. 1. 4. & 2. Thess. 2. 13. quamvis toti Trinitati debeatur. Scriptum est 1. Petr. 1. 2. *Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi.* Præscientia Patri, sanctitudinis infusio Spiritui sancto tribuitur. Sic sensisse Origenem ex iis licet existimare: *Porro autem in Trinitate nihil majus minusve dicendum est, quum unius divinitatis fons Verbo ac ratione sua teneat universa; Spiritu vero oris sui quæ digna sunt sanctificatione sanctificet, sicut in Psalmis scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Est etiam quædam inoperatio Dei Patris præcipua præter illam, quam omnibus ut essent naturaliter præstitit.* Orig. libr. 1 περὶ ἀρχ. cap. 3.

B *Est & Domini Iesu Christi præcipuum quoddam ministerium, in eos quibus naturaliter ut rationabiles sint, confert, per quod ad hæc quæ sunt, præstatur eis ut bene sint. Est & alia quoque etiam Spiritus sancti gratia quæ dignis præstatur, ministrata quidem per Christum, inoperata autem à Patre secundum meritum eorum qui capaces efficiuntur. Quod manifestissime indicat Apostolus Paulus, unam eandemque virtutem Trinitatis exponens in eo cum dicit: Divisiones sunt donorum vel donationum, idem autem Spiritus: & divisiones sunt ministeriorum; idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt; idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus secundum id quod expedit. Ex quo manifestissime designatur, quod nulla est in Trinitate discretio, sed hoc quod donum Spiritus Dei ministratur per Filium, & inoperatur per Deum Patrem. Omnia autem operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Quin etiam sanctimoniæ collationem idem Filio assignat; sapientiæ vero ac scientiæ gratiam Spiritui

C sancto itidem ut Filio acceptam refert. *Vnde*, inquit, *inoperatio Patris, quæ præstat omnibus, clarior ac magnificentior invenitur, cum unusquisque per participationem Christi, secundum id quod sapientia est, & secundum id quod scientia est, & sanctificatio est, proficit, & in altiores profectuum gradus venit: & per hoc quod participatione sancti Spiritus factus est quis purior atque sincerior, effectus dignos recipit, sapientiæ ac scientiæ gradum.* Repetit ista cap. 18. Auctor libelli de Deitate & Incarnatione Verbi ad Januarium, qui ad calcem Tomi quarti Augustini subnectitur. Quæ ne quis à Rufino Interprete in Origenis gratiam conficta putet, similem adjungemus locum è Tom. 2. in Johan. pag. 56. 57. Ἓν (ὑμᾶς) χρήζειν ἔοικε τὸ ἅγιον πνεῦμα, διακονεῖσθαι αὐτὸ τῇ ὑποστάσει, ὃ μόνον εἰς τὸ εἶναι, ἀλλὰ καὶ σοφοὺς εἶναι, καὶ λογικοὺς, καὶ δικαίους, καὶ πᾶν ὁτιποτοῦν χρὴ αὐτὸ νοεῖν τυγχάνειν καὶ μετοχὴν τῆς προειρημένων ἡμῖν χάριτος ὀφείλει δὲ τὸ ἅγιον πνεῦμα τὴν, ἵν' ἕτως εἴπω, ὕλην τοῦ

D ὄντος θεοῦ χαρισμάτων παρέχειν τοῖς δι' αὐτοῦ καὶ τῷ μεθέξειν αὐτὸ χρηματίζουσιν ἁγίοις, τῆς εἰρημένης ὕλης τῶν χαρισμάτων ἐνεργουμένης μὲν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, διακονουμένης δὲ ὑπὸ τοῦ χριστοῦ, ὑφιστώσης ὃ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ᾧ κινεῖ με εἰς τὸ ταῦθ' ὕτως ἔχειν ὑπολαβεῖν παῦλος περὶ χαρισμάτων ἅτω πε γράφων. διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσὶ, τὸ δ' αὐτὸ πνεῦμα. καὶ διαιρέσεις διακονιῶν εἰσι, καὶ ὁ αὐτὸς κύριος. καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσὶ, καὶ ὁ αὐτός ἐστι θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. Purgat & illud Origenem quod in prima ejus in Isaiam Homilia legitur: *Deniqueut unitatem Deitatis in Trinitate cognoscas, solus Christus in præsenti lectione nunc peccata dimittit; & tamen certum est à Trinitate peccata dimitti.* Purgat & Paschasius Diaconus, libr. 1. De Spiritu sancto, cap. 9. Origenis sibi sententiam usurpans: *Quantum in Scripturis sanctis*, inquit, *manifestissime deprehenditur, alia Pater ipse per se, alia specialiter per Filium, alia per Spiritum sanctum, licet sub privilegio potentiæ communis operatur. Quia sumus, ad Patrem proprie referri videtur; in quo sicut Apostolus dicit,* Paschas. Tom. 6. Bibl. Patr.

E *vivimus, movemur, & sumus. Quod vero rationis, & sapientiæ, & justitiæ capaces sumus, illi specialiter qui est ratio & sapientia, & justitia, id est, Filio deputatur. Quod autem vocati regeneramur, innovati sanctificamur, per divina eloquia personæ Spiritus sancti evidenter adscribitur.* Præclare & ad rem Augustinus libr. 15. De Trinit. cap. 17. *Sicut unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine Sapientiæ, cum sit universaliter & Spiritus sanctus, & Pater ipsa Sapientia; ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo Charitatis, cum sit universaliter Charitas & Pater & Filius.*

Pari modo excipimus petitionem alteram, superioris hujus affinem. Quæritur Athanasius putasse Origenem peccata in Spiritum sanctum ea esse quæ post Baptismum admittuntur. Nempe cum in Sanctis & Christianis solum operari Spiritum sanctum dixerit, sequitur Athanas. in Matth. 12. 32.

F cum peccant ipsi, peccato ipsorum eam præcipue offendi Trinitatis Personam quæ in iis operatur, Spiritum nempe sanctum. Non multum inde abludebat Novatianus, remissionem peccatorum lapsis concedi negans, quod Christianorum peccatis offendi Spiritum sanctum diceret, cujus offensiones nec in hoc sæculo nec in futuro remitti Christus docuit. Sed quemadmodum in Christianis operari credidit Origenes tres Trinitatis Personas, etiamsi operatio hæc Spiritui sancto proprie tribui soleat; ita Christianorum peccatis post Baptismum admissis lædi proprie ipsum dixit, quamvis Filium quoque & Patrem iisdem offendi sit arbitratus.

XXIX. Illud præterea in Origene culpatum fuisse commemorat Anonymus ille quem pro eo Apologiam scripsisse tradit Photius Cod. 117. quod Filium neutiquam invocandum

dum esse pronuntiaverit. Minime quidem orandum cum Patre Filium, non autem simpliciter non orandum sensisse Origenem narrat. Augustinus Hær. 43. ad Quodvultdeum, & cur ita senserit caussam affert: *Dicit præterea,* inquit, *ipse Origenes, quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit; Patri collatus mendacium; & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri. Unde nec orandus est Filius cum Patre, quia non auctor est indulgendarum petitionum, sed supplicator.* Utramque accusationem complexus est Theophilus Alexandrinus Pasch. 2. ubi Origenem ait ausum esse dicere, *Non esse orandum Filium, neque cum Filio Patrem:* quæ quidem absurda est, & secum pugnans conquestio; nam si Filium orari vetat Origenes, cur vetuisset Patrem orari cum Filio, qui neutiquam orandus est? A

Profecto si dicta superius de violata ab Origene Filii majestate recordemur, quid de ejus invocatione opinari debuerit, facile deprehendemus. Cum enim ad ejus dignitatem quem precibus compellamus, accommodata esse debeat oratio nostra, humiliori Patrem obsecratione venerandum esse, quam Filium dicere debuit Origenes, si doctrinæ suæ connexionem retinere voluit. Neque conjectura nostra nos fallit: genuinam enim fuisse hanc ejus sententiam declarant libri contra Celsum, quorum quinto sic disserit: πᾶσαν μὲν οὖν δέησιν, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ· δεησόμεθα δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ λόγου, καὶ ἐντευξόμεθα αὐτῷ, καὶ εὐχαριστήσομεν, καὶ προσευξόμεθα δὲ, ἐὰν δυνώμεθα κατανύξαι τὸν θεὸν προσευχῆς κυκλοτερείας, καὶ καταχρηστικῶς· Nempe orationem proprie dictam Deo Patri fundi jubet, impropriam vero & καταχρηστικῶς Filio: illi ut summo Deo, bonorum datori; huic tanquam μεσίτῃ, qui preces nostras Deo offerat: *quia non est auctor,* inquit ex Origenis persona Augustinus, *indulgendarum petitionum, sed supplicator.* Clarius etiam mentem suam aperit libr. 8. ἀλλὰ τὸ ἕνα θεὸν, καὶ τὸ ἕνα υἱὸν αὐτοῦ, καὶ λόγον, καὶ εἰκόνα ταῖς κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἱκεσίαις καὶ ἀξιώσεσι σέβομεν, προσάγοντες τῷ θεῷ πᾶν ὅλον τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ, ὃν πρωτόγονον προσφέρομεν αὐτοῖς, ἀξιοῦντες αὐτὸν ἱλασμὸν ὄντα τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν προσαγαγεῖν ὡς ἀρχιερέα καὶ εὐχὰς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς ἐντεύξεις ἡμῶν τοῦ ὑπὲρ πάσι θεοῦ· & interius: μόνῳ γὰρ προσευκτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ, καὶ προσευκτέον γε τῷ μονογενεῖ καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως λόγῳ θεῷ, καὶ ἀξιωτέον αὐτὸν, ὡς ἀρχιερέα, πῶν ἐπ' αὐτὸν φθάσασαν ἡμῶν εὐχὴν ἀναφέρειν ἐπὶ τὸν θεὸν αὐτοῦ, καὶ θεὸν ἡμῶν· Aliquando tamen ad Verbum preces allegari concedit, non quasi Deo Patri offerendas, sed quasi Filii ipsius proprias; nec tanquam ad μεσίτην, sed tanquam ad ipsum bona per se hominibus largiri valentem. Ita libr. 5. κἂν μὴ τηλικοῦτός τις ᾖ, οἷόν ἐστιν καὶ ὁ τοιοῦτος εὐχέσθω τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ δυναμένῳ αὐτὸν ἰάσασθαι, καὶ πολλῷ πλέον τῷ παρὰ αὐτοῦ, ὡς καὶ τοῖς πρότερον δικαίοις ἐξαπέστειλε τὸν λόγον ἑαυτοῦ, καὶ ἰάσατο αὐτούς· Multo magis rogari jubet Patrem quam Filium, & intentiori ac humiliori oratione. Atque id sibi volunt Patres, cum clamant, dixisse illum non esse orandum cum Patre Filium; hoc est, non esse orandum itidem ut Patrem Filium. Nunc facilis est sexcentorum locorum intellectus, in quibus Patrem cum Filio nulla precationis adhibita distinctione interpellat: qualis ille est ex Homil. 4. in Jerem. *Cum autem plenitudo Gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit, & fiet unus grex & unus pastor, docens in commune populum suum magnificare omnipotentem Dominum cum Christo Iesu:* & ille ex Homil. 12. in Ezech. *Ut nunquam ad radices nostras ponatur securis, quæ in Evangelio prædicatur, attentius Iesum Christum Dominum nostrum cum Patre suo precemur:* & hic ex Homil. 15. in Luc. *Ut igitur & nos stantes in Templo, & tenentes Dei Filium, amplexantesque eum, digni remissione & profectione ad meliora simus, oremus omnipotentem Deum, oremus & ipsum parvulum Iesum, quem alloqui & tenere desideramus in brachiis:* & alter iste ex Homil. 18. in eundem: *Quia igitur Salvator Creatoris est Filius, in commune Patrem, Filiumque laudemus, cujus Lex, cujus & Templum est:* & Homil. 36. in eundem: *Propterea Domini misericordiam deprecemur, ne nobis tacentibus lapides clamitent, sed loquamur & laudemus Deum in Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* Orari quidem Patrem jubet & Filium, sed diverso genere orationis. B C D E

XXX. Postremum hoc objiciendum venit Origeni, opinatum eum humani redemptionem generis Spiritum sanctum potissimum decusse; atque id munus cum obire ac sustinere neutiquam posset, Filio imposuisse, utpote qui unus recte quiret provinciam hanc administrare. Prostat commentum illud Tom. 2. in Johan. pag. 58. ἡ τάχα ἐστὶ καὶ τοῦτο εἰπεῖν, ὅτι ἐδεῖτο ἡ κλῆσις ὑπὲρ τὸ ἐλευθερωθῆναι ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, ἀλλὰ καὶ τοῦ τὸν ἄνθρωπον ἡμῶν, μακαρίας καὶ θείας δυνάμεως ἐναντιρωπήσης, ἥτις διορθώσεται καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὡσπερεὶ ἐπέβαλλε πῶς τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἡ πρᾶξις αὕτη, ἵνπινα ὑπομένειν ἡ δυνάμενον προβάλλεσθαι τὸ σωτῆρα, ὡς τὸ τηλικοῦτον ἆθλον μόνον ἐνεγκεῖν δυνάμενον· Contra eam opinionem consurgunt universi Patres, & præ reliquis Trinitatis sanctæ Personis id operis Filio præcipue convenisse demonstrant, caussasque hujus reddunt multiplices & validas, quarum hic explicandi locus non est. Patrem tamen ac Spiritum sanctum eodem officio haud secus ac Filium defungi potuisse communis est Ecclesiæ Catholicæ doctrina, eamque tuetur Thomas Part. 3. q. 3. a. 5. Favet nihilominus Origeni Anselmus, qui alio fortasse persuasus argumento, non aliam potuisse carni F

humanæ

A humanæ illigari Personam quam Filium dixit in eo Opere, cui titulum fecit, *Cur Deus homo. Quoniam ergo*, inquit, *quodlibet parvum inconveniens in Deo est impossibile, non debuit alia Persona incarnari, quam Filius.*

QVÆSTIO TERTIA.

DE CHRISTO, EJUSQVE INCARNATIONE ET OIKONOMIA.

B I. *Plurima de Christo absona Origenes opinatus est.* II. *Utrum Christum substantialiter in Moyse, Prophetis, & Angelis adfuisse senserit.* III. *Patrum multorum assensu & sua ipsius fluctuatione juvatur.* IV. *Quo sensu dixerit Filium Dei, antequam esset homo, mediatorem fuisse:* V. *in quo & Patrum quorumdam consensione se tuetur.* VI. *Excutiuntur ejus errores de anima Christi:* VII. *quibus tamen non pertinaciter adhæsit.* VIII. *Nonnulli ipsius accusatores retunduntur.* IX. *Quo sensu Filium & ejus animam unum esse dixerit, quemadmodum Pater & Filius unum sunt.* X. *Utrum Christum carnem de cœlo attulisse persuasum habuerit.* XI. *An crediderit Christum specie tenus in terris apparuisse, non veram carnem gestasse.* XII. *Solvuntur difficiles ipsius loci duo.* XIII. *Unde in hanc affecti Christo falsi corporis suspicionem venerit, exploratur.* XIV. *Utrum Christum merum esse hominem existimaverit.* XV. *An duos Christos finxerit* XVI. *Utrum & quo sensu Jesum induisse Filium Dei pronuntiaverit.* XVII. *Quo sensu Christum dixerit deificasse naturam humanam.* XVIII. *Quo sensu Christum esse dixerit virum illum sterilem, de quo Jeremias cap. 22. v. 30.* XIX. *Utrum corpus Christi ubique esse censuerit.* XX. *Pro quibus passum Christum opinatus sit.* XXI. *Recensetur Patrum criminationes adversus Origenis sententiã,* XXII. *quæ ex ipsius verbis proponitur.* XXIII. D *Non satis constat, an sæpe jam pro rebus ratione præditis, an semel tantum passum, an etiã aliquando passurum Christum putaverit.* XXIV. *Ex supra allatis genuina ipsius opinio elicitur,* XXV. *cujus & origo indicatur.* XXVI. *Nonnulla faciunt pro caussa Origenis.* XXVII. *Utrum Christum in Sole corpus suum reliquisse sibi finxerit.* XXVIII. *Utrum censuerit Christum hominem esse desiisse, postquam mortuus est.* XXIX. *Quo sensu Christum dixerit etiam nunc lugere peccata nostra.* XXX. *Utrum regnum Christi desiturum crediderit.*

E I. VULGATUM, & in Scholis receptum Theologicarum disputationum ordinem hic deserimus, assectantes Origenem, cujus ut abnormes fuerunt plurimæ de rebus divinis sententiæ, ita peculiari, & à consuetis aliena divisione tractandæ sunt. In inferiorem ergo locum rejectis, quæ ad Angelos & Opificium sex dierum, aliaque his deinceps subnecti solita pertinent, quæstionibus, Origenis de Verbi ἐναν θρωπήσει & οἰκονομίᾳ perscrutemur decreta, si quæ sunt obnoxia reprehensionibus, & animum possunt offendere Lectoris orthodoxi. Ac sunt certe, neque pauca, quæ ab ejus ventilata & confutata adversariis, æterna nomini ejus stigmata imposuerunt.

II. Leve illud est præ reliquis mox exponendis, & aliquam habens excusationem, quo Christum docuit, antequam homo fieret, Patri ministrantem, in Moyse, Prophetis, & An-F gelis hominum salutem promoventibus adfuisse, & quidem substantialiter, atque ita suam quodammodo οἰκονομίαν inchoasse. En tibi ipsius verba ex Hom. 8. in Genes. *Et tamen considerandum est quia Angelus hæc refertur ad Abraham locutus, & quia in consequentibus evidenter hic Angelus Dominus ostenditur. Unde puto quod sicut inter nos homines habitu repertus est ut homo, ita & inter Angelos habitu est repertus ut Angelus:* & ex Homil. 1. in illud Isaiæ: *Et regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis, & missus est ad me unus de Seraphim. Non est unus*, inquit, *Domini mei Iesu Christi adventus quo descendit ad terras. Et ad Esaiam venit, & ad Moysen venit, & ad populum venit, & ad unumquemque Prophetarum venit: neque tu timeas, etiamsi jam cœlo receptus est, iterum veniet. Quia autem & ante præsentiam carnalẽ ad homines venerit, ipsum accipe testem denuntiantem atq; dicentem: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te, quoties volui colligere filios tuos? Quoties volui. Non dicit; non vidi te nisi isto adventu: sed dicit;*

Quoties volui. Et per singulos Prophetarum convertens se; Ego, inquit, eram Christus qui loquebar per Prophetas. Dixi; Neque tu timeas, & nunc mittitur Iesus Christus. Non mentitur: Vobiscum sum, ait Dominus, omnes dies usque ad consummationem sæculi. Non mentitur; ubi duo vel tres collecti sunt in nomine meo, & ego sum in medio eorum. His adsonat Tom. 12. in Matth. p. 302. προέχει δὲ ἐν δύνασαι ἐν ταῦτα εἰπεῖν περὶ τοῦ κυ τὸν τόπον, ὅτι νοήσαντες οἱ μαθηταὶ τ υἱὸν τ θεὸν κεχρηματικέναι μωσεῖ, καὶ αὐτὸν εἶ τ εἰρηκότα· ὁ γὰρ ὄφεται ἄνθρωπος τὸ πρόσωπόν μου, καὶ ζήσεται· & Tract. 26. in Matth. exponens illud: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas, & noluisti?* *Quomodo*, inquit, *hic Dominus Iesus quasi qui frequenter voluit congregare Iudæos, non autem congregavit propter contumaciam nolentium credere, ita dicit: Quoties volui: cum sit manifestum, semel eum docuisse in corpore Iudæos? Sed non solum in præsentia, verum etiam substantialiter semper Christus præsens fuit & in Moyse, & in Prophetis; magis autem & in Angelis ministrantibus saluti humanæ, & per singulas generationes: & sic impletur; Quoties volui. Per singulas enim generationes semper voluit & festinavit perficere voluntatem Patris in eis: et si non in tempore constitutus, sicut nunc in fine sæculorum, tamen semper festinavit congregare filios Hierusalem. Ipsius enim volentis congregare filios Hierusalem voces habentur in Lege & in Prophetis: & de ipso scriptum est: Expandens alas suas accepit eos, & suscepit eos super scapulas suas: & quotidianum opus est Christi congregare filios Ierusalem; de quibus in Esaia & in reliquis Prophetis plura dicuntur. Et quotidie Dei Filius congregat dispersos filios Dei, sicut gallina pullos suos sub pennas suas.* In quo cum ait substantialiter præsentem fuisse Christum in Moyse & in Prophetis, conjunctionem intelligit χετικὴν, non vero ὑποστατικήν. Præterea Tom. 1. in Johann. p. 32. Καὶ περὶ μὴν τ ἀνθρωπον αὐτὸν γεγονέναι ἐθέλει τοῦ πεπιστευκότων διϊσχυρίζει, περὶ δὲ τ ἄγγελον, πειθώμεθα τηροῦντες τὰς τοῦ ἀγγέλων ἐπιφανείας καὶ λόγους, ὅτε τῆς τοῦ ἀγγέλων ἐξουσίας φαίνεται, ἐν τισι τόποις τ γραφῶν ἀγγέλων λεγόντων, ὡσαυτῶς ἐπὶ τ ᾠδὴν ἄγγελ κυρίου ἐν πυρὶ φλογὸς βάτου, καὶ εἶπεν, ἐγὼ θεὸς ἀβραὰμ, καὶ ἰσαὰκ, καὶ ἰακώβ· ἀλλὰ καὶ ὑσίας φησί· καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτῶ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελ. Et initio Tomi sequentis docet, Filium Dei missum esse à Patre ad Prophetas; & cum Scriptura ait: *Sermo factus est ad Oseam*, sic illud intelligendum, Verbum Dei missum esse ad Oseam. Idem habet Auctor Homil. 1. in Diversos: *Abrahæ Patri credentium tribus horis temporis, licet non per ipsam ineffabilem Deitatis substantiam, sed potius per Angelicam speciem à meridie visus est: nobis triginta annis in terra apparuit, & cum hominibus conversari dignatus est. Iacob etiam brevi tempore per Angelum nihilominus apparuit colluctans cum eo*, &c.

III. Reprehensum fuisse id in Origene, adnotat Sixtus Senensis libr. 5. Ann. 105. sed Augustini suffragio defendit. Consimilem sane professi sunt doctrinam Patres antiqui complures, non Origene solum vetustiores, vel coævi, sed recentiores etiam & Nicæna Synodo posteriores. Horum nomina & loca colligit Pamelius in Paradoxis Tertulliani, cap. 19. collegerunt subinde & alii. Ex quibus locis liquet, persuasum his fuisse Patribus morem Patri gerentem Filium Patriarchis aspectabilem sese præbuisse, Deique, Angeli, vel Domini nomina fuisse sortitum; & quæcunque in Testamenti Veteris historia à Deo facta legimus, Filium Auctorem habuisse. Attamen non in ea sibi constat sententia noster Origenes, nam easdem quoque partes nonnumquam Deo Patri videtur assignare: velut Homil. 3. in Luc. *Gratia Dei*, inquit, *fuit ut appareret Abraham, vel cæteris Prophetis: non quod oculus tantum cordis Abraham in causa fuerit, ut cerneret Deum, sed quod gratia Dei ultro se aspiciendam præbuerit viro justo. Hoc autem non solum super Deo Patre intelligas, sed etiam super Domino Salvatore, & super Spiritu sancto.*

IV. Qui Filium Dei, priusquam humanum indueret corpus, in Angelis, Patriarchis, & Prophetis adfuisse dixerit; Dei quoque & hominum mediatorem tunc fuisse, internuncium & sequestrum dicere necesse est. Hanc dogmatum consequentiam tenuit Origenes, & qui prius illud posuerat, alterum quoque hoc decrevit. Verba ipsius debemus Apologiæ Pamphili: *Data est autem*, inquit, *Lex Moysi per Angelos in manu mediatoris Christi, & virtute; qui cum esset in principio Verbum, & apud Deum esset, & Deus esset Verbum, Patri in omnibus ministravit. Omnia enim per ipsum facta sunt, id est, non solum creaturæ, sed & Lex, & Prophetæ; & ipsemet est mediator Dei & hominum. Quod Verbum quidem in fine sæculorum homo factus est Iesus Christus, sed ante hunc manifestum in carne adventum, mediator quidem erat hominum, sed nondum erat homo. Erat tamen & tunc mediator Dei & hominum: unde & data Lex per Angelos in ipsius mediatoris manibus data esse dicitur, ut esset Lex sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum, & omnia hæc sanctificarentur à Christo.* Non igitur eo modo interfessor, & μεσίτης Dei & hominum dicitur ab Origene fuisse Christus, antequam de Virgine nasceretur, quo modo deinde fuit, postquam naturam humanam suscepit: nam per utriusque naturæ conjunctionem hominem cum Deo conciliavit, atque ita medium quid inter utrumque fuit, cum utrumque esset, & Deus & homo. Quamvis autem communionis illius, & futuri aliquando consortii, rerumque per illud gerendarum intuitu, in Veteris Testamenti Patriarchas, & Prophetas Deus bonitatis suæ & gratiæ divitias profuderit, & tunc etiam μεσίτης Chri-

A Christus quodammodo fuerit: eo tamen non respexit Origenes, sed ad itiones illas, & reditiones crebras ad homines, cum variis indutus formis, & per varias loquens personas mandata illis Dei parentis Christus deferebat; præcipue vero, cum Legem Moysi tradidit, juxta illud Apostoli: *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est; Deus autem unus est.* Gal. 3. 19. 20.

V. Referendum id esse ad Moysen, licet arbitrati sint nonnulli, Christo tamen accommodant Chrysostomus, & Hieronymus qui totam & ipse, illud Pauli interpretans, Origenis doctrinam amplexus est. Sic enim ait: *Postquam ob nostram salutem de Virginis utero dignatus est nasci, Dei & hominum homo Christus Iesus sequester est dictus. Antequam vero humanum*
B *corpus assumeret, & esse apud Patrem in principio Deus Verbum, ad omnes Sanctos, ad quos factus est sermo Dei, Enoch videlicet, Noë, Abraham, Isaac, & Iacob, & postea Moysem, & cunctos Prophetas, quos Scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem necdum assumserat, mediator tantummodo nuncupatur.* Sed & Episcopi illi sex orthodoxi Antiochenæ Synodi Origenis expositionem secuti sunt in Epistola ad Paulum Samosatenum: Ἀλλὰ μὴν, inquiunt, καὶ τὸν νόμον ὁμοίως μωϋσῆ φαμὲν διεδόθαι, διακονοῦντος τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. ὡς ὁ ἀπόστολος διδάσκει λέγων. τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγειλαι, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου. μεσίτης δὲ ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστιν. ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἐφ' ἡμῶν ἀνθρώπων, ἢ τῶν διδασκόμεθα ὑπὸ καὶ ταῦτα δηλ. τοῦ μωσέως· ὥφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἐν φλογὶ πυρὸς ἐν τῇ βάτῳ, &c. *Quin etiam & Legem similiter Moysi dictimus fuisse datam, ministrante Filio Dei,*
C *quemadmodum docet Apostolus dicens: Quid igitur Lex? transgressionum gratia posita est, donec veniat semen cui promissum fuerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Alium enim mediatorem nescimus Dei & hominum præter hunc. Hæc enim discimus à Moyse. Visus est autem ei Angelus in flamma ignis è rubo.* Aliter autem accepta sunt ab Arianis illa Apostoli, quæ adduximus; ideo enim μεσίτῃ Christum esse dicebant, quod naturam quamdam mediam hominem inter & Deum fuisset sortitus, illo quidem inferiorem, homine vero superiorem.

VII. De anima Christi multiplex fuit Origenis error; ac multiplex quoque adversus eum Patrum querela & criminatio. Sententia illius hæc est, quantum ex ejus scriptis licet intelligere: animam Christi cum animabus hominum reliquis longe ante corpora à Deo
D procreatam, liberoque itidem ut alias instructam arbitrio, cum eximio Auctoris sui amore pro cæteris animabus teneretur; similisque aliarum per naturam, Verbi similis esset per virtutem, tam firmiter ei sese applicuisse, ut tota ab eo recepta, vel totum recipiens, idque substantialiter, unus cum eo spiritus efficeretur: hanc autem conjunctionem ad assumendam carnem aditum Verbo muniviſſe; cum divina alioqui natura humanæ absque medio aliquo adhærere neutiquam posset: tam arctum autem fuisse Verbum inter & animam hanc, seu ut Damascenus, mentem (quod magis convenit doctrinæ Origenis, nam ex mentibus animas tum solum existimavit fieri, cum ex charitatis ardore refrixerunt, quod de mente, seu anima Christi minime opinatus est) vinculum, ut vitii, à quo maxime divina abhorret natura, minime capax esset; atque ita *quod in arbitrio erat positum, longi usus affectu*
E *jam versum esse in naturam*, ut à peccato penitus esset immunis: aliter igitur in Prophetis & Apostolis fuisse Verbum, aliter in Christo; illis enim per χρετικὴν & moralem conjunctionem, Christo *per immaculatam fœderationem* & hypostaticam adhæsisse: ac nos proinde si singularem animæ Christi adversus Deum amorem, quo Deum in se recipere merita est, imitemur, Christi quoque pro rata effectum iri participes. Quibus asserendis hac Davidis testificatione utitur è Psalm. 44. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Totam porro istam Origenis dissertationem iisdem propemodum repetitam verbis reperias in postremo capite Libelli De Deitate & Incarnatione Verbi, ad Januarium; qui libellus Origenianis fragmentis fere constat, & ad calcem quarti Tomi Augustini adjungi solet. Atque hanc doctrinam, quantumvis absonam, avidè arripuerunt Pelagiani, & propugnarunt. Locorum Origenis, quibus ea continetur, primus extat Tom. 1. in Johan. p. 35. Ἀλλὰ καὶ ἀνῃρῆσθαι τούτους λέγεται ὀπίσω ἰωάννης ἐρχόμενος, ἔμπροσθεν αὐτοῦ γεγονὼς, καὶ πρὸ αὐτοῦ ὤν, ἵνα διδαχθῶμεν μὴ τὸν ἄνθρωπον τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, τὸν τῇ θεότητι αὐτὸ ἀνακεκραμένον, πρεσβύτερον εἶναι τῆς ἰδίας γενέσεως. Alter habetur Tomo 20. sequenti, pag. 307. Οὐκ ἀζήτητον ἑαυτὸν τόπον, ἐς ἃς ἦλθε ψυχὰς λόγου. Τάχα ἦν μὲν τοῦ υἱοῦ ψυχὴ ἐν τῇ ἑαυτοῦ τυγχάνουσα τελειότητι, ἐν θεῷ καὶ τῷ πληρώματι ἦν, καὶ ἐκεῖθεν ἐξελυθεῖα, τῷ ἅπαξ ἀλθαι ἀπὸ τοῦ πατρὸς, ἀνέλαβε τὸ ἐκ τῆς μαρίας σῶμα. Libro vero 2. de Princip. cap. 6. & libr. 1. contr. Cels. fusius idem tractat argumentum, mentemque suam diserte proponit; quæ quoniam æquo prolixiora sunt, ut Lectorum occurratur fastidio, referre supersedeo. Adducemus ea solum, quæ è libro eodem περὶ ἀρχῶν depromsit Justinianus ad calcem Epistolæ ad Menam: Διὰ τοῦτο ἄνθρωπον γέγονε χριστὸς, ἐξ ἀνθρώπων ἁμάτων τούτου τυχών, ὡς μαρτυρεῖ ὁ προφήτης λέγων· ἠγάπησας δικαιοσύνην, καὶ ἐμίσησας ἀνομίαν, διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ θεός, ὁ θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου· ἵνα μὴ ποτε ἐπιπέσῃ δὲ τὸ μηδέποτε κεχωρισμένον τοῦ μονογενοῦς

συγχρηματίσαι τῷ μονογενεῖ καὶ συνδοξασθῆναι αὐτῷ. *Idcirco & homo factus est Christus, suo merito hoc sortitus, ut Propheta testatur, inquiens: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Decebat siquidem illum qui numquam ab Vnigenito separatus est, coëxistere Vnigenito, & una cum ipso conglorificari.* A

VII. Quod si quis falsis illis Origenis assertionibus commovetur vehementius, sic præfatum eum fuisse sciat, antequam ad explicandum Incarnationis mysterium accederet: *Quæ quidem in aures humanas proferre, & sermonibus explicare, longe vires vel meriti nostri, vel ingenii ac sermonis excedit. Arbitror autem quia etiam sanctorum Apostolorum supergrediatur mensuram: quin imo etiam fortassis totius creaturæ cœlestium Virtutum eminentior est Sacramenti istius explanatio. De quo nos non temeritate aliqua, sed quomodo ordo loci deposcit, ea magis quæ fides nostra continet, quam humanæ rationis assertio vindicare solet, quam paucissimis proferemus,* B *suspiciones potius nostras, quam manifestas aliquas affirmationes in medium proferentes.* Quæ à Rufino adtexta suspicarer, si non de rebus obscuris disputaturus Origenes ita præfari soleret.

VIII. Nihilominus tamen ne sic quidem multorum criminationibus fuit immunis. Carpit ipsum Theophilus in 1. Pasch. Epist. quod ad animam Christi retulerit istud Pauli Philipp. 2, 7. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: unde concludit, Christi animam æqualem Deo Origenem credidisse, ac æquales proinde hominum animas, quæ ejusdem sunt substantiæ ac anima Christi, ipsumque Verbum neutiquam ad terrena, sed solam ejus animam venisse. Atque utinam vel ipsa Origenis verba repræsentasset Theophilus, vel ad ipsa loca unde hæc excepta sunt, digitum intendisset; faciliùs quidem & certius Origenis sensum per videremus; vereor enim ut vehementi C concitatus odio, sic enim erat, satis bona fide cum Adamantio egerit. Certum est, cum *semetipsum exinaniret* Christus, nihil detrimenti passam ejus divinitatem, sed solam humanitatem laboribus fuisse obnoxiam; cujus cum præcipua pars anima sit, angustias illa sustinuit & dolores, ac *exinanita* proinde hoc sensu dici potest, & è summo illo felicitatis gradu dejecta, quo potitam fuisse illam censuit Origenes, cum irrupto amoris nexu Deo conjuncta, nondum humano corpori sese immersisset. Quod ait ergo Apostolus: *Hoc intelligat unusquisque in nobis, quod & in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, facili negotio explicatur ad D mentem Origenis. Christum ait Paulus cum in forma Dei esset, Deoque æqualis, non juxta humanitatem, sed juxta naturam suam divinam; seipsum exinaniisse, & servi formam accepisse, non juxta divinitatem suam, sed juxta humanam naturam, cujus priorem anima locum tenet. Quo referendum illud Christi: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* His in accommodum sensum ita deflexis retunditur Theophili oppugnatio, cum præsertim satis aliunde constet, pro certo habuisse Origenem Verbum Dei carnem in Christo fuisse factum. Millium instar erit unum id ejus testimonium è Procœmio in libr. De princip. *Species vero eorum quæ per prædicationem Apostolicam manifeste traduntur, istæ sunt..... quia Iesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cum in omnium conditione Patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) novissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus est: incarnatus est cum Deus esset, & homo mansit quod Deus erat, &c.* E Nisi quis forte hæc à Rufino depravata caussetur. His subnectit Theophilus, cum dixerit Origenes ψυχὴν dictam ἀπὸ τοῦ ψύχειν, quod animarum amor in Deum, & charitas refrixerit, persuasum ei consequenter fuisse animæ Christi pristinum remisisse amoris in Deum fervorem. Futilis ac nugatoria hominis impotentis cavillatio. Cui consimilem alteram habet Guido Carmelita, cui adsonat ista Paganini Gaudentii ratiocinatio. Animæ propter peccata, juxta Origenem, corpora subeunt; anima ergo Christi peccatum admisit. Ac si quis illud Prophetæ: *Omnis homo mendax*, usurpantem nunc aliquem velut sacrilegum redarguat, quod Christus homo sit, ac mendacem proinde dixerit. Ac si non aliquas etiam animas ad officia hominibus exhibenda deputasse Deum Origenes sibi finxerit, ut inferius demonstrabimus. Justinianus vero hoc ipsum Origenis delirium exagitans in Epistola ad Menam, his F Athanasii utitur verbis: εἰκότως καταγνώσεσθαι ἑαυτῶν πάντες οἱ νομίζοντες πρὸ τῆς μαρίας εἶναι πού ἐξ αὐτῆς σάρκα, καὶ πρὸ ταύτης ἐσχηκέναι ψυχὴν ἀνθρωπίνην, ἢ θεὸν λόγον, καὶ ἐν αὐτῇ πρὸ τῆς ἐπιδημίας ἀεὶ γεγενῆσθαι. *Merito sese damnabunt omnes qui existimant ante Mariam esse carnem quæ ex ea est; ac ante eam habuisse animam humanam Deum Verbum, & in ea ante adventum semper fuisse.* Quibus non tam perstringi videtur Origenes, quam Apelles, aliique qui Christum de cœlo carnem detulisse censebant. In nefarium autem Origenis, quod exposuimus, dogma secundum suum & tertium intentat anathematismum Justinianus ad calcem Epistolæ ejusdem ad Menam. Quod ad illam spectat animarum προϋπαρξιν, unde hæc Origenis manaverunt de anima Christi commenta, de ea infra disputabimus. Inde sane pestiferam hæresim suam conflasse videntur Theodorus Mopsuestenus, & post eum Nestorius; inde & adductum Eutychem conjectat Leo Papa in Epistola ad Julianum Coënsem, ut duplicem Christi naturam

Guid. Carmel. in Summa de Har. in Har. Origeniſt. Gaudent. in libr. de comparatione Dogmat. Origenis cum Philoſophia Platonis c. 35. Athanaſius in Epiſtol. ad Epictetum.

A turam πρὸ τῆ ἑνώσεως fuisse affirmaret, quasi animam illius tunc in cœlo fuisse crediderit.

Offensionem autem non haberet, quod dixit Origenes, quemadmodum homo ille, qui Verbo in una persona conjunctus est, Deum in se susceperit, ita nos quoque pro rata esse posse Dei participes, si gratiæ illud divinæ, non propriis meritis acceptum retulisset: sic enim Augustinus libr. De prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus.* Item: *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus.*

IX. Memoriæ prodidit Theophilus Alexandrinus in prima Paschali, & apud Theodoretum in Dialogo, cui titulus ἀσύγχυτος, censuisse Origenem animam quam assumsit Filius
B Dei, & ipsum Dei Filium unum esse, quemadmodum Pater & Filius unum sunt. Hinc illi commoda vexandi pro more suo Origenis ansa, quam ipsi tamen extorquebimus. Nam primum agnoscit ibidem Theophilus de animæ Christi dignitate recte aliquando sensisse Origenem, eamque Deo Verbo inferiorem credidisse. Præterea cum animam Christi & Verbum unum esse docuit, quemadmodum Pater & Filius unum sunt; non unum esse voluit eadem unitate in specie, sed eadem unitate in genere. Unitas enim Patris & Filii in eo convenit cum unitate Verbi & animæ, quod ad idem genus; unitatem nempe utraque referatur: in eo autem differunt, quod unitas Patris & Filii sit unitas naturæ, unitas essentiæ; unitas vero Verbi & animæ, sit unitas hypostatica, unitas personæ. Quemadmodum enim cum Solem pulchrum dico, & domum pulchram; utriusque pulchritudinem
C eamdem dico genere, discrepantem specie; alia quippe est domus pulchritudo, alia Solis; pessime enimvero mecum egerit, si quis inde me lumen domui tribuisse; Soli fundamentum, contignationes, & fastigium calumnietur. Nec fictitiam esse & frivolam hanc distinctionem ostendit illud Athanasii in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Nam cum anima constet homo & corpore, tamquam partibus unum aliquid efficientibus; Deus autem & homo, non tamquam partes Christum constituant; fieri enim non potest, Deum esse partem totius alicujus; falsum erit, Deum & hominem unum esse Christum, sicut anima rationalis & caro unus est homo; nisi eandem repetamus distinctionem quam supra adhibuimus, Deum & hominem unum esse dicentes Christum eadem unitate in genere, qua anima rationalis & corpus est homo; at non eadem unitate in specie.

D X. Gennadius Massilienses in libro de dogmatibus, quem Augustino quidem falso adscripserunt cap. 2. sic scribit: *Natus est ergo Dei Filius ex homine, & non per hominem; id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dicit: sed carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cœlo secum afferens, sicut Marcion, Origenes, & Ebion affirmant.* Quæ si ad examen revocemus, fidem amittent. Falsum quippe est arbitratum Marcionem carnem de cœlo Christum attulisse. Sensit ille quidem, præceptorem suum Cerdonem assectatus, quidquid actum in terris à Christo, & administratum est, specie tantum, non revera gestum fuisse; nec veram induisse carnem, sed apparentem. Quem errorem in proxime sequentibus cum Gennadius ipse confutet; hic vero intactum prætermittat, intellexit haud dubie verum ac solidum corpus Christo à Marcione fuisse tributum, contradicturus alioquin hoc quoque loco, si falsum corpus Christo
E adscripsisse ipsum existimasset. Simile quidpiam de Marcione scriptum reliquit Vigilius lib. 3. contra Eutychem. *Eutychiana hæresis in id impietatis prolapsa est errore, ut non solum Verbi & carnis unam credat esse naturam: verum etiam hanc eandem carnem non de sacro Mariæ virginis corpore adsumtam, sed de cœlo dicat. Juxta infandum Valentini & Marcionis errorem, fuisse deductã. Ita pertinaciter Verbum carnem asserens factum, ut per virginem, ac si aqua per fistulam transisse videatur; non tamen ut de Virgine aliquid quod nostri sit generis, adsumsisse videatur.* At falsum esse carnem solidam in Christo Marcionem agnovisse declarant Tertullianus, & Philastrius; Epiphanius, & Theodoretus. Nec verius est persuasum illud fuisse Origeni, quod ei affingit Gennadius; verba siquidẽ ejus hæc sunt Hom. 14. in Luc. *Quod quidem & adversus eos facit, qui negant Dominum nostrum humanum habuisse corpus, sed cœlestibus & spiritualibus fuisse contextum. Si*
F *enim de cœlestibus, & ut illi falso adserunt, de Syderibus, & alia quadam sublimiori, spiritalique natura corpus ejus fuerit, respondeant quare, &c.* Homilia quoq; 17. in eumdem Evangelistã, ad id quod habetur, c. 2. v. 34. *Et in signum cui contradicetur: Omnibus quæ narrat historia de Salvatore, contradicitur. Virgo mater est, signum est cui contradicitur. Marcionistæ contradicunt huic signo, & ajunt penitus cum de muliere non esse generatũ: Ebionitæ contradicunt signo, dicentes ex viro & muliere ita natum esse, ut nos quoque nascimur. Habuit corpus humanum; & hoc signum est cui contradicitur, alii enim dicunt eum venisse de cœlis.* Hoc vero errore penitus implicatum fuisse Eutychem confirmat Fulgentius Respons. 4. ad Ferrandum Diacon. Huic præluserat Apelles, cujus insaniam illam exponit Epiphanius Hær. 44. cap. 2. & Theodoretus libr. 1. Fab. Hæret. cap. 25. Apellitas autem veneno suo Orientem inficientes coërcuit Origenes, uti in ejus vita declaravimus: nedum in eorum væcordiam consensit.

Tertull. l. 3 contra Marc. cap. 11. & toto libr. de carn. Chr. & passim. & Philast. Hær. 44. & 45. Epiph. Hær. 41. c. 1. & Hær. 42. c. 2. Theodoret. Hær. Fab. lib. 1. c. 24.

XI. Origeni quoque objectum est, fuisse persuasum illi mentitum corpus & specie te- A
nus apparens gestasse Christum, non verum; & falsis imaginibus illudentem oculis, inani-
bus miraculorum, laborum, tormentorumque umbris credulos homines inescasse. Pro-
prium id fuit Hæreticorum illorum dogma, qui ex eo φαντασιασταὶ & δοκηταὶ dici meruerunt:
post quorum signiferum Simonem Magum primi propugnarunt illud Basilides, Valentinus,
Cerdo, Marcio, & Manichæus. Inter quos Valentinus spiritale quoddam corpus è cœlo
Christum detulisse volebat, ac per Mariam velut per canalem transisse, nihil inde sumen-
2. Cor. 15. 47. tem. Falsa eos, si quid conjicio, loci hujus interpretatio delusit: *Primus homo de terra, terre-
nus; secundus homo de cœlo, cœlestis.* Apelles autem *Christum neque in phantasmate dicit fuisse
sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet: sed in eo quod è superioribus
partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem & aëream contexuisse.* Verba sunt Tertul- B
liani libr. De præscript. cap. 51. Idem quoque de Apollinari annotat Theophylactus in 3.
Iren. libr. 3. cap. 1. apud Theodoret. Dict. 2. Joh. Unde à Valentino non multum absuisse utrumque planum est. Tres illi tamen
Τοῖς φαντασιασταῖς accenseri possunt, ὅτι τὸ αὐτό ἐστι, inquit Irenæus, δοκήσει λέγειν πεφηνέναι, καὶ οὐδὲν
ἐκ τῆς μαρίας εἰληφέναι. εἰ δὲ ἐξ αὐτῆς ἀληθῶς σάρκα καὶ αἷμα ἐχηκώς, δι' ὧν ἡμᾶς ἐξηγοράσατο, εἰ μὴ τὰ ἀρχαῖα πλάσιν
τοῦ Ἀδὰμ εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο· *Quia idem est dicere specie eum apparuisse, & nihil de Maria
sumsisse. Neque enim vere carnem & sanguinem habuisset, per quæ nos redemit, nisi vetus Adami
figmentum in sese collegisset.* Hæreticorum porro illorum nequissimis consona dixisse Orige-
nem adversarii ejus calumniabantur. *Quarta* (criminatio) *post istas est*, inquit Pamphilus
in Apologia, *quæ istis omnibus adversatur, (cæca enim est malitia) quod dicunt eum dicere δοκήσει,
id est, putative tantum, & per allegoriam, non etiam secundum ea quæ juxta historiam referuntur,
gesta esse omnia quæ à Salvatore gesta sunt.* Zonaras quoque libr. 2. Origenem existimasse ne- C
gat Christum de Virgine Maria carnem sumsisse. Hanc autem calumniam ipse à se egre-
gie depellit Origenes iis verbis quæ in eodem Apologiæ loco recitantur, probatque ex Scri-
pturis sanctis de semine Abraham & David vere natum fuisse Christum, neque *putative, &
per phantasiam* res suas gessisse; neque spiritale corpus, sed carneum & terrenum circumtu-
lisse; nec factum eum per mulierem, sed ex muliere. Faciunt & ea pro ipso quæ scripsit Ho-
mil. 1. in Ezech. *Respondeant mihi Hæretici, qui nativitatem illius* (Christi) *ut phantasma elu-
dunt, quare Christus Filius hominis appellatur:* & quæ Tract. 35. in Matth. *Suscipiens enim*
(Christus) *naturam carnis humanæ omnes proprietates implevit, ut non in phantasia habuisse car-
nem existimaretur, sed in veritate:* & Homil. 14. in Luc. *Iesus erat indutus vestibus sordidis.
Quod quidem & adversus eos facit qui negant Dominum nostrum humanum habuisse corpus, sed* D
*cœlestibus & spiritalibus fuisse contextum. Si enim de cœlestibus, & ut illi falso asserunt, de syderibus,
& alia quadam sublimiori, spiritalique natura corpus ejus fuerit, respondeant, quare potuerit spiritale
corpus esse sordidum; aut quomodo hoc interpretentur quod posuimus: Iesus erat indutus vestibus
sordidis?* & libr. 2. περὶ ἀρχῶν, c. 6. *Propter quod cum omni metu & reverentia contemplandum est,
ut in uno eodemque ita utriusque naturæ veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum & inde-
cens in divina illa & ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quæ gesta sunt falsis illusa imagini-
bus existimentur:* & lib. 5. in Epist. ad Rom. *Sed hoc non intelligentes quidam Hæreticorum conati
sunt ex hoc Apostoli loco* (Rom. 6, 5. 6.) *asserere quod Christus non vere mortuus sit. Quibus re-
sponderi quoniam perfacile est, non puto necessarium ex cæteris vel Apostoli vel Evangeliorum dictis,* E
*ubi simpliciter mors ejus, & non similitudo mortis scribitur, testimoniorum pondus adhibere, cum
possimus ad eos dicere: si similitudo mortis fuit, fuit & non vera resurrectio, & nos ergo videbimur
resurgere, & non resurgemus: & videbimur mori peccato, & non vere moriemur: & omne ergo quod
gestum est, & geritur, visum est geri, sed non est gestum. Superest igitur ut & quod salvati sumus, visi
simus salvari, sed non vere salvati simus. Unde quoniam hæc tam absurda sunt, ut non indigeant im-
probationibus, nos ad explanationem eorum quæ habentur in sequentibus convertamur:* & lib. 2.
contra Cels. Ἐλαθε δ' αὐτὸν ὅ εἰρηκέναι τινὰ τῶν ἐν ταῖς αἱρέσεσι, δοκήσει τὸν Ἰησοῦν ταῦτα πεπονθέναι, ὑ πεπονθότα.
ἐγὼ δὲ γνοὺς εἶπε τό· οὐδὲ γὰρ τοῦτο εἴρηκε, ὅτι ἐδόκει μὴ τοῖς ἀσεβέσιν ἀνθρώποις ταῦτα πάσχειν, ἀκέραιος δὲ, ἀλλ' ἀν-
τικρυς πάσχειν ὁμολογεῖται· ἀλλ' ἡμεῖς τὸ δοκεῖν ἐπὶ τῷ παθεῖν ὑ τάσσομεν, ἵνα μὴ ψευδὴς ᾖ καὶ ἡ ἀνάστασις ᾖ,
ἀλλ' ἀληθής. ὁ γὰρ ἀληθῶς ἀποθανὼν, ὁ ἀνέστη, ἀληθῶς ἀνέστη. ὁ δὲ δοκῶν τεθνηκέναι, ὑκ ἀληθῶς ἀνέστη· F
Hinc illius in Marcionistis opinionis damnandæ ac confutandæ partes Adamantio recte
tribuit Auctor Dialogi de recta in Deum fide.

XII. Quæ cum ita sint, mirum videri possit, quid sit cur Homil. 17. in Luc. ita scripserit
Origenes: *Habuit corpus humanum* (Christus) *& hoc signum est cui contradicitur. Alii enim di-
cunt, cum venisse de cœlis: alii tale quale nos corpus habuisse, ut per similitudinem corporis etiã nostra
corpora redimeret à peccatis, & daret nobis spem resurrectionis.* Reprehendit eos Origenes qui
Christum dicunt *tale quale nos corpus habuisse*; ergo corpus nostri dissimile gestasse putavit.
In quo autem posita fuerit ea dissimilitudo, ipse edisserit in Procœmio librorum περὶ ἀρχῶν.
Incarnatus est (Christus) *cum Deus esset, & homo mansit quod Deus erat. Corpus assumsit nostro
corpori simile, eo solo differens quod natum ex Virgine de Spiritu sancto est. Et quoniam hic Iesus Chri-
stus natus & passus est in veritate, & non per imaginem, communi hac morte vere mortuus est: vere
enim à mortuis resurrexit.*

Tra-

A Trahi quoque illud potest in calumniam quod habet Origenes in Apologia Pamphili: *Sed & circumcisionis ejus ratio nobis quidem non generabit majorem angustiam dicentibus eum consequenter humano corpore & circumcisum esse, & præputium ejus terræ mandatum fortassis usque ad tempus; aut si aliter est, in alia disputatione requiretur. Hæc tamen ejus circumcisio satis coangustabit eos qui ex diverso sunt;* (id est, ἑτεροδόξους, qua notione eadem locutio alibi usurpatur:) *spirituale enim corpus quomodo poterat circumcidi ferro terreno? Propter quod non erubuerunt quidam ex ipsis de præputio circumcisionis ejus etiam libros edere, quibus ostendere conarentur quod in substantiam cesserit spirituale. Non minus autem angustabuntur etiam illi qui animale corpus dicunt esse corpus Christi.* Ergo animale corpus Christo abjudicat; sed & humanũ, humanum siquidẽ corpus animale juxta Apostolum 1. Cor. 15. 44. & seq. Verum res aliter putanda est. Valentinia-
B nos siquidem perstringit, qui cum triplex hominum genus esse scisceret, τῶν πνευματικῶν, τῶν ψυχικῶν, & τῶν χοϊκῶν qui & ὑλικοὶ, & σαρκικοὶ & γήϊνοι ab illis dicebantur, & priora duo salutem æternam assequi posse, posterius neutiquam; Christum non πνευματικὴν solum, sed ψυχικὴν etiam naturam assumsisse definiebant. Testem damus Irenæum apud Epiphanium: *Epiphan. Hær. 31. c. 20.*

Διὸ καὶ κόσμον κατεσκευάσθαι λέγουσι, καὶ τὸν σωτῆρα δὲ ὅτι τοῦτο ἀναδεδεγμένον τὸ ψυχικὸν, ὅπερ καὶ αὐτεξούσιόν ἐστιν, ἵνα ὅπως αὐτὸ σώσῃ. ὧν γὰρ ἔμελλε σώζειν, τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν εἰληφέναι φάσκουσιν, διὸ μὴ τῆς ἀχαμὼθ τὸ πνευματικὸν, διὰ δὲ τὸν δημιουργὸν ἀνδρόγυνος τὸ ψυχικὸν χεῖρον, διὸ ὁ τῆς οἰκονομίας ἀπεστάλη σῶμα ψυχικὴν ἔχον οὐσίαν, κατεσκευασμένον δὲ ἀῤῥήτῳ τέχνῃ, ὡς τὸ καὶ ὁρατὸν, καὶ ψηλαφητὸν, καὶ παθητὸν γεγονέναι, καὶ ὑλικὸν, διὸ καὶ ὀπίσω εἰληφέναι λέγουσιν αὐτόν. μὴ γὰρ ἔχειν πῶς ἂν ἐκεῖθεν σωτηρίας.

Quocirca & mundum conditum esse
C *dicunt, & Servatorem ad animale illud devenisse, quoniam libertate arbitrii pollet, ut id servaret. Quibus enim salutem comparaturus esset, eorum primitias assumsisse dicunt; ab Achamoth quidem spiritale, ab Opifice vero animale Christum induisse: propter administrationem autem suam circumpositum ei fuisse corpus animali natura præditum, ineffabili vero arte constructum, ut videri, tangi & pati posset. Nihil autem materia constans illum suscepisse dicunt; materiam quippe salutis neutiquam esse capacem.*

XIII. Ac cogitanti mihi unde hanc de se violatæ humanitatis Christi, eique falsi afficti corporis suspicionem commoverit Origenes, locum unum præter superiores duos reperio, unde hæc potuit oriri criminatio. Is habetur Tract. 35. in Matth. *Venit ergo traditio talis ad*
D *nos de eo, quoniam non solum duæ formæ in eo fuerunt; una quidem secundum quam omnes eum videbant; altera autem secundum quam transfiguratus est coram Discipulis suis in monte, quando & resplenduit facies ejus tanquam Sol, sed etiam unicuique apparebat, secundum quod fuerat dignus. Et cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur.* Et paulo post: *Et non mihi videtur incredibilis esse traditio hæc, sive corporaliter propter ipsum Iesum, ut alio & alio modo videretur hominibus; sive propter ipsam Verbi naturam, quod non similiter cunctis apparet. Si autem hoc ita se habet, possibile est solutionem ejus invenire quod quæritur. Quoniam etsi frequenter eum viderunt turbæ venientes cum luda, nihilominus opus habebant propter transformationes ejus qui eum ostenderet eis, habens notitiam ejus familiariorem per multam commorationem cum eo, ut intelligeret transformationes ejus secundum quas suis apparere solebat. Hoc idem significatur etiam per Iohannem Evangelistam, ubi sciens Iesus quæ super ventura erant ei, procedens foras dixit: Quem quæritis? At illi*
E *dixerunt, Iesum Nazarenum. Et dixit eis: Ego sum: & abierunt, & ceciderunt retrorsum. Vides quia non eum cognoscebant, cum frequenter vidissent, propter transfigurationes ipsius.* Hæc repetere necessum habuimus, ne quid de sententia Origenis decerperetur. Qui ergo frequentem formarum mutationem Christi corpori assignasse Origenem intellexerant, adeo ut aliud aliudque singulis appareret; proclive iis fuit existimare mutuatitium illud, & ascititia conflatum substantia, non proprium, nec nostri simile, eumdem credidisse. Si quem autem offendit commentum illud, varias Christum induisse formas, & sese pro libitu versipellem fecisse; notet ille propositum fuisse hoc ab Origene, tamquam ab aliis sibi traditum, non velut à se confictum; ut rem minime incredibilẽ, non quasi compertam; dubitando, nõ asserendo.

XIV. Inter novem criminationes quas Origeni impingi solitas refutat Pamphilus in Apologia, tertia illa est, *quod dicunt eum secundum Arteman vel Paulum Samosatenum, purum*
F *hominem, id est, non etiam Deum dicere Christum Filium Dei.* Nicephorus quidem libr. 17. cap. 27. de Christo dixisse Origenem tradit, ὅτι ψιλὸς ἄνθρωπος ἦν. Cyriacus quoque, apud Symeonem Metaphrastem vitæ ejus scriptorem, Origenistas Palæstinam sexto sæculo insidentes dixisse affirmat *Christum non esse unum ex Trinitate.* Hanc criminationem aliis superius à se commemoratis valde contrariam esse dicit Pamphilus, sed multo magis etiam quartæ repugnat, quam in proxime præcedentibus examini nostro subjecimus; unde alterutrius falsitas manifeste elucet; sed clarius etiam tertia illa convellitur ex sexcentis Origenis adversus Ebionem, vel traditam ab Ebione doctrinam argumentis. Quæ si quis colligere velit universa, otium suum in re notissima demonstranda disperdet. Satis ille erit, quem è primo Origenis de principiis libro Pamphilus adducit.

XV. Proxime commemoratas calumnias hæc excipit in laudata toties Apologia: *Quintilla*

talla criminatio est, qua asserunt eum duos Christos prædicare. Fuit ea vox improbi primum Marcionis, alterum Christum Tiberianis ortum temporibus agnoscentis; futurum alterum, in Judaici status restitutionem destinatum censentis, uti commemorat Tertullianus lib. 4. contr. Marcion. cap. 6. Nihil autem huic consentaneum vel simile fuisse Origeni objectum liquet ex Pamphili responsione. At deinde Nestorius cum duplici Christum persona constare profiteretur, duos Christos induxisse, ipso licet reclamante, dictus à Patribus & creditus est. Nec satis extat parne aliquid vel diversum Adamantio affictum sit. Hanc certe qualemcumque criminationem, cum superioribus pugnantem, tribus Origenis ipsius testimoniis infringit Pamphilus. In congerendis ex magna copia pluribus, quæ unicuique obvia sunt, frustra labor impenderetur à nobis; cum præsertim in Origenianis quæ supersunt lucubrationibus, ne vel minimum quidem erroris hujus vestigium reperisse meminerim. A B

XVI. Catena in Psalmos à Balthasare Corderio edita, ad versum 3. Psalmi 42. exhibet verba hæc ex Origene: ἔχομεν ἀρχιερέα μέγαν ἐνσεσωμ̃τ ιμ̃ον τ̃ῳ Θεῷ ἐνδεδυμένον· *Habemus Pontificem magnum Jesum, qui indutus est Filio Dei.* Quæ locutio sane male sonat, & eam hæresim sapit, quam deinde propugnavit Nestorius. Nam si Verbi divinitas humanitati Christi circumposita, & humanitas divinitate induta intelligitur, ut ex voce ἐνδεδυμένον intelligi decet; impellitur utique ex eo animus ad fingendam sibi σχέσιν duntaxat quamdam, & σχετικ̃ὴν utriusq; naturæ convenientiam; qui fuit Nestorii error. At si Verbi divinitatem dicas assumsisse & induisse humanitatem Christi, significabitur hypostatica ἕνωσις. Qua ergo hic ad defensionem Origenis præscriptione utemur? communi illa scilicet, & quæ hoc opere sæpe nobis usurpanda est; cum res hac ætate nondum fuissent dissertationibus illustratæ & excusæ, in lubrico versatum Origenem lapsus veniam mereri. Adde Catenam, unde fragmentum hoc petitum est, aliasque generis ejus collectiones pæne omnes levis admodum esse fidei, ut alio loco demonstramus. C

XVII. Progrediamur ad aliud Origenis pensitandum dogma, quod Tract. 27. in Matth. continetur: *Quidam autem de publicis quidem & manifestis capitulis non dissentiunt; ut puta de uno Deo, qui Legem & Evangelium dedit; aut de Christo Jesu primogenito universæ creaturæ, qui in fine sæculi secundum prædicationes Prophetarum venit in mundum, & suscepit in se veram humanæ carnis naturam, ut etiam nativitatem subiret ex Virgine, & mortem crucis susciperet, & surrexit à mortuis, & deificavit quam susceperat humanam naturam.* Quo sensu *deificatam* à Christo naturam humanam dixerit, dubitari potest: nam si vocem illam, *deificare*, ita accipiamus quasi Verbum in naturam humanam conversum, & naturam proinde corpoream in Deum esse mutatam, ejusdemque esse ac Verbum substantiæ voluerit Origenes, manifestus erit utique capitalis illius erroris, quem Apollinaris in Ecclesiam invexit; vel hujus erit potius flagitii reus, quod in se Eutychianorum secta quædam concepit, dum humanam Christi naturam in divinam post mortem ejus & resurrectionem transisse decerneret. At si humanam Christi naturam exuta post mortem infirmitate divinam quamdam suscepisse qualitatem modo significavit, ecquid invidiam illi vel movebimus, vel moveri hoc nomine patiemur? Atque eo propius spectant verba Origenis. Verisimile sane est veterem Origeniani in Matthæum Commentarii Interpretem vocem hanc, *deificavit*, qua utitur, è Græco, ἐθέωσε, vel, ἐθεοπίησε, reddidisse. Atqui humanam naturam in Christo statim post conceptum θεωθ̃ναι, & θεοποιηθ̃ναι complures Ecclesiæ Patres pronuntiarunt. Gregorius Nyssenus in Jambicis: D E

Οὕτω τὸ θεῶσαν, καὶ θεωθὲν, ἓς θεός·
Ita quod deificavit, & quod deificatum est, unus est Deus.

Chrysostomus Homilia 2. de Ascensione, in qua Christum dicit πρὸς ἡμ̃ας ἐλθεῖν, καὶ ἡμ̃ῶν φύσιν ἀναλαβεῖν, & θεῶσαι· *Venisse ad nos, & nostram naturam assumsisse ac deificasse.* Johannes quoque Damascenus libr. 3. De fid. orthod. cap. 12. σάρκα ὑπὸ τ̃ο λόγου θεωθ̃ναι asserit. Vocem θεοποιηθ̃ναι eadem notione usurpavit Athanasius Orat. 4. cum θεοποιηθ̃ναι ἄνθρωπον in Christo, & Christi jam resurgentis θεοποιηθεῖσαι carnem dixit. Atque illud est quod sibi vult Augustinus libr. contra Sermon. Arianorum cap. 8. cum ait: *Ergo & ista humanitas illius divinitatis nomen accepit.* Huic ipsi igitur naturæ, quæ θεωθεῖσα, & θεοποιηθεῖσα, simul ut eam assumsit, & in terris versatus est Christus, dicta est, aptius etiam voces istæ conveniunt, postquam *mortem crucis suscepit, & surrexit à mortuis.* Nam per mortem mortalium corporum imbecillitatem deposuit ipsius corpus, & virtutem quandam divinam suscepit. F

Orig. lib. 3. contr. Cels. Hanc Origeniani loci, quam damus, expositionem confirmat ipsius Origenis ad Celsi cavillationes responsio: τὸ δὲ ἐνηντὸν, inquit, αὐτ̃ῳ σ̃ῶμα, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἐν αὐτ̃ῷ ψυχὴν, τ̃ῇ πρὸς ἐκεῖνο ἑ μόνον κοινωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει, καὶ ἀνακράσῃ, τὰ μέγιστα φαμὲν προσειληφέναι, καὶ τ̃ὸ ἐκείνῳ θειότητος κεκοινωνηκόσι εἰς θεὸν μεταβεβηκέναι· Tum Christi corpus cum materia confert, omnium per se qualitatum experte, eas vero recipiente, quascumque ei Opifex rerum indere voluerit: deinde addit:

A addit: Τί θαυμαςὸν τὴν ποιότητα τ̃ πνητ̃ κ τὰ τ̃ Ἰησ̃ σ̃μα, φρονοίᾳ θεῦ ζωοποιηθέντ, μεταβαλεῖν εἰς ἀϊδιον κὴ θείαν ποιότητα; Et paulo post: ὅμως δὲ φρὸς τοῦ φησομεν ὅτι ἔστιν δυνατὸν ἀμείβειν ποιότητας πρὸς ὑποκειμένου πάσαις ποιότησιν ὕλου, πῶς δὲ δυνατὸν κὴ τὴν σάρκα τ̃ Ἰησ̃ ἀμείψασαν ποιότητας γενέσθαι τοιαύτου, οἵαν ἐχρῶ ἔχειν πρὸ ἐν ἀϊδίοις, κὴ τοῖς ἀνωλάτω ἀπὸ τόποις πολιτευομένην, ὁκέτι ἔχουσαν τὰ τῆς σαρκὸς ἀσθενείας ἴδιος;

XVIII. Est apud Hieronymum in Jerem. 22. Jechoniam filium Joakim, qui annulo comparatur, & vas contritum, ac vir sterilis appellatur, ad Christum retulisse Origenem libr. 5. Stromat. quæ interciderunt. Optime Sixtus Senensis: *Credibile è libris qui extant, Origenem hæc utpote allegorice exponentem protulisse de Christo, eo sensu quo Paulus ausus est dicere Christum factum pro nobis peccatum, maledictum, execrationem, hoc est, oblationem pro peccato, & maledictionem cui eramus obnoxii.* Quod si quis præterea hæc Jeremiæ ad Isaiæ 52. 14. & 53. 2, 3. expenderit, Origenis interpretationem minime mirabitur. *Sixt. Sen. lib. 5. Bibl. Annot. 234.*

B

XIX. Cum Patrum aliquot testimoniis sese tueantur Ubiquistæ, quorum verba vel male intelligendo pervertunt, vel male interpretando corrumpunt; pari quoque jure Origenis patrocinium ascisceré poterant, qui Tractat. 34. in Matth. scriptum id reliquit: *Non aliquo quidem loco apparebit Filius Dei, cum venerit in gloria sua, in altero autem non apparebit. Sed sicut ipse secundum comparationem fulguris exeuntis adventum suum voluit demonstrare dicens: Si dixerint vobis: Ecce in deserto, nolite exire; Ecce in domo, nolite credere. Sicut enim fulgur egreditur ab Oriente, & apparet usque ad Occidentem, sic erit adventus Filii hominis: sicut enim fulgur egrediens ab Oriente, & propterea quod omnia implet apparet usque ad Occidentem; sic cum venerit Christus in gloria sua, propterea quæ ubique futurus est, & ipse in conspectu omnium erit ubique, & omnes ubique erunt in conspectu ipsius, & sic constituentur ante sedem gloriæ ejus, hoc est ante regnum ejus, & potestatem dominationis ipsius.* Id solvere se putat Genebrardus, seu quisquis verba hæc ad oram attexuit: *Vbique futurus Christi adventus, sed successive.* At repugnat fulguris exemplum, quod non successive, sed eodem ferme puncto temporis Orientem & Occidentem collustrat, *propterea quod omnia implet.* Ego vero non humanitatis Christi corporeis usurpandæ oculis, sed divinitatis menti apparituræ præsentiam significari censeo. Faciunt fidem quæ proxime præcedunt: *Quanto magis recte dicuntur omnes Gentes ante eum congregandæ, & constituendæ, quando palam omnibus tam bonis quam malis, tam fidelibus, quam infidelibus fuerit factus manifestus, ante oculos mentis eorum jam non fidei aut diligentiæ alicujus inquisitione repertus, sed ipsius divinitatis suæ manifestatione prælatus.* Fidem quoque faciunt, quæ Tractatu in Matthæum superiore leguntur, in quo hæc edisserens, *Homo quidam peregre proficiscens*, &c. quærit qui peregrinari dici possit Christus, quem ubique esse Literæ sacræ demonstrant; tum subjicit Christum qua est Deus Verbum, & Sapientia, & Justitia, & Veritas, corporeo ambitu non circumcludi, & secundum divinitatem suam ac virtutem ubique esse, sed *secundum dispensationem corporis quod suscepit*, peregrinari. Idem adstruit Homil. 6. in Luc. & Christum, qua virtus est Dei, omnia pervadere docet, cœlestia, terrestria, & inferna. Et libr. 10. in Epist. ad Rom. postquam Christum non alicujus loci terminis circumscribi, sed ubique penetrare, & per omnia diffundi declaravit; *Sed ita*, inquit, *debes sentire de Christo, tamquam de Verbo, & Veritate, & Sapientia, & Justitia Dei. Hæc autem omnia non in loco quæruntur, sed ubique adsunt, neque ab inferni locis evocantur, sed mente sola, intellectuque capiuntur.* Atque ita intelligendus Tom. 2. in Johann. p. 82. cum ait: μ̃ δὲ ταῦτα ἄλλη μαρτύρια τ̃ ἀπὸ βαπτιστ̃ φων̃ Χριστ̃ ἔστ, τὴν προειρημένην αὐτ̃ ὑπόστασιν ἔτι διδάσκουσα, διήκουσαν δὴ πάντα τὸν κόσμον, κὴ τὰς ψυχὰς τὰς λογικὰς, ὅτε φησὶ· μέσ ὑμῶν ἕστηκεν ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, ὀπίσω μου ἐρχόμεν.

C

D

E

XX. Sequitur placitum aliud Origenis de morte Christi, non hominibus solummodo utili, sed Angelis etiam, & sideribus, ac rebus creatis quibuscunque. Ab eo si quis alienum penitus fuisse Origenem pertendere velit, candorem ille omnem ac pudorem projiciat necesse est, cum hanc in eo sententiam castigent ac coarguant Veteres plerique, & eam claris ac iteratis testimoniis consignatam reliquerit. Sed quoniam res intricata est & perplexa, accuratius videtur perscrutanda.

F

XXI. Theophilus Epistola Paschal. 2. sensisse eum queritur; *Christum pro Dæmonibus ac spiritualibus nequitiis apud Superos adfigendum cruci*; atque hæc dicendo deinde amplificans pro more suo & extendens, multa inde pestifera consequi ostendit. Ac hujus deinde auctoritate & verbis ad eundem profligandum errorem usus est Hincmarus in libr. De prædestinatione, cap. 27. Non aliter Hieronymus Apolog. adv. Rufin. libr. 1. cap. 5. *Origeni tuo*, inquit, *licet Christum dicere sæpe passum, & sæpius passurum, ut quod semel profuit, semper prosit assumtum:* & Epist. 61. ad Avit. cap. 4. *Cumque dixisset*, (Origenes) *juxta Iohannis Apocalypsim, Evangelium sempiternum, id est, futurum in cœlis, tantum præcedere hoc nostrum Evangelium, quantum Christi prædicatio Legis veteris sacramenta; ad extremum intulit* (quod & cogitasse sacrilegum est) *pro salute Dæmonum Christum etiam in aëre, & in supernis locis esse passurum. Et licet ille non dixerit, tamen quod consequens sit intelligitur: sicut pro hominibus homo factus est, ut homines liberaret,*

ret; *sic & pro salute Dæmonum Deum futurum quod sunt ii, ad quos venturus est liberandos.* Tum A verba ipsa Origenis exhibet, unde accusationi suæ robur addat, & nos ea quoque infra referemus. Notandum interim diserte affirmare Hieronymum neutiquam dixisse Origenem Christum pro salute Dæmonum Dæmonem futurum, quod neque apud illum legerat Theophilus; sed ex Origenis dictis id uterque ratiocinando collegit; cum Christum tamen Angelis & cœlestibus Virtutibus in sua quibusque forma apparuisse scripserit, ut ostendemus paulo post. Superiorum etiam similis est Orosii apud Augustinum adversus Origenistas conquestio in Commonitorio, quod inter Augustini opera, in capite libri contra Priscillianistas & Origenistas edi solet; *De corpore vero Domini sic tradiderunt, quia cum usq; ad nos veniens Filius Dei post tot millia annorum otiosus eo usque non fuerit, sed prædicans remissionem Angelis, Potestatibus, atque universis superioribus, cum qualitatem formæ eorum quos visitaret* B *assumeret, usque ad palpabilitatem carnis assumtionis specie transiviſſe.* Ex eo quoque potissimum Origeni conflasse invidiam Ægyptios Episcopos refert Posthumianus apud Sulpitium Severum Dialog. 1. cap. 2. quod in ejus libris legeretur, *quia Dominus Iesus, sicut pro redemptione hominis in carne venisset, crucem pro hominis salute passus, mortem pro hominis æternitate gustasset, ita esset eodem ordine passionis etiam Diabolum redemturus: quia hoc bonitati illius, pietatique congrueret, ut qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque Angelum liberaret.* Hinc Bernardus Serm. 44. in Cantic. Cantic. *Denique*, inquit, *operatus est salutem in medio terræ: numquid & in medio aëris? Hoc adversum Origenem, qui in aëre Dominum gloriæ denuo pro Dæmonibus impudenti crucifigit mendacio; cum hujus conscius mysterii Paulus affirmet, quod resurgens ex* C *mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur:* & Albertus Magnus in Epistolam 8. Dionysii: *Non quod futurum sit Christum iterum pati, secundum Origenis errorem.* Pejus quid ex ipsis Origenis verbis repræsentat Justinianus Imperator in Epistola ad Menam, futurum nempe ut pro Dæmonibus crucifigatur Christus, idque sæpenumero per sæcula futura. Tum in subjectis huic Epistolæ anathematismis Origenem tangit, cum eos damnat qui dixerint Verbum Seraphimum factum esse Seraphimis, & similem reliquis cœli Virtutibus; & cum addit anathema esse qui dixerit, Christum in sæculo futuro crucifixum iri pro Dæmonibus, sicut & pro hominibus. Unde Nicephorus inter hæreses Origeni adscriptas damnatam illam fuisse refert, ὅτι ὑπὲρ δαιμόνων δεῖ τ χρις ὸν σαυρωθῆναι, ☪ πολλάκις τοῦτο εἰς ἐσομένας αἰῶνας παθεῖν ὑπὸ τῶ πνευμάτων ☪ πονηρίας τῶ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. *Oportere Christum crucifigi pro Dæmonibus, & sæpius in* D *futuris seculis idem perpeti à Spiritibus nequitiæ qui sunt in cœlestibus.* Horribile vero est & execrandum quod Johannes Damascenus in libro De Hæresibus Origeni persuasum fuisse ait, nempe *Christum una cum Diabolo à Rege gubernatum iri, eumque in crucem actum Dæmonibus falsa denuntiaturum.*

Nicephor. lib. 17. c. 27.

XXII. Nunc rivis omissis, ex ipso fonte hauriamus. Origenes Homilia 10. in Luc. ex eo probat Jesu Christi adventum Veteris Testamenti Patribus profuisse, quod cœlestibus profuerit, juxta Apostolum Col. 1. 20. Quo Pauli loco in eamdem abutitur sententiam Hom. 2. in Levit. & libr. 5. in Epist. ad Rom. Hoc autem cœlestium nomine, non Angelorum modo ordines, sed sidera quoque notavit, utpote quæ non anima modo, sed ratione etiam prædita censuerit. Quæcunque autem ratione pollent, peccato esse obnoxia, ac E proinde purgatione indigere arbitratus est; purgationis vero officium illis morte sua exhibuisse, salutemque procurasse Christum, ἀπροσδεῆ παντὸς ὑπάρχοντα, πλὴν τῆς ἀνθρώπων σωτηρίας, καὶ παντὸς λογικοῦ. Sic error errori cohæret. Rationalia porro enumerans Tom. 1. in Joh. p. 32. Angelos in iis, homines, ac Dæmones collocavit. Astris autem animam addidit, è supernis nimirum cœlitum ordinibus depromtam, ad quam peræque mortis Christi beneficium pertinuerit. Commenta illa palam profert Tom. 1. p. 38. in Johan. Christumq; asserit magnũ esse Pontificem, non pro hominibus modo, sed pro omni etiam quod rationis esset capax; atque ita demum concludit: Καὶ γὰρ ἄτοπον ὑπὲρ ἀνθρωπίνων μὲν αὐτὸν φάσκειν ἁμαρτημάτων γεύσασθαι θανάτου, οὐκέτι δὲ ὑπὲρ ἄλλου τινὸς παρὰ τοὺς ἀνθρώπους ἐν ἁμαρτήμασι γεγυμνῶσθαι, ὅσον ὑπὲρ ἀστέρων, ἢ δὲ τῶν ἀστέρων πάντως καθαρῶν ὄντων ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ὡς ἐν τῷ ἰῶ ἀνεγνωμεν· ἀστρα δὲ ἐ καθαρὰ ἐνώπιον αὐτοῦ. εἰ μὴ ἄρα ὑπερβολικῶς τοῦτο εἴρηται. Simile quid innuit Tom. 2. in Johann. p. 69. cum Christum lucem esse ait, non F hominum duntaxat, sed & eorum omnium qui rationis capaces sunt. Nec his finibus mortis Christi pretium & valorem circumscripsisse visus est, sed ad res creatas omnes porrexisse: ait enim Tom. 13. in Matth. p. 313. Christum passum ὑπὲρ ἀνθρώπων, ἢ καὶ ὅλου τοῦ κόσμου· & Tom. 2. in Johan. p. 58. ἢ τάχα δεῖ καὶ τοῦτο εἰπεῖν, ὅτι ἐδέετο ἡ κλῆσις ὑπὲρ τῶ ἐλευθερωθῆναι ἀπὸ τῶ δουλείας τῶ φθορᾶς, ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, μακαρίας καὶ θείας δυνάμεως ἐναν θρωπήσους, ἥτις διορθώσεται καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.

XXIII. Non satis vero ipse sibi videtur constare, cum rationem modumque explanat, quo res rationis compotes à corruptionis servitute Christus liberavit. Nam singulis Angelorum ordinibus, in sua unicuiq; forma apparuisse, Evangelium prædicasse, & in cœlo denique mortem pro iis obiisse scisceere videtur aliquando. Velut cum ait Hom. 8. in Gen. *Considerandum est, quia Angelus hæc refertur ad Abraham locutus, & quia in consequentibus evidenter*

hic

A *hic Angelus Dominus ostenditur. Unde puto quod sicut inter nos homines habitu repertus est ut homo, ita & inter Angelos habitu est repertus ut Angelus.* Et cum Tomo 15. in Matth. p. 373. Angelos Christi Discipulos appellari posse asserit: φθάνει δὲ καὶ ὅτι τοιαύτας δυνάμεις τὸ τῶ μαθητῶν ἴσως ὄνομα εὔλογον, ἵνα μὴ μόνον οἱ ἄνθρωποι αὐτῶ μαθητεύωσι, ἀλλὰ καὶ οἱ ἄγγελοι εἰς ὧν φῶσι, καὶ εἴ τις ἀπῶ πίστεύει βούλεται δὲ πάντες ὀνόμαλῶ ὀνομαζόμενα, ἃ μόνον ἐν τῶ αἰῶνι τούτῳ. ἀλλὰ καὶ ἐν τῶ μέλλοντι· Et cum Tom. 8. contr. Celf. Christum dicit πολλῆ δυνάμει ἐπεσταλμένην τὸ καθαρὸν, τὸ θεοσεβείας λόγον τῆ πάσῃ τῶ ἀνθρώπων διεσπαρμένῃ· ψεύσομαι δὴ, inquit, προστιθεὶς καὶ λέγων, ὅτι καὶ τῶ ἄλλων λογικῶν καὶ θνητῶν γενομένων διορθώσεως, καὶ θεραπείας, καὶ μεταβολῆς τὸ δεῖν τῆς κακίας· Et cum primo in Johannem Tomo p. 32. Servatorem ait factum omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret, quicunque salutem adipisci poterant, quod rationis essent participes; tum res ratione pollentes recenset, earumque triplicem constituit seriem; ac primam Angelis assignat, & dubitat deinde, posteriores ne partes adscribat hominibus,

B an τοῖς καταχθονίοις, quorum è numero Dæmones, vel omnes, vel aliquos esse autumat. Et cum libro primo Commentariorum in Epistolam ad Rom. quærit, annon Christus *manifestatus in carne*, cum *apparuerit Angelis*, juxta Apostolum, eis absque Evangelio non apparuerit: tum subjicit deinde: *Si ergo cum apparuit, nobis omnibus hominibus non sine Evangelio apparuit, consequentia videtur ostendere, quod etiam Angelico ordini non sine Evangelio apparuerit, illo fortassis quod æternum Evangelium à Iohanne memoratum supra edocuimus. Si vero etiam in reliquis cœlestibus ordinibus tale aliquid gestum esse ab eo suspicandum sit, in ea qua singuli quique sunt forma apparuit eis, annuntians pacem, quoniam quidem per sanguinem crucis suæ pacificavit non solum quæ in terra, sed quæ in cœlis sunt, etiam tu apud temetipsum discutito.* Et cum Homil. 1. & 2. in Levit.

C Christum *in cœlestibus vitalem corporis sui virtutem, velut corporale quoddam sacrificium immolasse* ait, & cœlestia eatenus pacificasse per sanguinem suum, quatenus in cœlis pro munere oblatus est.

At contra una morte in terris obita rebus universis ratione instructis salutem promeruisse Christum pluribus locis decernit. Nam præter magnam eorum partem qui supra depromti sunt, unde id facile colligas, & hunc præsertim Tomi in Johannem prioris, p. 38. in quo Christus dicitur μέγας ἀρχιερεὺς, οὐχ' ὑπὲρ ἀνθρώπων μόνον, ἀλλὰ καὶ παντὸς λογικοῦ, τῶ ἅπαξ θυσίαν προσενεχθεῖσαν ἑαυτὸν ἀνενεγκών. & istum præterea è Tom. 7. contr. Celf. ὑπέμεινεν ὡς σοφὸς καὶ τέλειος, ἅπερ ἐχρῆν ὑπομεῖναι τὸ ὑπὲρ παντὸς τῶ ἡμῶν τῶ ἀνθρώπων, ἢ καὶ τῶ λογικῶν πάντων πραττόντα· unus ille pro omnibus esse posset, qui habetur in fine libr. 5. in Epist. ad Rom. ubi mirari se dicit, *quos-*

D *dam contra hanc evidentissimam Pauli sententiam velle asserere, quod in futuris iterum sæculis vel eadem vel similia pati necesse sit Christum, ut liberari possint etiam hi quos in præsenti vita dispensationis ejus medicina sanare non potuit.* Et paulo post: *Sed ad hæc*, inquit, *nos breviter prout possumus respondebimus. Manere quidem naturæ rationabili semper liberum arbitrium non negamus, sed tantam esse vim crucis Christi, & mortis hujus quam in sæculorum fine suscepit, asserimus, ut ad sanitatem & remedium non solum præsentis & futuri, sed etiam præteritorum sæculorum; & non solum humano huic nostro ordini, sed etiam cœlestibus Virtutibus, ordinibusq; sufficiat. Secundum sententiam namque ipsius Pauli Apostoli Christus pacificavit per sanguinem crucis suæ, non solum quæ in terra sunt, sed & quæ in cœlis:* vel ille è lib. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. *Docet autem*, inquit, *sanctus Apostolus, quod Christus in eo sæculo quod ante hoc fuit, non est passus, sed nec in illo quidem quod*

E *ante ipsum fuit: & nescio si enumerare sufficiam quanta fuerunt anteriora sæcula in quibus passus non est. Ex quibus tamen sermonibus Pauli ad occasionem hujus intelligentiæ (ut verum proferam) facile deveniemus; ait enim: Nunc vero semel in consummatione sæculorum ad refellendum peccatum per hostiam sui manifestatus est. Semel ait enim hostiam effectum, & in consummatione sæculorũ ad refellendum peccatum esse manifestatum.* Sed Rufini tamen perfidiam denuo recordemur.

At vim eam licet morti quondam in terris Christo illatæ tribuant loci supra adducti, quæ hominum Angelorumq; servandis ordinibus sufficeret; iterum tamen in sequentibus sæculis passurum Christum videtur affirmare Hom. 1. in Levit. *Nisi quia forte*, inquit, *hoc intelligi*

F *voluit* (Moyses) *quod sanguis Iesu non solum in Hierusalem effusus est, ubi erat altare, & basis ejus, & Tabernaculum testimonii; sed & quod super illud altare quod est in cœlis, ubi & Ecclesia primitivorum est, idem ipse sanguis aspersus erit.* Manifestus vero erroris hujus locus ille est quem exhibet Justinianus in Epist. ad Menam è lib. 4. περὶ ἀρχῶν. Sic ille vulgo editus est: ὅτι καὶ ὑπὲρ δαιμόνων δεῖ τῶ χριστὸν σταυρωθῆναι, πολλάκις τοῦτο εἰς τοὺς ἑξῆς αἰῶνας. ἀλλὰ κἂν μέχρι τοῦ πάθους τις ζητήσῃ, πολυμηχανήσεται ποιεῖν ἐκεῖ τῶ ἐπουρανίων τόπων αὐλὸς ζητῶ· ἀλλ' εἰ ἔστι πνευματικὰ τὰ πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ἆρα εἰ ὥσπερ ἐνθάδε καὶ αἱ θύμεθα σταυρόμενον ὁμολογεῖν ἐπὶ καθαιρέσει, ὧν καθέλε ἐξῆ τὸ πεπονθέναι. ἕτω τοῦ κἀκεῖ πλησίον διδόντες ῥίζης τὰ καὶ ἕξης, ἕως τῆς συντελείας τοῦ παντὸς αἰῶνος, ἃ φοβησόμεθα· Quem locum aliquanto ampliorem & Latino sic conceptum sermone repræsentat Hieronymus in Epist. 61. ad Avit. cap. 4. *Sicut enim per umbram Evangelii, umbram Legis implevit: sic quia omnis Lex, exemplum & umbra est cærimoniarum cœlestium, diligentius requirendum, utrum recte intelligamus, Legem quoque cœlestem, & cærimonias superni cultus plenitudinem non habere, sed indigere Evangelii veritate, quod in Iohannis Apocalypsi Evangelium legimus sempiternum, ad*

comparationem videlicet hujus noſtri Evangelii, quod temporale eſt, & in tranſituro mundo ac ſæculo prædicatum. Quod quidem etiam ſi usque ad paſſionem Domini Salvatoris inquirere voluerimus: quanquam audax & temerarium ſit in cœlo ejus quærere paſſionem; tamen ſi ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus ſunt, & non erubeſcimus crucem Domini confiteri propter deſtructionem eorum, quæ ſua paſſione deſtruxit; cur timeamus etiam in ſupernis locis, in conſummatione ſæculorum aliquid ſimile ſuſpicari, ut omnium locorum Gentes illius paſſione ſalventur? Ex hac Hieronymi interpretatione liquet perperam à Juſtiniano accepta fuiſſe verba Origenis; nam quod apud eum legitur: ἕως τῆ συντελείας τῦ παντὸς αἰῶνος, tamne ſupine & negligenter intellexiſſe credemus Hieronymum, ut verteret: *in conſummatione ſæculorum?* Potius eſt ut dicamus legendum: ἐπὶ τῆ συντελείας τῶν αἰώνων, facili literarum permutatione; nam & libr. 5. in Epiſt. ad Rom. ubi vertit Rufinus: *mortis hujus quam in ſæculorum fine ſuſcepit*, veriſimile eſt ſcripſiſſe itidem Origenem: ἐπὶ τῆς συντελείας τῦ αἰῶνος. Id ſi ita eſt, Origeniano huic loco lemma hujusmodi Juſtinianus immerito præfixerit: ὅτι καὶ ὑπὲρ δαιμόνων δεῖ τὸ χριστὸν σταυρωθῆναι, καὶ πολλάκις τῦτο εἰς τὸς ἐσομένους αἰῶνας. *Oportere Chriſtum etiam pro Dæmonibus crucifigi, idque ſæpius in futuris ſæculis:* quod cum extra ordinem in fronte deſcribendum eſſet, male ſequentibus in unam ſeriem adtextum eſt.

XXIV. Certe de morte à Chriſto oppetita aliter ſenſiſſe Origenem ac vulgo in eum jactatur, ex perſpectis attenta conſideratione ejus verbis conjecturam capio; neque enim perſuaderi poſſum tantum in eo fuiſſe væcordiæ, ut iterata Chriſtum vel paſſum, vel paſſurum eſſe crederet ſupplicia, aut in cœlo, aut in aëre; vel Angeli, vel Dæmonis indutum forma. Calumniæ huic præbuiſſe videtur anſam unus ille locus quem proferunt Juſtinianus, & Hieronymus. Nam alium nullum expreſſis hæreſeos hujus notis inſignem apud eum reperio, nec ullos in iis extitiſſe lucubrationibus veriſimile eſt quæ interciderunt; nec eos quippe intactos adverſarii ejus prætermiſiſſent. At locum hunc Juſtiniani corruptum fuiſſe demonſtravimus. Quod ſi Hieronymi interpretationi adhæreamus, non tam aperta erit ſententia, ut inde conſequi demus id voluiſſe ſibi Origenem, Chriſtum pro Dæmonibus iterum mortem appetiturum. Maximam præterea & præcipuam Dogmatis hujus partem, quæ pro ſalute Dæmonum Dæmonem futurum Chriſtum ſtatuit, minime in Origenis extare libris fatetur Hieronymus, ſed ex ejus tantum pronuntiatis neceſſario profluere arbitratus eſt; itidem ut Alexandrinus ille Theophilus, quemadmodum dixi, cum eorum accuſationes recenſerem. Genuinam ergo de morte Chriſti doctrinam Origenis hanc fuiſſe cenſeo: ſemel omnino Chriſtum obiiſſe, in terris nimirum, cum à Pontio Pilato morti addictus eſt: poſtquam autem cruento illic mactatus ſacrificio hominum peccata eluit, ſpiritali quodam ſacrificio cœleſtium, aliarumque rerum, quæ rationis compotes eſſent, noxas abſterſiſſe. *Niſi quia forte*, inquit Homil. 1. in Levit. *hoc intelligi voluit* (Moyſes) *quod ſanguis Ieſu in Hieruſalem effuſus eſt, ubi erat altare, & baſis ejus, & Tabernaculum teſtimonii; ſed & quod ſuper illud altare quod eſt in cœlis, ubi & Eccleſia primitivorum eſt, idem ipſe ſanguis aſperſus erit, ſicut & Apoſtolus dicit: Quia pacificavit per ſanguinem crucis ſuæ, ſive quæ in terra ſunt, ſive ſive quæ in cœlis. Rectè ergo ſecundo nominat Altare, quod eſt ad oſtium Tabernaculi teſtimonii, quia non ſolum pro terreſtribus, ſed etiam pro cœleſtibus oblatus eſt hoſtia Ieſus, & hic quidem pro hominibus ipſam corporalem materiam ſanguinis ſui fudit: in cœleſtibus vero miniſtrantibus (ſi qui illi inibi ſunt) ſacerdotibus, vitalem corporis ſui virtutem, velut corporale quoddam ſacrificium, immolavit.* Addit deinde duplicem in eo fuiſſe hoſtiam, unam terreſtribus convenientem, aliam aptam cœleſtibus; & cum duplici illo velamine, quod commemorat Paulus in Epiſtola ad Ebræos, caro Chriſti, & cœlum quod ipſe penetravit, ſignificentur, duplex proinde intelligendum eſſe ſacrificium, per quod terreſtribus & cœleſtibus ſalutem comparavit. Hæc attente perſpecta expoſitionem quæ ad oram adjecta eſt, manifeſto reſpuent, qua cœleſte illud ſacrificium Euchariſtiam eſſe, terreſtre vero toleratam in cruce mortem aſſeritur. Præterea non pro peccato, ſed pro munere oblatum in cœlo Chriſtum pronuntiat Hom. 2. in Levit. *Vide ergo*, inquit, *ne forte Ieſus, quem Paulus dicit pacificaſſe per ſanguinem ſuum non ſolum quæ in terris, ſed & quæ in cœlis ſunt, idem ipſe ſit vitulus, qui in cœlis quidem non pro peccato, ſed pro munere oblatus eſt: in terris autem, ubi ab Adam usque ad Moyſen regnavit peccatum, oblatus ſit pro peccato: & hoc eſt paſſum eſſe extra caſtra.* Quomodo autem unicuique in ſua forma apparuerit, exponit ipſe Tom. 1. in Joh. p. 32. 33. & hominem hominibus factum eſſe docet, quando *Manifeſtatus eſt in carne*; Angelum Angelis, quando Patriarchis & Prophetis viſus eſt, Moyſi puta in rubo; Inferis autem, quando *Factus eſt inter mortuos liber*. Prædicaſſe quoque Angelis Evangelium dici poteſt, quando futuræ Incarnationis myſterium ipſis aperuit; Subterraneis vero, quando *Penetravit omnes inferiores partes terræ, & inſpexit omnes dormientes, & illuminavit omnes ſperantes in Domino*; quando *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu, in eo his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë*; quando *Mortuis evangelizatum eſt, ut judicentur quidem ſecundum homines in carne, vivant autem ſecundum Deum in ſpiritu.* Vel tunc etiam Ange-

Hier. Epiſt. 61. ad Avit. cap. 4.

Hebr. 6. 9. & 10. 20.

1. Tim. 3. 16.

Pſ. 87. 5. 6.

Eccleſiaſt. 24. 45.

1. Petr. 3. 18. 19.

1. Pet. 4. 6.

A Angelis doctrinam suam prædicasse dicendus est, cum ad homines verba faciens, præsentes quoque Angelos est allocutus. Id innuit Origenes Homil. 23. in Luc. *Docet igitur Salvator noster, & Spiritus sanctus qui locutus est in Prophetis, non solum homines, sed etiam Angelos, & Virtutes invisibiles*: & deinde: *Venit enim non Johannes & Prophetæ tantum, sed etiam ipse Salvator, & hominibus, & Angelis, & Virtutibus cæteris salutarem pœnitentiam prædicare, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, & terrestrium, & infernorum.* Angelos quippe peccatis obnoxios esse censuit, ut dicemus infra. Nec Christum duntaxat, sed & Prophetas, & Apostolos, quoties cumque ad homines orationem de divinis rebus habuerunt, ad Angelos quoque habuisse eadem Homilia declaravit. Ita autem & Angelis, & Subterraneis, & hominibus Christum apparuisse putavit, ut unicæ suæ mortis in corpore humano toleratæ beneficium iis applicaret, non ut assumtis illorum formis novas mortes sustineret. Quod autem alicubi sentire videtur, Christum non pro rebus modo ratione præditis obiisse mortem, sed pro creatis etiam quibuscumque, facile explicabimus, si meminerimus refragari id doctrinæ ipsius contextui & sequelæ; nam rationis capacia omnia perpetuum habere libertatis usum opinatus est; quæ libera autem, ea peccatis obnoxia; quæ peccati rea, ea purgatione egere; purgationem vero conferre solam Christi mortem potuisse. At res rationis expertes libertate carere, ac proinde non peccare censuit, nec indigere purgatione, propterea que mortis Christi fructum neutiquam percipere. Per αἴτιον igitur, ratione prædita Dei opificia significasse ipsum dicendum est, posito genere pro specie.

C XXV. Patet itaque ex priore hoc figmento, quo perpetuum libertatis usum rebus omnibus ratione præditis adscripsit, eo fuisse perpulsum Origenem, ut reconciliatione opus illis esse putaret; hoc autem ipsis beneficium mortem Christi contulisse. Eodem ipsum adduxerunt duo Pauli loci, alter ex Epist. ad Ephes. cap. 1. v. 10. alter ex Epistol. ad Colos. cap. 1. v. 20. quem sæpe nobis oggerit. Hunc rectius multo ac melius interpretatur Homil. 4. in Levit. *Sed & Sanctorum*, inquit, *socios nos dicit Apostolus, nec mirum. Si enim cum Patre & Filio dicitur nobis esse societas, quomodo non & cum Sanctis, non solum qui in terra sunt, sed & qui in cœlis? quia & Christus per sanguinem suum pacificavit cœlestia, & terrestria, ut cœlestibus terrena sociaret.* Quæ verior est dicti hujus Apostolici expositio, & quam tuetur Augustinus in Enchiridio ad Laurent. cap. 61. Quod si olim quoque passurum Christum, re ipsa, uti fertur, autumavit Origenes, opinionem suam fundaverit super dictum illud: ἀνωθεν μέλλω σταυροῦσθαι, D quod in Actis Pauli Christo tribuitur, ut ex Origene ipso discimus Tomo 20. in Joh. p. 298.

XXVI. Neque vero in eo primum hæc de morte Christi damnata est opinio: confutat eam Tertullianus libr. De carne Christi, cap. 14. *Sed Angelum ajunt gestavit Christus: qua ratione? qua & hominem. Eadem ergo est & caussa, ut hominem gestaret. Christus salus hominis fuit; caussa scilicet ad restituendum quod perierat. Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Vt Angelum gestaret Christus, nihil tale de caussa est, nam etsi Angeli perditio reputatur in ignem præparatum Diabolo, & Angelis ejus, numquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre. Quod Pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit.* Hanc autem Origenis sententiam in Commentarios suos in Epistol. ad Ephes. transtulit Hieronymus, cujus hæc verba sunt libr. 1. in cap. 1. v. 22. *Cur autem omnia,* E *id est, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, & Virtutes cæteræ, quæ numquam fuerunt contrariæ Deo, ejus pedibus subjiciantur, videtur obscurum. Potest itaque responderi quod absque peccato nullus sit, & sidera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat Creatoris adventum. Vnde & crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cœlis erant, purgasse perhibetur*: & in cap. 2. v. 24. *Cæterum qui illud Apostoli legit, de Christo memorantis: Pacem faciens per sanguinem crucis suæ his quæ in terra erant, & his quæ in cœlis ..... hanc totam intelligentiam ad Angelos, Virtutesque cœlestes, & ad animas temperabit humanas ..... atque ita fieri putabit, ut crux Domini non solum ternæ, sed & cælo profuerit: non solum hominibus, sed & Angelis, & omnis creatura Domini sui cruore purgata sit*: & libr. 2. in ejusdem Epistolæ cap. 3. v. 10. Crucem ait Christi, non solum nobis, sed & Angelis, cunctisque in cœlo Virtutibus profuisse, per eam quip- F pe illis, itidem ut nobis, revelatum fuisse multiplicem Dei sapientiam: & in cap. 4. v. 10. *Neque enim*, inquit, *scire possumus, quomodo & Angelis, & his qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, & tamen quin profuerit rescire non possumus.* Quæ quod absque confutatione protulisset Hieronymus, à Rufino reprehensus est libr. 1. Invect. sed in Apologia nihilominus valide se tuetur. Facit quoque ad excusationem Origenis Cyrillus libr. 9. De adoratione, ubi sic loquitur: Χριστῷ δὲ μέτοχα καὶ τὰ πᾶσα ἔσην ὁρατὰ, καὶ ἀόρατα· πλὴν ἀγγελοί τε δὴ, καὶ ἀρχάγγελοι, καὶ τὰ ἔτι τούτων ἐπέκεινα, καὶ αὐλαὶ δὴ τὰ χερουβὶμ, οὐχ ἑτέρως ἅγια, πλὴν ὅτι ἐξ μόνε Χριστοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι· *Christi enim particeps est omnis aspectabilis, & non aspectabilis creatura. Angeli quippe, & Archangeli, & quæcunque præterea sunt, & ipsa quoque Cherubim, non aliter sancta sunt, quam per unum Christum in sancto Spiritu*: & Augustinus libr. 1. De consensu Evangelistarum, cap. 35. ubi mentes omnes rationis compotes, sive Angelorum, sive hominum, nonnisi Christi, qui

sapientia est, participatione sapientes est definit, Christumque *congrua saluti nostræ dicendo* A
& faciendo; patiendo & sustinendo, factum esse & deorsum hominibus exemplum redeundi, & eis qui sursum sunt Angelis exemplum manendi. Ecclesiæ sane decretis neutiquam repugnat hæc propositio; primam gratiam Angelis, ac deinde perseverantiæ donum Christum sanguine suo promeruisse, ut eo sensu Angelorum quoque conservator, & ut loquitur Tertullianus, Salutificator dici possit. Minime vero Didymi suffragium hic prætendo, quippe qui Origenismi causa male audierit; hæc nihilominus verba ipsius proferam è Commentar. in 1. Petr. 3. quæ Origeniano fermento turgent: *Sicut enim homines abstinentes à peccatis subjecti sunt; ita & superiora rationalia correcta spontaneis culpis, quæ forsitan habuerunt, et subjecta sunt, completa dispensatione habita pro salute cunctorum.*

Huc adde, quæcunque fere super eo argumento proposuit Origenes, hæsitando & inquirendo, non affirmando proposuisse: velut in illo insigni loco ex Homil. 1. in Levit. *Sed &* B
hoc fortasse, inquit, *non sine caussa fit*, &c. Item: *Nisi quia forte hoc intelligi voluit*, &c. & in altero ex Hom. 2. *Vide ergo ne forte Iesus* &c. Tum in eo qui petitus est è Tom. 1. in Joh. p. 32. 33. quomodo Subterraneis similis factus sit, dubie inquirit. Apertissime vero fluctuationem suam exprimit, cum varias illas Christi apparitiones recenset: *De quibus*, inquit, *quamvis periculosum videatur chartulis committere, tamen non otiose prætereunda sunt dicta sapientium & ænigmata, sed subtili admodum mentis acie*, (*in quantum res patitur*) *velut per quoddam speculum contemplanda; ne forte is qui Verbum caro factus apparuit positus in carne* &c.

Orig. libr. 1. in Epist. ad Rom.

XXVII. Inter sacrilega Manichæorum dicta refert insigne illud Augustinus libr. 20. con- C
tra Faustum, cap. 2. Christum qui Dei virtus & sapientia est, quasi bipertitum in Sole & Luna habitare; ac in Sole quidem, qua Dei virtus est; in Luna vero, qua sapientia. Philastrius item Hær. 55. & Augustinus ad Quodvultdeum, Hær. 59. Seleucum & Hermiam arguunt, negantes *Salvatorem in carne sedere ad dextram Patris, sed expoliasse carnem, & posuisse in Sole æstimarint*; hoc adductos Prophetæ Psalm. 18, 6. *In Sole posuit tabernaculum suum.* Criminis ejusdem Hermogenem compellat Theodoretus libr. 1. Hæret. Fabul. cap. 19. à quo verisimile est virus hujusmodi, ut alia multa, Manichæos suxisse; non ab Origene, quem tamen insimulat Serapion Thmuensis cognomento Scholasticus, quasi erroris hujus Manichæis auctor fuerit, utpote qui proxime laudatum Davidis locum illustrans Christum scripserit, cum in cœlum ascenderet, obdormisse, & deposito in Sole corpore, animam in cœlum ad dextram Patris intulisse. Hæc quidem in libro Serapionis adversus Manichæos haberi scribit Sixtus Senensis Bibl. sanct. lib. 5. & post ipsum Genebrardus in Collectaneis Origeni D
præfixis. At nihil ejusmodi reperio in hoc Serapionis opere, prout editum reperitur in Bibliotheca Patrum. Binetus vero in libello de salute Origenis hoc ipsum scripsisse refert Serapionem in Commentar. in Psalm. 18. Profecto Origenistas quosdam non multum absimilis culpæ insimulat Orosius in Commonitorio ad Augustinum; pertendere eos dicens Christum, antequam in terras descenderet, remissionem Angelis, assumto eorum quos adibat corpore, prædicasse; ac tandem humanum corpus induisse, *hoc passione & resurrectione determinantem, rursus donec usque ad Patrem veniret, ascendendo tenuasse: ita neque depositum unquam fuisse corpus, nec in corpore ullo regnantem circumscribi Deum.* Quæ eum in libro Augustini contra Priscillianistas & Origenistas, ut alii eorumdem errores ipsi ab Orosio E
proposita, nusquam confutata appareant, concludo partem aliquam libelli hujus intercidisse.

Qui autem in ea versari sententia potuit Origenes, quem hæc scripsisse refert Pamphilus in Apologia: *Quid est quod dixit: In Sole posuit tabernaculum suum? Quidam quidem dicebant quod Salvator noster ascendens è terris ad cœlum, & corpus suum assumens, pervenit usque ad eum circulum qui Solis Zona nominatur; & ibi, ajunt, posuit tabernaculum corporis sui: non enim ultra erat possibile id progredi. Sed hæc illi ita sentiunt, pro eo quod allegoriam nolunt in Scriptura divina recipere, & ideo puræ historiæ deservientes, hujusmodi fabulas & figmenta componunt.* Tum locum hunc Prophetæ postmodum ita interpretatur, Tabernaculum Christi esse Ecclesiam; Solem vero, Deum, qui lux æterna est, & Sol justitiæ. Quin etiam Hermogenem hujus pro- F
pugnatorem insaniæ confutasse Origenem tradit Theodoretus. Placet ergo Sixti Senensis & Genebrardi conjectura, delirium illud à Manichæis fuisse Origeni affictum, corruptosque ejus libros ad conciliandam impietati suæ fidem. Minime vero placet altera Genebrardi responsio, negari simpliciter id posse, quia Origenis liber non extat: nam quo recidet Serapionis auctoritas, quem extollit Hieronymus?

Theodoret. Hær. lib. 1. cap. 19.

XXVIII. Difficilius sententia hæc affinis prioris illius excusari potest, quam Homil. 29. in Luc. consignavit Origenes. *Quod si*, inquit, *tentatus illum*, (Christum) *imitatus fueris qui pro te tentatus est, & omne viceris tentamentum, habebis spem cum eo qui tunc homo fuit, nunc autem homo esse cessavit. Nam si qui quondam homo erat, postquam tentatus est, & recessit ab eo Diabolus, usque ad tempus mortis à mortuis resurgens ultra non morietur; omnis autem homo morti subjacet:*

iste

A *iſte ergo qui nequaquam moritur, jam non eſt homo, ſed Deus eſt.* Dixi ſententiam hanc prioris illius eſſe affinem; nam ſi perſuaſum revera habuiſſet Origenes corpus ſuum in Sole Chriſtum depoſuiſſe, conſectarium erat eum quoque humanitate exutum arbitrari. Similis propemodum fuiſſe fertur Marcelli Ancyrani doctrina, futurum credentis, ut carnem poſt reſurrectionem Chriſtus abjiceret, ac homo proinde & rex eſſe deſineret. At alia fuit Origenis ratiocinatio, nam neque Chriſtum à ſuo corpore ſejunctum eſſe putavit (de triduo jam non loquor, quo in ſepulcro mortuum ipſius corpus jacuit) ut demonſtravimus, & eum jam hominem idcirco eſſe negat, quia quisquis morti non ſubjacet, neutiquam hominem eſſe cenſet. In quo quamquam circa hominis nomen quæſtio verſetur, cum de re conſtet, fatendum

B nihilominus temerariam eſſe vocem hanc, ideoque repudiandam.

XXIX. Celebris eſt Bernardi adverſus Origenem querela, in Sermone qui inſcribitur, De verbis Origenis, in quo graviter eum inceſſit, quod Homil. 7. in Levitic. Chriſtum dixerit etiam nunc lugere peccata noſtra; Chriſtum quippe dum viveret, ejusmodi affectionibus fuiſſe obnoxium, ſed poſtquam cœlo ſuccеſſit, jam non dolore tangi; gaudentibus quidem adgaudere, ſed cum mœrentibus non mœrere; quamvis efficaciorem pro delinquentibus habeat affectum, quam qui pro flentibus flent, aut animam ponunt: idemque de Beatis eſſe ſentiendum. Reſpondet Genebrardus, pio ſenſu id ab Origene dictum fruſtra à Bernardo reprehendi; cum Paulus ipſe Rom 8. 26. dixerit *Spiritum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* At parum mihi probatur hæc reſponſio, nam Chriſtum pro peccatis vero

C doloris ſenſu torqueri voluit Origenes, & aperte ac iterato affirmavit. Tale autem quippiam perſentiſcere Spiritum ſanctum minime Paulum intellexiſſe puto; nec certe putant Interpretes. Sic locum exponit ipſe Origenes libr. 7. in Epiſt. ad Rom. *Sanctus Spiritus ubi oppugnationibus carnis perturbari noſtrum ſpiritum viderit, & neſcientem quid orare debeat ſecundum quod oportet, ipſe velut magiſter orationem præmittit, quam noſter ſpiritus, ſi tamen diſcipulus eſſe ſancti Spiritus deſiderat proſequatur: ipſe gemitus offert, quibus noſter ſpiritus diſcat ingemiſcere, ut repropitiet ſibi Deum.* Confirmat hanc expoſitionem illud Pauli Gal. 4. 6. *Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem, Abba, pater;* & aliud ſimile Rom. 8. 15. Nihilo magis arridet Sixti Senenſis excuſatio, Origenis verba ita accipientis; eatenus Chriſtum lugere peccata noſtra, quatenus *in membris ſuis peccata noſtra luget, dum electis ſuis fletum & compaſſionem alienæ iniquitatis infundit.* Ad Chriſtum, non ad Chriſti membra per-

D tinere ſententiam Origenis hæc ipſius verba oſtendunt Hom. 7. in Levit. *Salvator meus luget etiam nunc peccata mea. Salvator meus lætari non poteſt, donec ego in iniquitate permaneo. Quare non poteſt? quia ipſe eſt advocatus pro peccatis noſtris apud Patrem, ſicut Iohannes ſymmyſta ipſius pronuntiat dicens: Quia etſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt repropitiatio pro peccatis noſtris.* Quæ non aliter ſane quam de Chriſto poſſunt intelligi. Merito ergo hic accuſatum à Bernardo Origenem candide fateamur.

XXX. Videndum nunc eſt, an Chriſti regnum poſt reſurrectionem deſiturum ſenſerit. Id quidem crimini dat ipſi Theophilus Alexandrinus Paſch. 2. dat & Epiphanius in Anacephalæoſi. Auguſtinus in libro contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas idipſum, ut ab Origeniſtis aſſertum, impugnat cap. 7. Quod cum in Commonitorio Oroſii, cui hoc libello reſpon-

E det Auguſtinus, inter alias adverſus Origeniſtas criminationes hodie non extet, aliqua ſui parte mulctatum eſſe conjecerim. Juſtinianus quoque in Epiſtola ad Quintam Synodum, quam refert Cedrenus, futuram rerum omnium ἀποκατάστασιν Origeniſtis objiciens, arbitrari eos ait, fore ut impii quilibet cum Deo conjungantur, eodem modo quo ipſi conjungitur Chriſtus, ita ut prius conjuncti erant, ὡς μηδεμίαν ἔτι διαφορὰν τοῦ χριστοῦ πρὸς τὰ λοιπὰ λογικὰ παντελῶς, ὅτε τῇ οὐσίᾳ, οὔτε τῇ γνώσει, ὅτε τῇ δυνάμει, οὔτε τῇ ἐνεργείᾳ· *Adeo ut nulla re differat Chriſtus à reliquis rationæ præditis, neque ſubſtantia, neque cognitione, neque virtute, neque operatione.* Jactant hoc idem adverſus Origenem & Origeniſtas Sophronius Hieroſolymitanus Epiſcopus in Epiſtola ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Anonymus ille Photii Cod. 117. & Johannes Damaſcenus in libr. de Hæreſ. & Zonaras libr. 2. Hiſtor. & Guido

F Carmelita, in Hæreſi Origeniſtarum.

Act. 11. Synod. 6.

Idem fuit poſt Origenem Marcelli Ancyrani, ejusque diſcipuli Photini error; qui ut humanitatem relictum à Chriſto ac depoſitum iri, ac regnum proinde quod ad Chriſtum qua homo eſt pertinet, dimittendum ab eo ſentiebant; ita Origeni, poſt attributam deſerendæ olim à Chriſto carnis ſententiam, ut ſupra diximus, nunc altera quoque illi conſectaria, abjiciendi aliquando ab eodem regni adſcribitur. Quanquam nonnihil utriusque diſcrepat cauſſa; nam regia poteſtate humanitati ſuæ conjuncta exutum iri Chriſtum ſentiebat Marcellus; Origenem vero regnum, quo tamquam Deus potitur, abdicaturum eum cenſuiſſe Theophilus credidit, quemadmodum ex ejus confutatione liquet, in qua Patris & Filii unitatem probat. Qua quænam atrocior accuſatio intendi poteſt? Si putaſſe dixiſſet Origenem regio dominatu, quo Chriſti humanitas prædita eſt, privatum iri poſt reſurre-

Genebr. Collect. cap. 6.

Sixt. Sen. libr. 5. Bibl.

surrectionem Christum; aliquibus fortasse argumentis accusationem suam utcunque confirmasset; eo, puta, quod ex afficta Origeni sententia depositi in Sole Christi corporis & humanitatis peti poterat. A

Verum in Origeniarum lucubrationum reliquiis manifesta alterutrius hæreseos vestigia nusquam reperi. Itaque vel ex ipsius dictis tale aliquid consequi crediderunt ejus adversarii, vel in iis extabat Operibus quæ vetustate abolita sunt. Quemadmodum autem nullus suppetit Origenis locus, unde accusationi huic fides fieri possit; ita vix ullus extat, unde facile dilui illa possit. Nonnulla quidem coëgit Halloxius, sed infirma & levia, & ad rem parum apposita, qualis est solennis illa Homiliarum Origenis clausula: *Domino Iesu Christo, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum.* Scripserat enim Græce Origenes: εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, at vocibus illis non unam esse significationem, nec semper æternitatem fine carentem notari infra probabimus. B

Ac Theophilus quidem nescire se dicit, unde insaniam ejusmodi Origenes hauserit. Ego vero liquido jurare possum hæc Apostoli quæ leguntur 1. Cor. 15. 24. & seq. perperam accepta, causam Origeni erroris hujus dedisse, si modo ei adhæsit; nam & in eamdem inde sententiam impulsi sunt Marcellus, & popularis ejus Photinus; & alterius quoque confingendi dogmatis ab Ecclesiæ decretis absoni causam inde Origenes arripuit, ut in sequentibus observabimus. Verum frustra id quæri à nobis, & labis hujus expertem fuisse Origenem conjicere possumus ex Cyrilli Hierosolymitani Catechesi XV. qui hæresim illam in Marcello & Photino ulciscens recens illam exortam dicit, πρόσφατος ἀναφυεῖσαν, quod utiq; non dixisset, si jam inde fuisset ab Origenis temporibus propagata. Reliquam adversus id C commentum Theophili dissertationem prætermitto, quæ maledictis tantum pugnat, nec quicquam profert seria responsione dignum.

QVAESTIO QVARTA.

DE B. MARIA VIRGINE.

I. Utrum Christum & B. Mariam Virginem purgatione post partum opus habuisse Origenes existimaverit. II. Vtrum claustrum virginitatis B. Mariæ in partu reseratum opinatus sit. III. Vtrum B. Mariam peccatis obnoxiam putaverit. D

I. GEMINAM, eoque amplius, unica Homilia, quæ numero decima quarta est in Lucam, reprehendendi sui causam dedit Origenes: priorem, quum Christum asseruit & Mariam purgatione post partum opus habuisse; alteram, quum apertum fuisse claustrum virginitatis B. Mariæ in partu docuit. Utrumque suo ordine ventilabimus; & nunc quidem de priore. Origenes Lucæ caput 2. interpretans, in hæc verba versus 22. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς, κατὰ τὸν νόμον μωσέως, sic perorat: *Propter purgationem, inquit, eorum. Quorum, eorum? si scriptum esset propter purgationem ejus, id est, Mariæ quæ pepererat, nihil quæstionis oriretur, & audacter diceremus Mariam, quæ homo erat, purgatione indiguisse post partum. Nunc vero in eo quod ait, dies purgationis eorum, non videtur unum significare, sed alterum, seu plures.* Legerat nempe, uti nunc quoque legitur, τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν, quam E lectionem Interpretationes Syriaca, Æthiopica, & Persica, & Patres aliquot, ac codices bene multi tuentur. Alii, neque pauci habent αὐτοῦ, sed legendum omnino αὐτῆς, juxta Vulgatam, & Arabicam Interpretationem Erpenianæ editionis. Uni siquidem puerperæ purgationem fuisse adhibitam, non etiam infanti constat ex Levit. 2. Corrupta itaque vocis illius αὐτῆς lectio Origeni fucum fecit, & Christum itidem ut Mariam purificatione opus habuisse persuasit. Christo itaque ut reliquis hominibus applicabat dictum Jobi, *Neminem esse mundum à sorde: nec si unius quidem diei fuerit vita ejus.* Sordes autem à peccato hic distinxit, atque sordescere animam putavit, cum mortale subit corpus è vili & sordida con- F cretum materia; ac sese proinde inquinasse Christi animam cum corpus in muliebris uteri angustiis delitescens sibi adjunxit. Sic ille in eadem Homilia: *Vnde & Salvator loquitur: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Videbat in matris utero immunditiam corporum, visceribus ejus hinc inde vallatus, terrenæ facis patiebatur angustias: unde assimilat se vermi & dicit: Ego sum vermis, & non homo.*

At Tertullianus libro De carne Christi, cap. 4. & libr. 3. contra Marcion. cap. 11. de Domini nostri corporatione agens, pejora etiam deblaterat, nam præter *spurcitias genitalium in utero elementorum, humoris & sanguinis, fœda coagula carnis ex eodem cœno alendæ per novem menses; partus quoque immunda & pudenda tormenta, & ipsius exinde puerperii spurcos, anxios, ludicros exitus fingit.* Quæ ab Hæreticis objecta neutiquam ipse diffitebatur, sed Deo indigna esse negabat, contra Marcionistas. Sanctam

A Sanctam vero Virginem cum more aliarum fœminarum per vulvæ reserationem Christum enixam esse sibi Origenes finxerit, ut mox disputabimus, credi quoque posset profusam ab ea, itidem ut ab aliis, partus colluviem existimasse, unde minime mirum foret purgandam quoque fuisse ipsum asseverasse: sed omnino istud, nisi me mea fefellit diligentia, in Origene expressum non est. Sui ergo ei sufficiunt errores, nec alieni temere huic affingendi sunt. Hanc potius Sixti Senensis Annotationem, quæ libr. 6. Biblioth. intexta est, admittamus: *Intelligit fortasse Origenes, non de purgatione ab immunditiis & sordibus partus,* Annot. 136.
B *quibus nulli dubium est Mariam non fuisse obnoxiam, sed de ritibus, & cærimoniis, quibus Moyses puerperas lustrari jusserat: has necesse erat servari à matre illius, qui Legem impleturus venerat, non destructurus.* Illud ex eo confirmatur, quod Homil. 8. in Levit. scribit Origenes, eas solum mulieres in pariendo esse immundas, quæ semine admisso concipiunt, & pariunt; quæ vero semine neutiquam susceptο peperit, eam vero immundam non esse. Quorum ea germana sunt, quæ repræsentant Catenæ ex Origene in Levit. 12. 2. Γυνὴ ἤτις σπερματισθῇ καὶ τέκοι ἄρσεν· παρέλκειν δόξει τό· ἐὰν σπερματισθῇ, προλαμβανόμενον τοῦ καὶ τέκῃ ἄρσεν. Ἀλλ' ἐφίστημι μήπως ἵνα προφητικῶς ἡ μαρία ᾖ ἐν τῷ ἐσπερματίσθαι τεκοῦσα ἄρσεν, μὴ νομισθῇ ἀκάθαρτος· εἰ γεγωνικῖα τὸν σωτῆρα, εἴρηται ὅλον τοῦτο. Addamus denique insignem locum ex Homil. 12. in Levit. quo ex generationis Christi & virginalis Mariæ corporis mundities disertissime prædicatur: *Omnis qui ingreditur hunc mundum in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipso ergo quod in vulva matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & in matre contaminatus dici potest. Aut*
C *nescis quia cum quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, ut ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione, vel paterni seminis, veluteri materni? Omnis ergo homo in patre & in matre pollutus est; solus vero Jesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in matre non est pollutus: ingressus est enim corpus incontaminatum. Ipse enim erat qui & dudum per Salomonem dixerat: Magis autem cum essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Non est ergo contaminatus in matre; sed ne in patre quidem: nihil enim Joseph in generatione ejus præter ministerium præstitit & affectum.*

Sic autem de sacro Mariæ puerperio sentit Catholica Ecclesia antiquorum Patrum dogmatis imbuta, etsi *uterus de die in dies insolesceret* (placet enim Tertulliani verba, repudiata licet ipsius sententia, retinere) *gravem* tamen, *anxium*, *incertum libidinibus fastidii & gulæ* Tertull. de carn. Christi cap. 4.
D *neutiquam fuisse; foras vero infantem*, non *cum suis impedimentis profusum & oblitum*, quemadmodum aliis omnibus puerperis solet contingere, sed absque ullis inquinamentis & sordibus prodiisse. Quamobrem Canone 79. Synodi Quinisextæ abrogatur consuetudo à nonnullis observari solita illis temporibus, similam coquendi post diem Nativitatis Christi, & eam sibi invicem impertiendi, *honoris scilicet prætextu secundinarum impollutæ Virginis matris*: rationem reddit Synodus, esse quippe ἀλόχευτον τὴν ἐκ τῆς παρθένου θεῖον τόκον, ὡς τὸν ἀσπόρως συλλαβόντα· *Secundinis carentem Virginis divinum partum, ut qui semine caruerit.*

II. Alia quoque, ac gravior criminatio ex his ejusdem Homiliæ verbis oritur: *Quemcumque de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Jesus; quia omnium*
E *mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat. Matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo & partus editus, quia sanctum uterum, & omni dignatione venerationis venerandum ante Nativitatem Christi masculus omnino non tetigit.* Per reserationem vulvæ Christum editum censet. Par est Tertulliani cespitatio in libro De carne Christi, cap. 23. ibi quippe B. Mariam virginitatis decus (integritatis nempe cujusdam corporis, quæ virginibus inesse solet, & primo viri congressu obteritur ac violatur) reserata in partu vulva amisisse docet. Post alia vero sic differit: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum vocabitur Domino. Quis vere sanctus, quam Dei Filius? Quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? Cæterum omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Virgo*
F *magis non virgo dicenda est quam virgo, saltu quodam mater antequam nupta. Et quid ultra de hoc retractandum est? cum hac ratione Apostolus non ex Virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiavit, agnovit adapertæ vulvæ nuptialem passionem.* Eamdem postmodum opinionem amplexus est Jovinianus Hæreticus, & eam hodieque tuentur Heterodoxi nostrates, uterum virgineum Christo transeunti reseratum quidem, patens iter præbuisse docentes, sed mox divulsas partes Dei nutu pristinas repetiisse sedes, & in unum coaluisse. Nec multum hinc abludit Durandus à sancto Porciano, inviolatum quidem perseverasse virginitatis sigillum definiens, sed amplificatos meatus viam patefecisse.

Origenianæ sententiæ contraria decernuntur in prima Homiliarum in diversos, quæ auctorem non habere Origenem vel hinc potest existimari. Sic illa: *Quemadmodum Danieli intra lacum Leonum incluso, claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc; ita & hæc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit; mater effecta est, sed virginitatem non amisit; genuit infantem, & ut dictum est, Virgo permansit; mater Filii facta est, & castitatis sigillum non perdidit.*

Arque illud est optimæ Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum partis, & Ephesini præterea Concilii decretum, perpetuo Ecclesiæ Catholicæ consensu comprobatum, & hoc Ezechielis Prophetæ oraculo corroboratum. *Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Quo illibatam & inconceptu, & in partu Mariæ virginitatem futuram, Christique corpus clausis uteri repagulis eodem modo foras proditurum, quo ad Discipulos obseratis foribus penetravit, prænuntiari affirmant Patres plerique.

Ezech. 44. 2.

Verum Origenis reprehensioni intercedit Genebrardus, & Ambrosii ac Hieronymi auctoritatem & exemplum prætexit, quorum uterque claustrum virginitatis à Christo in partu apertum fuisse dicit. Adjungere poterat Athanasium, Basilium, & alios præterea, qui de virgineæ vulvæ apertione similiter disserunt. Sed ea omnibus iis exceptio adhibenda est, qua ad solvendum Ambrosii locum usus est Thomas p.3.q.28.a.2. ita nempe locutos Patres illos, cum illud Evangelistæ exponerent: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*; quod quidem ex vulgata loquendi consuetudine usurpatum est, non ad significandam virginei claustri apertionem, sed exitum duntaxat prolis de utero. Thomæ responsionem defendunt alii Ambrosii & Hieronymi loci, quibus irruptum perseverasse in puerperio virginitatis sigillum manifeste tradunt; qualis ille est Ambrosii è libro De institutione virginis, cap.7. *Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine:* & ille ipse Hieronymi è libr.2. contra Pelagian. quem Origeniano similem esse vult Genebrardus, quique ei ex diametro oppositus est. En illum: *Solus Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt.* Utilius ergo suam Origeni excusando navasset operam Genebrardus, si dixisset de Mariæ virginitate haudquaquam ab Origene fuisse detractum, etiamsi perfractas in pariendo virginitatis fores crediderit; (quod ipsum tamen ab Ecclesia reprobatum est) non in integritate quippe carnis, sed in constanti voluntatis proposito virginitatem consistere: nam *Integritas corporalis membri per accidens se habet ad virginitatem, in quantum scilicet per hoc quod ex proposito voluntatis abstinet quis à delectatione venerea, remanet integritas in membro corporeo. Unde si contingat quod per alium modum aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quam si corrumpatur manus aut pes.* Verba sunt S. Thomæ 2.2.q.152.a.1. *Notandum sane,* inquit Eligius Noviomensis Homil.2. *quod dicitur: Omne masculinum adaperiens vulvam, quia his verbis Evangelista morem consuetæ nativitatis expressit. Et non sic intelligi voluit, sicut latrant Hæretici, quod Christus uterum matris nascendo virginitate privaverit: cum mulier non tunc virginitatem amittat, quando parit, sed quando cum viro dormit.* Huc confert quod Tractat. 26. in Matth. ex traditione quadam literis mandavit Origenes de morte Zachariæ ideirco illata, quia Mariæ, postquam Servatorem enixa est, in quodam Templi loco virginibus destinato consistere permisisset, & dixisset *prohibentibus eam, quoniam digna est virginum loco, cum sit virgo.*

Genebr. Collect. c.6.

III. Beatam Virginem nullum unquam in se concepisse peccatum, hodie Ecclesiæ ratum est, & Tridentini Concilii firmatum auctoritate decretum. Quo acquiescendum potius est, quam Veterum dictis, si qui secus sentire visi sunt. Inter illos numerandus Origenes, qui Legi peccati Mariam Christi matrem non obnoxiam fuisse modo, sed & paruisse pronuntiavit his verbis: *Quid? putamus quod scandalizatis Apostolis mater Domini à scandalo fuerit immunis. Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Iesum propeccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratia ejus, & redempti, utique & Maria illo tempore scandalizata est. Et hoc est quod nunc Simeon prophetat dicens: Et tuam ipsius animam, quæ scis absq; viro peperisse te virginem, quæ audisti à Gabriele: Spiritus sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, pertransibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris.* Jacent illa in Homil.17. in Luc. quæ ἀυτολεξεὶ propemodum in Epistolam 317. retulit Basilius; gladio enim illo dubitationem quamdam à Simeone notatam esse scribit, quæ Mariæ animam in partes, mortem patiente Christo, divisura erat, juxta Christi oraculum: *Omnes scandalizabimini in me*: alioquin ad eam mortis Christi fructum non fuisse perventurum. Eodem verba Simeonis detorquent Titus Bostrenus, Amphilochius Orat.3. De occursu Domini, Chrysostomus in Psalm.13. Cyrillus in Johann. Auctor libri Quæstionum Veteris & Novi Testamenti Augustino adscripti Quæst.73. & Theophylactus in Luc.2. Quorum nonnulli Virginem post fluctuationem illam animo confirmatam fuisse dicunt, Basilium hujus auctorem sententiæ pressius affectati.

Conc. Trident. Sess. 6. Can. 23.

Origenes itidem Homil.20. in Luc. dubiæ & incertæ fidei Mariam ita accusat: *Simul & illud attendite, quod quamdiu in possessione Patris sui fuit* (Jesus) *sursum erat, quia necdum plenam fidem Ioseph & Maria habebat, propterea sursum cum eo manere non poterant.* Et paulo post: *Maria autem conservabat omnia verba hæc in corde suo; plus aliquid quam de homine suspicabatur.* Eamdē exi-

A exiguæ fidei culpam Mariæ affingit Tertullianus libr. De carne Christi, cap. 7. *Sed quæ ratio responsi*, inquit, *matrem & fratres ad præsens negantis, discat etiam Apelles. Fratres Domini non crediderunt in illum, sicut & in Evangelio ante Marcionem edito continetur. Mater æque non demonstratur adhæsisse illi, cum Martha & Maria alia in commercio ejus frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum, cum is doceret viam vitæ, cum Dei regnum prædicaret, cum languoribus & vitiis medendis operaretur, extraneis defixis in illum tam proximi aberant.* Sed causſam pro eo dicit Pamelius, & totam incredulitatis notam in fratres transfert; & Matrem Christo non adhæsisse eatenus tantum dici vult, quatenus non omnibus Christi concionibus interfuit. Laudabilis quidem, sed irritus est Pamelii conatus: ecquænam enim adversus tam apertam sententiam valeat exceptio? Nam ait *hoc in loco apparuisse incredulitatem*
B *eorum*, cum prædicaret Christus regnum Dei, & extraneis in illum defixis abessent proximi. Atqui Virginem dixit non æque adhæsisse Christo ac Martham & Mariam. Virginem igitur, itidem ut Domini fratres, incredulitatis arguit. Origenem quoque contra Rhenanum idem ipsi crimen objicientem defendere parat Pamelius hoc argumento, quod B. Virginem immaculatam appellet. Commodius locum ex Homil. 20. in Luc. proxime adductum exponere satagit Sixtus Senensis libr. 5. Biblioth. *Puto*, inquit, *Origenem vocabulo plenæ fidei intellexisse plenam cognitionem omnium mysteriorum divinitatis & humanitatis Christi, quam Maria Virgo nondum eo tempore habebat; quamvis ea omnia, quæ tum de Christo noverat, certissima & inconcussa fide teneret.* Annot. 140. Ad priorem vero ex Homil. 17. diluendum locum conducere poterat Thom. p. 3.
C Thomæ solutio, dubitationem illam, *admirationem* & *discussionem* interpretantis, si non re- q. 27. a. 4. jiculæ illæ *scandali* & *infidelitatis* voces occurrerent. Porro absona hæc, & ab Ecclesiæ placitis discrepans Veterum aliquot de Maria sententia, aliæque ejusmodi nonnullæ, quas brevitati consulentes prætermittimus, causſam dederunt Lutheranis & Calvinistis, cur B. Mariam reliquorum more hominum peccasse scisſcerent.

QVÆSTIO QVINTA.

DE ANGELIS.

D I. *Vix certi quicquam Origenis ætate de Angelis fuerat desinitum.* II. *Quæritur, quo tempore Angelos, & rationis compotes naturas reliquas à Deo conditas, & in peccatum delapsas ratus sit.* III. *Utrum Angelos corporatos esse censuerit.* IV. *Sibi videtur aliquando non constare:* V. *sed conciliantur discordantes loci.* VI. *Utrum animam illis ineſſe, an ipsos esse animas dixerit.* VII. *Angelorum inter & Dæmonum corpora discrimen aliquando tenuitatis constituit.* VIII. *Consentientes habet Patres bene multos.* IX. *Origenianæ sententiæ radix investigatur.* X. *Utrum aquas quæ supra & infra Firmamentum sunt, Angelos esse arbitratus sit.* XI. *Ecquid de Angelorum libertate, meritis,*
E *gratia, remuneratione, ac pœnis statuerit.* XII. *Patrum multorum adversus hanc ipsius doctrinam convitia.* XIII. *Utram priorem crediderit hominum an Dæmonum naturam, exploratur.* XIV. *Ex ipsis Origenis verbis sententia illius super Angelorum libertate ac meritis aperitur:* XV. *in qua tamen videtur nonnumquam titubare.* XVI. *Causſæ huic Patres aliquot suffragantur.* XVII. *Origeni favent alia quædam.* XVIII. *Utrum Angelos ab hominibus erudiri persuasum habuerit.* XIX. *Expenditur ejus sententia de Angelis judicandis:* XX. *cujus fundamenta aperiuntur.* XXI. *Eam frustra excusare conatur S. Thomas.* XXII. *Quo tempore extrema supplicia Dæmonibus vel inflicta vel*
F *infligenda Origenes crediderit.* XXIII. *Origeni assentiuntur Patres plerique.* XXIV. *Utrum hominum sanctitate florentium animas Angelos esse senserit.* XXV. *Nonnullorum criminationibus opinionis hujus causſa fuit obnoxius.* XXVI. *Ventilatur ejus sententia de tutelaribus Angelis: ac primum Gentium,* XXVII. *Ecclesiarum,* XXVIII. *hominum singulorum,* XXIX. *& rerum animæ carentium.* XXX. *Utrum unicuique Genti & homini Angelos duos, bonum unum, malum alterum simul assistere putaverit.* XXXI. *Fons Origenianarum de Angelis tutelaribus sententiarum ostenditur:* XXXII. *adstipulatores Patres recensentur.* XXXIII. *Eæ & ex Origenis fluctuatione excusari possunt.* XXXIV. *Quid de Angelis* ψυχαπομποῖς *opinatus sit, indagatur.*

XXXV. *Quæritur, quid senserit de Angelis remunerationum & pœnarum administris.* A
XXXVI. *Utrum Angelos neutiquam invocandos esse putaverit.* XXXVII. *Utrum & quomodo Cherubinos Filii cogitationes esse dixerit.* XXXVIII. *Utrum Dæmones nidore & sanguine pasci existimaverit.*

I. ORIGENIANAM de Angelis doctrinam, iter institutum prosequentes, explicemus. Ac Angelorum nomine, tum bonos Angelos, tum malos, qui Dæmones appellantur, comprehendimus, quoniam permista sponte sua & cohærens est utrorumque notitia. Horum naturam suis temporibus nondum satis aperte fuisse cognitam, nec Ecclesiæ definitionibus explanatam scribit Origenes in Procœmio librorum B
περὶ ἀρχῶν. *Est etiam illud in Ecclesiastica prædicatione, esse Angelos Dei quosdam, & Virtutes bonas, quæ ei ministrent ad salutem hominum consummandam; sed quando isti creati sunt, aut quomodo sint, non satis manifesto distinguitur.* Et paulo superius: *De Diabolo, & Angelis ejus, contrariisq; Virtutibus Ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sunt quidem: sed quid sint, aut quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod Angelus fuerit iste Diabolus, & apostata effectus quamplurimos Angelorum secum declinare persuaserit, qui & nunc Angeli ipsius nuncupantur.* Proclivis ergo erat Origeni in re lubrica & incerta lapsus, promta & facilis in tenebris offensio. Et fuit sane multiplex, dum ingenio suo nimis confisus extra oleas nonnumquam divagatur. Singula hic enucleate discutienda sunt. C

II. Quærendum priore loco illud est, quo tempore Angelos à Deo conditos Origenes statuerit; neque Angelos duntaxat, sed rationis etiam participes naturas omnes, sive Dæmones, sive humanas animas, sive alias quascunque (nam & alias plerasque rationis compotes esse sensit) quoniam ejusdem eas omnes esse inter se naturæ, & eodem tempore à Deo conditas, tumque fuisse νόας, hoc est, Mentes; deinde vero propter varios illarum motus, ac diversum liberi arbitrii usum, in varios ordines, sive Angelorum, sive Hominum, sive Dæmonum distributas, constanti & iterata Origenes assertione prodidit; ut sæpe in sequentibus ostendemus. At quoniam vulgo ignorari scribit, quo tempore creatæ illæ sint à Deo, nec quicquam aperte super ea re definivit, conjecturis duntaxat utendum est. Probabile mihi quidem fit naturas hujusmodi ab æterno creatas à Deo Origenem existimasse; quem- D
admodum numquam non sine luce sibi coæva, licet à se producta Sol fuit. Demonstrabimus quippe infra, persuasum fuisse illi Mundum idcirco à Deo conditum, ut naturæ illæ rationales in eum pro meritis demitterentur. Atqui sine Mundo Deum numquam fuisse idem opinabatur; ait enim libr. 3. περὶ ἀρχ. cap. 5. *Si cæpit mundus ex tempore, quid ante faciebat Deus, antequam mundus fieret? otiosam enim dicere naturam Dei otiosum est simul & absurdum, vel putare quod bonitas aliquando non fecerit, vel omnipotentia aliquando non egerit potentatum.* Igitur ne rationales quidem naturæ ex tempore esse cœperunt. Unde necessario sequitur eas ab omni ævo conditas à Deo fuisse; tum variis modis voluntatis libertate usas, has recte, male illas egisse, statimque sceleribus earum expiandis mundum fuisse fabrefactum in quem detruderentur, adeo ut hæc re licet diversa, simul tamen contigerint. Quod ut Adaman- E
tium ita sensisse putem, facit Platonicorum recentiorum auctoritas, quorum consimilis erat propemodum iisdem de rebus sententia, ut est apud Augustinum libr. 10. de Civit. Dei, cap. 31. Facit & iste Hieronymi locus ad cap. 1. Epist. ad Titum: *Sex millia necdum nostri orbis implentur anni; & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteræque Virtutes servierint Deo, & absq; temporum vicibus atque mensuris Deo jubente substiterint?* Hæc Origenismum sapiunt, qualia multa Commentariis suis Hieronymus asperserat. Facilis nunc est Leontii Byzantii intellectus, cum ait Scholior. Act. 10. καὶ ὅτως, inquit, περὶ τῆ προϋπάρξεως ἐδόξαζεν (ὡρι- F
σμένως) ὅτως, ὅτι πρὸ τῆ ἀιώνων νόες ἦσαν πάντες καθαροὶ, καὶ οἱ δαίμωνες καὶ αἱ ψυχαὶ. καὶ οἱ ἀγγελοι λειτουργοῦντες τῷ Θεῷ, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτῆ ποιοῦντες· ὁ δὲ διάβολος ἐις ὢν, ἐπειδὴ τὸ αὐτεξούσιον εἶχεν ἡ βουλήθη ἀντιστῆναι τῷ Θεῷ, καὶ ἀπώσασθαι αὐτὸν ὁ Θεός. στασιάσησαν δὲ ἀυτῆ πᾶσαι αἱ ἄλλαι δυνάμεις, καὶ οἱ μὲν πάνυ ἁμαρτήσαντες δαίμονες ἐγένοντο. οἱ δὲ ἔτι ἐλαττον, ἄγγελοι. οἱ δὲ ἔτι ἐλαττῶν ἀρχάγγελοι. καὶ ὅτως ἐφεξῆς ἑκάστῳ τόπος τὴν οἰκείαν ἁμαρτίαν ἀπέλαβεν. ὑπελείποντο δὲ αἱ ψυχαὶ, αἵτινες οὐδὲ τοσαῦτα ἦσαν ἁμαρτήσασαι, ἵνα δαίμονες γένωνται. οὐδὲ πάλιν οὕτω κακοῦργοι, ἵνα ἄγγελοι γένωνται. ἐποίησεν οὖν τὸν παρόντα κόσμον, καὶ τὴν ψυχὴν συνέδησε τῷ σώματι πρὸς κόλασιν. *Atque ita interim de præexistentia* (Origenes) *sentiebat, ante sæcula mentes fuisse puras omnes, & Dæmones & Animas, & Angelos ministrantes Deo, ejusque mandata exequentes. Diabolum autem cum unus esset, quoniam arbitrii libertate pollebat, Deo resistere voluisse, eumque à Deo fuisse expulsum; unaque cum ipso defeciisse omnes alias Virtutes, & quæ plus peccassent Dæmones evasisse; quæ minus, Angelos; quæ minus etiam, Archangelos; & ita consequenter unumquemque pro suo peccato recepisse præmium: reliquas autem fuisse animas, quæ non tantum peccaverant, ut Dæmones fierent; neque rursum ita leviter, ut Angeli evaderent; mundum itaque hunc condidisse, animamque supplicii causa corpori colligasse.* Creationem inter, & peccatum, & pœnam

A nam momentum fere unicum interceſſiſſe intellige, atque hæc πρὸ τῶν αἰώνων, id eſt, ab æterno contigiſſe. Ad Origenis ſententiam accedit Auctor Commentarii in Job, quem vertit Perionius: ait enim: *In Diabolo autem principium formationis intelligendum eſt, non quod omnium quæ ratione & animo intelliguntur, primus ſit effectus; ſed quod ſine tempore, quemadmodum locus ille declarat.*

III. Videndum deinde, Angelosne corporatos eſſe, an corpore carere Origenes arbitratus ſit. Non ſatis autem explicata, & certa videtur prima fronte ejus ratio; nam pugnantia ſecum eſſe dicas, quæ diverſis libris ſuper eo argumento diſſeruit. Quicunque tamen animum ad ejus verba attenderit diligenter, aliter judicabit. Rata quippe fuit ejus & conſtans opinio Angelos corpore eſſe indutos, ſed ſubtili & tenui: nam libr. 1. de princip. cap. 6. pro-

B nuntiat *Solius Dei, id eſt, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti naturæ id proprium eſſe, ut ſine materiali ſubſtantia, & absque ulla corporeæ adjectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere.* Quem locum affert S. Thomas p. 1. q. 51. a. 1. eamque opinionem ab antiquis Philoſophis Origenem hauſiſſe aſſeverat. Clariora etiam proloquitur libr. 2. ejusdem Operis, cap. 2. & poſtquam quæſivit, an ſummam beatitatem adeptæ ratione pollentes naturæ corpus penitus exuere poſſint, ſibique id *difficillimum & pene impoſsibile* videri dixit; addiditque, quod & ſequenti capite iterum uſurpat, neceſſe fore in nihilum redigi corpoream naturam, quemadmodum de nihilo fuit procreata, ſi utilis eſſe deſineret: tum ſubdit: *Si vero impoſsibile eſt hoc ullo modo affirmari, id eſt, quod vivere præter corpus poſsit ulla alia natura, præter Patrem, & Filium, & Spiritum*

C *ſanctum, neceſſitas conſequentiæ ac rationis coarctat intelligi, principaliter quidem coarctatas eſſe rationabiles naturas; materialem vero ſubſtantiam opinione quidem & intellectu ſolum ſeperari ab eis, & pro ipſis, vel poſt ipſas effectam videri, ſed numquam ſine ipſa eas vel vixiſſe vel vivere: ſolius namque Trinitatis incorporea vita exiſtere rectè putabitur.* Hæc inſectandi Origenis viro magno præbuerunt argumentum, quod cum Angelos & rationis capaces animas longo intervallo corporibus caruiſſe alibi dixerit, id tamen fieri non poſſe hic affirmaverit. Verum res aliter ſe habet; nam corporeos quidem Angelos & animas revera eſſe, Origenis opinio fuit, ſed ea tamen propter inſignem ſubtilitatem, cum reliquis mundi corporibus comparata, ſpiritualia, ut oſtendemus paulo poſt, & incorporea dici poſſe; quamvis ergo ante mundi hujus corporei opificium condita ea fuerint, corpore tamen ſui generis fuiſſe inſtructa; ac ne in pri-

D mo quidem illo ſtatu diu perſeveraſſe, ſed admiſſo ſtatim poſtquam creata ſunt peccato, in craſſiora continuo corpora ſupplicii cauſſa fuiſſe immerſa. Præter ſuperiora teſtimonia quibus Angelis corpus affingitur, recitanda quoque ea quæ locum Origenis ſupra allatum excipiunt: *Ut ergo*, inquit, *ſuperius diximus, materialis ſubſtantia hujus mundi habens naturam, quæ ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quosque trahitur, in craſſiorem corporis ſtatum, ſolidioremque formatur, ita ut viſibiles iſtas mundi ſpecies, variasque diſtinguat: cum vero perfectioribus miniſtrat & beatioribus, infulgore cæleſtium corporum micat, & ſpiritalis corporis indumentis vel Angelos Dei, vel filios reſurrectianis exornat.* Sed & libr. 4. in Anacephalæoſi: *Semper autem erunt rationabiles naturæ, quæ indigent indumento corporeo: ſemper ergo erit natura corporea, cujus indumentis uti neceſſe eſt rationabiles creaturas. Niſi quis putet poſſe vel aſſertionibus oſtendere quod poſſit natura rationabilis abſque ullo corpore vitam degere.* Sed quam difficile ſit, &

E *quam pæne impoſsibile intellectui noſtro, in ſuperioribus ſingula diſſerentes oſtendimus.* Quapropter Photius Cod. 106. Theognoſtum Alexandrinum libro quarto Hypotypoſeon ex mente & ſententia Origenis ſcripſiſſe refert, Angelis & Dæmonibus exilia corpora eſſe circumpoſita.

IV. Sed quamvis rationabilibus naturis corpus diſerte & liquido affinxerit Origenes, à ſe diverſus abire videtur aliis locis, & corpus iisdem naturis detrahere. Sic Homil. 1. in Geneſ. *Cum enim ea quæ facturus erat Deus, ex ſpiritu conſtarent & corpore; iſta de cauſſa in principio & ante omnia cœlum dicitur factum, id eſt, omnis ſpiritalis ſubſtantia, ſuper quam velut in throno quodam, & ſede Deus requieſcit. Iſtud autem cœlum, id eſt, firmamentum, corporeum eſt.* Ubi cum ſpiritalem ſubſtantiam opponat corporeæ, ſequitur eſſe incorpoream: & Tom. 1. Comment.

F in Johann. p. 16. 17. Καὶ ἀναγκαῖον ὅπως ἂν ᾖ ἄϋλον πάντως καὶ ἀσώματον ζῶν ζώντων ὂν μακαριότητι τῷ ἀγίῳ, ὁ καλέμεν & σφάκων ἁγίων & γενέσθαι δοκησέων τῶν καθαρᾶς ζωῆς, πρὸ πάντων ὑποστῆναι ὕλῃ καὶ σώματι· & Tomo 20. p. 320. Πάντως οὖν καὶ τοῦτο ἔχει ὁ διάβολος & δόγμα ἀληθὲς ἐαυτῷ ὑπολαμβάνει ὅτι λογικός ἐστι, & ὅτι τὸ τοιόνδε μὲν ἀνθρωπός ἐστι, τὸ τοιόνδε ἄγγελος, καὶ τὸ τοιὸν μὲν σῶμα, καὶ ποῖον σῶμα, ἄλλη δέ τι ἕτερον σῶμα ἐστι. Item libr. 1. περὶ ἀρχῶν. cap. 7. *Manifeſte ergo in Chriſto & per Chriſtum facta eſſe omnia, & creata pronuntiat* (Paulus Col. 1. 16.) *ſive viſibilia quæ ſunt corporalia; ſive inviſibilia, quæ non alia etiam arbitror, quam incorporeas, ſpiritualesque virtutes:* & libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. *Non enim idem intelligitur, ea quæ non videntur, & ea quæ inviſibilia ſunt. Ea namque quæ ſunt inviſibilia, non ſolum non videntur, ſed ne naturam quidem habent ut videri poſſint, quæ Græci ἀσώματα, id eſt, incorporea appellarunt. Hæc autem de quibus Paulus dixit: Quæ non videntur, naturam quidem habent ut videri poſſint, nondum tamen videri ab his quibus promittuntur, exponit:* & iſtud è libr. 3. cap. ult. *Omnis igitur hæc ratio hoc continet, quod duas generales natu-*

ras condiderit Deus; naturam visibilem, id est, corpoream, & naturam invisibilem, quæ est incorporea & hoc omnium apertissimum libr. 4. Operis ejusdem, cap. 2. *Sed & rursum per Christum creata dixit omnia visibilia & invisibilia, per quod declaratur esse etiam in creaturis quasdam invisibiles secundum proprietatem suam substantias. Sed hæ quamvis ipsæ non sint corporeæ, utuntur tamen corporibus, licet ipsæ sint corporea substantia meliores. Illa vero substantia Trinitatis, quæ principium est, & caussa omnium, ex qua omnia, & per quam omnia, & in qua omnia, neque corpus, neque in corpore esse credenda est, sed in toto incorporea.* Sed & libr. 6. contr. Celf. ἡμεῖς δὲ, inquit, ἀσώματόν φαμεν εἶναι τὸν θεὸν, καὶ οὐδὲν εἰς πῦρ ἀναλυόμενον, οὐδ' εἰς τὴν ἀγγέλων, ἢ τὴν ἀνθρώπου ψυχὴν, ἢ τὴν ἀγγέλων, ἢ πνευμάτων, ἢ ἀρχῶν, ἢ ἐξουσιῶν ὑπόστασιν. Ideo Sophronius Hierosolymitanus in Epistola ad Sergium scribit Origenem, ipsiusque sequaces dixisse animas ante corpora carne & corpore carentem vitam egisse in cœlo nondum creato.

V. In his secum licet pugnare videatur Origenes, facile tamen discordantes loci conciliantur: nam Angelos ita corporeos esse vult, ut spirituales nihilominus esse velit, quod spiritus nihil sint aliud quam summæ exiguitatis corpora, cujusmodi sunt Angelica; asserit quippe loco supra allato *materialem substantiam hujus mundi, spiritalis corporis indumentis vel Angelos Dei, vel filios resurrectionis exornare:* ut hominum quoque corpora post resurrectionem spiritalia fore declarat Paulus 1. Cor. 15. 44. Angelos porro cum propter eximiam corporum subtilitatem spiritales dixerit, incorporeos quoque quodammodo, & καταχρηστικῶς dici posse censuit, habita præsertim corporum nostrorum ratione, quæ crassa sunt. Id ipse manifeste indicat in Prœmio librorum De princip. cum enim appellationem ἀσωμάτων in Scripturis neutiquam usurpari dixisset, objicit sibi locum quemdam ex apocrypho libello, qui Petri Doctrina inscribitur, in quo Discipulis dicit Christus se non esse *Dæmonium incorporeum.* Respondet Origenes inter Ecclesiasticos libros Petri doctrinam non haberi: tum addit: *Quod etiam si ipsum concederetur, non idem sensus ex isto sermone* ἀσωμάτου *indicaretur, qui Græcis vel Gentilibus auctoribus ostenditur, quum de incorporea natura à Philosophis disputatur. In hoc enim libello incorporeum Dæmonium dixit, pro eo quod ipse ille quicunque est habitus, vel circumscriptio dæmonici corporis, non est similis huic nostro crassiori vel visibili corpori: sed secundum sensum ejus qui composuit illam Scripturam intelligendum est quod dixit; id est, non esse tale corpus, quale habent Dæmones, quod est naturaliter subtile, & velut aura tenue, & propter hoc vel imputatur à multis, vel dicitur incorporeum, sed habere se corpus solidum vel palpabile. In consuetudine vero hominum omne quod tale non fuerit, incorporeum simplicioribus vel imperitioribus nominatur: velut si quis aërem istum quo fruimur, incorporeum dicat, quandoquidem non est tale corpus, ut comprehendi ac teneri possit, urgentig; resistere.* Si quando igitur Angelos dixit incorporeos, ad imperitorum captum sese accommodasse, & juxta vulgi consuetudinem locutum fuisse credamus.

VI. Nec corpoream Angelis naturam attribuisse contentus, animam iis insuper adscripsit libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. *Superest de Angelico ordine requirere, utrum & ipsi animas habeant, an animæ sint, vel de cæteris divinis, cœlestibusq; Virtutibus. Sed & de contrariis Potestatibus. Auctoritatem quidem divinæ Scripturæ usquam nullam invenimus, quod vel Angeli, vel si qui sunt divini Spiritus ministri Dei, vel animas habere, vel animæ dicantur: animantia tamen esse à quamplurimis sentiuntur.* Hieronymus Epist. 65. ad Pammach. cap. 5. *Nec Origenes unquam dixit ex Angelis animas fieri, cum ipsos Angelos nomen esse officii doceat, non naturæ: in libris enim* περὶ ἀρχῶν, *& Angelos, & Thronos, & Dominationes, Potestates, & Rectores mundi & tenebrarum, & omne nomen quod nominatur non solum in præsenti sæculo, sed in futuro, dicit animas esse eorum corporum, quæ vel desiderio, vel ministerio susceperint.* Profectò non est promtum dictu, quanam ratione animam Angelis inesse posse senserit: nam quæreretur, anima illa corporeane sit, an contra. Cornoream dixisset utique, nam nihil præter Deum incorporeum ducit. Tenue ergo & mopogrammum corpus ab alio longe tenuissimo, & simplicissimo corpore animatum esse dicere debuisset. Sed paulo post Angelos decernit meras esse animas. *De eo vero quod Dei anima in Scripturis nominatur, qualiter intelligi debeat, & sentire, & proferre difficile est: semel enim simplicem illam naturam, & absq; ullius adjectionis permixtione profitemur: tamen quoquomodo sentiendum est, nominari interim Dei anima videtur; de Christo vero non dubitatur. Et ideò non videbitur absurdum etiam de sanctis Angelis, cæterisq; cœlestibus Virtutibus tale aliquid vel dicere, vel sentire: siquidem definitio illa animæ etiam in ipsos videtur incurrere: quis enim rationabiliter sensibiles eos esse, vel mobiles poterit denegare? Quod si recta ista videtur esse definitio, quod substantia rationabiliter sensibilis, & mobilis anima dicatur, videtur hæc definitio etiam ad Angelos pertinere. Quid enim aliud in illis quam sensus rationabilis commotus est? Quorum autem una definitionis ratio est, horum sine dubio eadem substantia est.* Tale aliquid habet libr. 2. in Cantic. Cant. *Et adhuc agnitionem sui anima requirat, si est aliquis ordo, aut sunt aliqui Spiritus ejusdem substantiæ cum ipsa, alii vero non ejusdem, sed diversi ab ea, id est, si sunt & alii Spiritus rationabiles, ut ipsa est, & alii carentes ratione: etsi eadem est ipsius quæ & Angelorum substantia, quoniam rationabile à rationabili nequaquam differre creditur.*

VII. An-

A VII. Angelorum autem inter & Dæmonum corpus discrimen aliquod tenuitatis constituit, quoniam graviora, vel subtiliora corpora, pro criminum modo, mentibus addita fuisse opinatus est, ut diximus. Postquam enim ob nequitiam Dæmones cœlo sunt exturbati, crassiore quodam corpore circumseptos esse existimavit. Sic ille Tom. 1. in Johann. p. 17. ὁ καλέμβρυ@· δράκων ἄξι@· γεγράπται ἀποπεσὼν τ καθαρῶς ζωῆς, πρὸ πάντων ἐνδεθῆναι ὕλῃ & σώματι· Quod de Diabolo statuit, de omnibus quoque Dæmonibus intelligendum est. Atque hoc corpus crassius licet Angelico, esse tamen dicit *naturaliter subtile, & velut aura tenue*, ex aëre nimirum rariore contextum. Quod in eo redarguit Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 1. At eam tamen corporum diversitatem citra ullum naturæ discrimen Origenes admittit. Diabolum quippe inter & Angelum ullam οὐσίας differentiam esse negat Tom. 20. in Joh.

B p. 312. Nec repugnat quod scripsit libr. 3. contra Cels. οἱ δὲ τῷ Θεῷ θεῖοι & ἅγιοι ἄγγελοι ἄλλης εἰσὶ φύσεως, & προαιρέσεως πρῶτ τὲς ἐπὶ γῆς πάντας δαίμονας· Aliud est enim φύσις, aliud οὐσία·

VIII. Atque singula hæc placita Patrum numerus defendit, qui ut in re incerta, neque definitionibus Ecclesiæ circumscripta, animo suo morigerati sunt. Corporeos esse Angelos quinam ex illis putaverint, partim laudamus in Observationibus nostris ad pag. 488. Tomi 17. Comment. Origenis in Matth. Quibus addi possunt Justinus in Dialog. cum Tryph. Clemens Alexandrinus Pædag. libr. 1. cap. 6. Macarius Hom. 4. Methodius apud Photium, Cod. 234. Cyrillus libr. 9. in Johann. Gennadius libr. De dogmat. Eccles. cap. 11. & 12. Bernardus libr. 5. De consideratione ad Eugenium, & alii complures. Quid quod eamdem

C sententiam in Actis septimæ Synodi Oecumenicæ, non definitam quidem, sed tamen expressam reperimus: adeo trita usu, & vetustissimorum Theologorum consensu tralatitia fuit ea opinio.

Notavimus Origenem corpus licet Angelis affingentem, eadem ipsis aliquando detrahere visum. Idem observare licet in Basilio, qui quamvis corporeos Angelos dixerit libr. De Spiritu sancto, cap. 16. & alibi; eosdem tamen corporis expertes esse libr. 4. contra Eunom. affirmat. Unde vero orta est in Origene observata à nobis discrepantia, indidem illa quoque Basilii profecta est, ex vocum nempe abusu, & crassiorum corporum respectu. Optime Cæsarius Dialog. 1. Interrog. 48. ἀσώματ@ μὲν ἔνα ἄγγελοι καθ' ἡμᾶς, σῶμα δὲ καθ' ἑαυτὲς, ὡς ἄνεμ@, ἢ πῦρ, ἢ καπνὸς, ἢ ἀὴρ· σώματα γὰρ ὑπάρχουσι λεπτὰ, καὶ αὔλα, ἔξω τ ἡμετέρας παχύτητ@, σώματα γὰρ ἑτερόνια, καὶ σώματα ἐπίγεια φησιν ὁ ἅγι@ ἀπόστολ@· *Incorporea quidem sunt Angeli secundum nos,*

D *corpus vero sunt secundum se, ut ventus, vel ignis, vel fumus, vel aër. Corpora enim sunt tenuia, materiæ expertia, extra nostram crassitudinem. Corpora enim cœlestia, & corpora terrestria dicit sanctus Apostolus.* Cui simillimum illud est Cassiani Collat. 7. cap. 13. *Licet enim pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aër iste subtilis; tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo tenuius quam nos. Nam sunt corpora secundum Apostoli sententiam ita dicentis: Et corpora cœlestia, & corpora terrestria.* Apposite item Gregorius Magnus Moral. cap. 3. *comparatione quidem nostrorum corporum Angelos Spiritus esse dicit: sed comparatione summi & incircumscripti Spiritus esse corpus.* Cui paria succinit Damascenus libr. 2.

E De orthod. fid. cap. 3. Hinc Augustinus sexcentis licet locis corpoream Angelorum esse naturam propugnaverit, aliquando tamen *spiritualem*, & *intellectualem* eam appellat, quemadmodum Cassianus & Bernardus, qui non aliam tamen quam Augustinus opinionem persecuti sunt. Ipse quoque Tertullianus Angelos *naturæ substantiæ spiritualis; & si corporis alicujus, sui tamen generis* esse declarat. *Tertull. de carn. Christi, cap. 6.*

Hæsitatio quoque illa Origenis, qua dubitat an præter corpus animam quoque Angelis assignet, defenditur auctoritate Claudiani Mamerti Viennensis, & Fulgentii, quorum ille pronuntiat *constare Angelum ex corpore & spiritu præcipua inter creaturas dignitate formato:* hujus vero verba hæc sunt in libro De Trinitate: *Plane ex duplici eos* (Angelos) *esse substantia adserunt magni & docti viri, id est, ex spiritu incorporeo, quo à Dei contemplatione numquam recedunt: & ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent.* At Augustinus præditos animis

F Angelos esse negat, & post Augustinum Faustus Reiensis, qui hac ratione reprehenditur à Mamerto Viennensi, quod corpus sponte sua vivere non possit, nisi vitali spiritu ad vitam excitetur. Sed Mamertum sua videtur fefellisse ratio, nam vitalem ipsum spiritum vel incorporeum esse dicet, vel corporeum: si incorporeum esse velit, quare non totam itidem Angeli naturam pro incorporea admittat, causa non est; si corporeum, at nullum corpus ex ejus sententia sponte sua vivere potest, ergo alio spiritu excitante vivescat necesse est. Eadem porro de tertio illo spiritu, atque item de quarto, & sic in infinitum recurret quæstio.

Quod Angelos autem tenuioribus primum & æthereis, post lapsum vero crassioribus illigatos fuisse corporibus definivit Origenes, in eo consentientes habet Minutium Felicem, qui *istos Spiritus simplicitatem substantiæ suæ perdidisse* decernit, & Augustinum qui sic disserit

serit libr. 3. de Genes. ad lit. cap. 10. *Si autem transgressores illi, antequam transgrederentur, cælestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aëream qualitatem.* A

Nunc vero etsi expresse ab Ecclesia definitum non est, utrum Angeli corporibus implicati sint, commune tamen hoc est, ac receptum, & Theologorum omnium consensu approbatum dogma, quod omni illos corpore spoliat, ut contrarium quisquis hodie affirmaverit, pro temerario & præsidenti habendus sit: postquam in id Decretum consensit Lateranense Concilium cap. 1. *Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex corpore & spiritu constitutam.* Quo decreto Origenistas peti S. Thomas existimabat.

IX. Porro quidquid de Angelis tradidit Origenes, vel sacris vel profanis auctoribus utcunque defendere potuit. Corpus Angelis adscribi videtur Psal. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Quæ quamvis aliter exponi possint, Deum nempe vento & igne, tamquam ministris & Angelis, aliquando uti; & vento quidem, velut cum Josaphati & Ochoziæ naves contrivit; vel cum adversus Jonam in Tharsis fugientem *misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari*: igne autem, velut cum *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem*; vel cum *Ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum*: nihilominus tamen ita exponitur à multis Davidicum illud: Qui Angelis tuis spiritalem naturam, & igneam tribuisti. Sic intellexit Tertullianus lib. 2. contr. Marc. c. 8. sic Hieronymus in 7. Daniel. sic Severianus Gabalitanus Homil. 4. sic ipse Origenes libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. Confirmat interpretationem hanc nomen שרפים, quod primo Angelorum ordini tribuitur. Vertit vocem illam Dionysius, ἐμπρησὰς, &, θερμαίνοντας. Gregorius vero Homil. 34. *Incendentes*, &, *Ardentes*, ut & Isidorus libr. 7. Orig. cap. 5. Hinc Severianus Homil. 1. De opificio mundi Angelos ignem esse dicit: οὐδ' μόνον, inquit, τοῦτο τὸ πῦρ ἐστιν, ἀλλὰ καὶ αἱ ἄνω δυνάμεις πῦρ εἰσι, καὶ συγγενὲς ἔστι τὸ ἄνω πῦρ τούτῳ τῷ παρ' ἡμῖν. *Non enim solus est hic ignis, sed & superiores Virtutes ignis sunt, & cognatus est superior ille ignis hujus nostri.* Eodem quidem refert illud Prophetæ Johannes Damascenus libr. 2. De orth. fid. cap. 3. sed spiritum & ignem materiæ ac corporis expertem Angelos esse pertendit. Ex hoc Psalmo inductus videtur Origenes, ut ignea corpora Angelis tribueret; cum præsertim Deos Plato igneos esse decrevisset, ut est apud Laërtium: qui subdit tamen paulo post asseverasse ipsum corpore Deum & anima carere, quod & alibi iterat. Atque hæc ita conciliari possunt, summum omnium conditorem ac moderatorem Deum corpore destitutum esse, secus autem inferiores Deos supremi illius ministros. Quod plane ab Origene expressum est, cum Deo detraxit corpus, Angelis adjunxit. Cætera ejus de Angelis dogmata, è Platonicorum fere exhedris derivata sunt.

2. Par. 20. 37. Jon. 1. 4. Gen. 19. 24. Num. 16. 35. — Dionys. c. 5. & 7. De cælesti Hierarch. — Laërt. in Platone. & Aristot.

X. Offensionem quoque habuit, quod Genesim explanans dixit, aquis quæ supra firmamentum sunt, & quæ infra, cœlestes, infernasque Virtutes tropice significari; atque hinc aquas illas ad laudes Domini dicendas provocari Psalm. 148. 4. & Dan. 3. 60. Hæc quamvis allegorice dicta agnoscat Basilius Homil. 3. in Hexaëm. repudiat nihilominus, & tamquam somniorum conjecturis, & anilibus fabulis similia redarguit. Redarguit & Epiphanius in Epistola ad Johannem Hierosolymit. cap. 3. & Hær. 64. cap. 4. Redarguit & Hieronymus Epist. 61. ad Pammach. cap. 3. Redarguit & ex Basilii verbis Justinianus in Epistola ad Menam, & in ea hunc contorquet anathematismum: εἴ τις λέγει οὐρανὸν, καὶ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα, καὶ ὕδατα τὰ ὑπεράνω τῶν ἐπουρανίων ἐμψύχους καὶ λογικὰς (lege, ὑλικὰς, quod vidit Gaudentius) καὶ ἀστέρας, καὶ ὕδατα τὰ ὑπεράνω τῶν ἐπουρανίων ἐμψύχους καὶ ὑλικὰς (lege, λογικὰς, quod vidit Gaudentius) καὶ ἀστέρας, καὶ ὕδατα τὰ ὑπεράνω τῶν ἐπουρανίων ἐμψύχους καὶ λογικὰς, καὶ εἰναί τινας δυνάμεις, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis dicit cœlum & Solem, & Lunam, & Stellas, & aquas quæ super cœlos sunt, animatas & rationales esse quasdam Virtutes, anathema sit.* Quod & à Sophronio in Epistola ad Sergium damnatur. — Concil. 6. Act. 11.

Hujus quidem doctrinæ vestigia quædam reperisse mihi videor Homil. 23. in Luc. *Prophetæ quoque ipsi*, inquit Origenes, *& Apostoli omne quod resonant, non solum hominibus, sed & Angelis prædicant. Quod ut scias verum: Attende, inquit, cœlum, & loquar; in conspectu Angelorum psallam tibi: &, Laudate Dominum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt, nomen Domini.* Attamen in prima in Genesim Homilia, quæ de aquis illis superioribus & inferioribus agit, simile nihil offendas, sed consimiles allegorias, quibus cœlo & firmamento spiritalia & corporea significari vult; aquis vero quæ sunt supra firmamentum rerum cœlestium mysteria. Certe Nicetas libr. 4. Thesaur. orthodox. fid. Hær. 31. aquas illas cum Angelicis ordinibus Origenem nusquam contulisse ait, sed cum Synagogis gentiũ: *Nec vero mirum*, inquit, *quod Origenes pleraque in Deum minus convenientia commentus & prolocutus, Paradisum quoque & aquas, quæ tam infra quam supra firmamentum esse dicuntur, allegoricõs exponat; (hoc enim de ipso non parvus professorum veritatis numerus asserit) nec aquas cum nonnullis Doctoribus Hebræis, tam priscis quã recentioribus ad angelicos Ordines refert, sed gentiũ Synagogis accommodat, quæ quidem scaturientibus aquis similes in multijugas fides, & multifidas derivatæ & effusæ sunt, donec*

B C D E F

A *nec in unam Synagogam Christi apparitione per angusta confragosaque loca fluentes coaluerunt.* Quod palam de Origene prædicarunt viri graves, id inficiatur Nicetas, si modo fides interpretationi Latinæ adhibenda est. Notetur interim hanc aquarum ὑπερανίων expositionem ab Ebræis Magistris profluxisse.

Ex superioribus colligi potest, hæc diversis modis ab Origene fuisse exposita; multiplicibus & variis sensibus ex simplici literæ contextu pro tempore erutis & evolutis; non destructo tamen & abolito literæ sensu. Si minus ea placet excusatio, admittetur forsitan hæc altera, Angelos intelligi ab Origene qui aquis præsunt, sicut universarum rerum præsides Angelos finxit. Legatur decima ejus in Jeremiam Homilia, in qua doctrinam hanc explicat, atque ita concludit: οὕτως δὴ ἐρῶ, καὶ γὰρ λέγεται ὅτι ὑπὸ γῆς τεταγμένον ἄγγελον, καὶ ὕδωρ λέγεται τὸν

B ὑπὸ ὕδασι τεταγμένον ἄγγελον, καθὼς λέγεται· εἰδόσάν σε ὕδατα ὁ θεὸς, εἰδόσάν σε ὕδατα.

In Origenis sententiam fere concedit Gregorius Nyssenus libr. in Hexaëmeron; nam aquas illas quas ab aquis inferioribus Deum divisisse narrat Moyses secundo creationis die, cœlestes Virtutes interpretatur; at inferiores aquas pro malis Angelis neutiquam accipere se declarat. Placuit quoque opinio isthæc Augustino libr. 13. Confess. cap. 15. Tale etiam aliquid ad Origenis exemplum commentus est Isidorus Origin. libr. 7. cap. 5. *Unde*, inquit, *& post cœli creationem in principio reperitur: Fiat firmamentum, & vocatum est firmamentum cœlum; nimirum ostendens quod post ruinam Angelorum malorum hi qui permanserunt, firmitatem æternæ perseverantiæ consecuti sunt, nullo jam lapsu aversi, nulla superbia cadentes, sed firmiter in*

C *Dei amore, & contemplatione manentes, nihil aliud dulce habent, nisi eum à quo creati sunt.*

XI. De Angelorum libertate, meritis, gratia, remuneratione, ac pœnis multa Origenes ab Ecclesiæ norma deflexa excogitavit. Naturas quippe omnes ratione præditas unius esse ejusdemque speciei credidit. Angelos autem bonos & malos, & animas hominibus ac sideribus inditas in eum censum retulit, uti supra ostensum est. Has ante mundum naturas à Deo conditas fuisse ratus est, ac bene vel male agendi facultate instructas, qua prius quam uterentur; νόας, hoc est, Mentes fuisse; sed statim ea usas, & diversis quidem modis, cum aliæ in vitium, in virtutem aliæ ferrentur, pro meritis esse habitas, & partim admisso scelere in profundum deturbatas, partim etiam propter leviores noxas è superioribus Ordinibus dejectas ad inferiores transiisse, & ad animanda quoque hominum corpora esse demissas;

D adeo ut quocunque loco sint; acceptum id meritis suis referre debeant: ψυχὰς autem, hoc est, animas, tunc evasisse, postquam ab amore Dei fuerunt ἀποψυγεῖσαι, hac vero arbitrii libertate etiamnum naturas illas rationales ita frui, sive humanis corporibus implicatæ, sive Dæmones factæ sint, sive Angelicum ordinem retineant, ut nova subinde peccata in se concipiant, vel virtutem amplectantur, & pro recte aut nequiter gestis, vel deprimantur in inferiora, vel ad superiora conscendant: permutari ergo ordines illos, & ex Angelis homines, ex hominibus Dæmones, & vicissim alios, aliosque evadere: Diabolum à nequitia quidem ad meliora posse converti, sed nolle, & in perfidia sua destinatum obdurare. Gratiæ vero auxilium, quod Angelos in sanctitate confirmat, & à peccatis prohibet; vel ejusdem gratiæ defectum, quo fit, ut à nequitia Dæmones non emergant, nullo modo vide-

E turagnoscere. Futurum autem aliquando putat, ut naturæ illæ omnes, sive Angelorum, sive Dæmonum, sive hominum, causam dicant coram Deo, & rerum à se gestarum rationem reddant, ac pro meritis exornentur; interim tamen varios illos ordines ac status pro virtutibus ac vitiis consequi.

XII. Summa hæc est Origenianæ de Angelorum natura & meritis doctrinæ, quam conviciis suis Ecclesiæ Patres perfuderunt; Methodius præcipue in libro de resurrectione; Theophilus Alexandrinus Paschal. 1. & 2. Epiphanius in Epistol. ad Johann. Hierosolym. cap. 2. & Hæres. 64. cap. 4. Nemesius de natura hominis, cap. 3. Leontius Scholior. Act. 10. cujus verba supra adduximus; Hieronymus cum alibi sæpe, tum maxime Epist. 59. ad Avit. cap. 1. ubi præter alia insigne istud habet: *Cumque omnia vario sermone tractasset* (Origenes) *asserens Diabolum non incapacem esse virtutis, & tamen necdum velle capere virtutem; ad*

F *extremum sermone latissimo disputavit Angelum, sive animam, aut certe Dæmonem, quos unius asserit esse naturæ, sed diversarum voluntatum, pro magnitudine negligentiæ & stultitiæ jumentum posse fieri: & pro dolore pœnarum, & ignis ardore, magis eligere ut brutum animal sit, & in aquis habitet & fluctibus, ac corpus assumere hujus vel illius pecoris: ut nobis non solum quadrupedum, sed & piscium corpora sint timenda.* Atque hanc de naturis rationalibus in jumentorum corpora demittendis opinionem inter præcipuos errores Origeni exprobrari solitos enumerat Auctor anonymus apud Photium Cod. 117. Enumerat & istum: ὅτι ὁμοῦ καὶ παπρωσένης ἦλθον οἱ ἄγιοι (Lego ἄγγελοι) εἰς τὸν κόσμον, ἀλλ' ἐ δι' ἑτέρων θεράπειαν. *Angelos in mundum ex lapsu, non propter aliorum obsequium venisse.* Justinianus præterea in Epist. ad Quintã Synodum, quam recitat Cedrenus, & Sophronius in Epist. ad Sergium ejusdẽ criminis Origenem arcessunt; arcessit deniq;

& S. Thomas p. 1. q. 64. a. 2. & in Expositione aurea in Jobi caput 4. cavendum ait ab hoc A
ejus errore, quo Spiritus quoscunque creatos instabiles asseruit, & posse ad pravitatem perduci.

XIII. Consulendus ad hæc Maximus Martyr in Scholiis ad cap. 6. Dionysii de ecclesiastic. Hierarch. ubi animadversione dignum est quod ait ex Origene, κ) πρὸ ἀναλογίαν τῆς τῶν προσώπων ἕκαστον τῶν οὐρανίων ταγμάτων σώμασιν ἐνδεδῆσθαι λεπτοτέροις· *Pro criminis ratione unumquemque ordinum cœlestium, corporibus tenuioribus illigari.* Contraria Maximo tradit Augustinus lib. 11. De Civit. Dei. cap. 23. sensisse dicens Origenem animas pro ratione peccatorum suorum graviora corpora inducere; quod ita impugnat, id si sit, gravius Dæmoni adjungi debere corpus quam homini, utpote qui plus peccarit. Dubitat profecto Origenes, utra inferior sit
Tertull. l. 2 contra Marc. c. 8. Dæmonis natura, an hominis (quam Angelica etiam præstantiorem esse Tertullianus autu- B
mavit) proindeque definire non potest, utram suscipit, qui graviorum scelerum reus fit: ἐπίσκοπον δὲ, inquit Tom. 1. in Johan. p. 32. πότερον ἄνθρωπός ἐστι τὸ ἔχαλον, ἢ τὰ καλούμενα καθ' ἡμᾶς θεῖα, ὧν εἰσι κ) οἱ δαίμονες, ἤτοι πάντες, ἢ τινες· Et paulo superius: ἔτω δὲ τῷ λογικῷ καθαρτέον ὅπῃ ἔχαλον λογικὸν, τάχα ἂν ἄλλοτι τὸ ἀνθρώπειον ψυχάνον. Postremum hic locum hominibus assignat. Contra Tom. 15. in Matth. p. 397. priorem locum Angelis, posteriorem Dæmonibus, medium hominibus tribuit: ἐι ἢ ἄνθρωποι, ὅσον εἰς σύγκρισιν ἀῆ ἑλῶν ἔχαλοι τυγχάνοντες, γίνονται ἀγγέλων πρῶτοι, ἡμῶν τηρησάντων τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν. Cum hominibus ergo quandoque Dæmones, homines vero quandoque postponat Dæmonibus, naturas rationales pro gravitate scelerum humanam induere naturam, & gravissimum corpus subire nonnumquam statuit, nonnumquam vero Dæmonum naturam, subtiliusque corpus ascíscere. Quin etiam Dæmones novis admissis sceleribus homines fieri, & homines vicissim novarum culparum reos in Dæmonum naturam & corpus C
transire asserit apud Hieronymum Epist. 59. ad Avit. cap. 1. *Ita cuncta*, inquit, *variari*, (arbitramur) *ut & qui nunc homo est, possit in alio mundo Dæmon fieri; & qui Dæmon est, & negligentius egerit, in crassiora corpora relegetur, id est, ut homo fiat.* Idem Hieronymus in illud Jerem. 29. 14. *Et reducam captivitatem vestram, & congregabo vos de universis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus. Et reverti vos faciam de loco ad quem transmigrare vos feci*, Origenem, quem delirum Interpretem appellat, somniare ait ruinam cœlestis Hierusalem his significari, & eos spectare vaticinium, qui inde dimissi in hoc mundo versantur, futurumque ut post LXX. annos in locum pristinum restituantur, si modo id bonis suis operibus promeriti sint, utpote qui sponte in hæc corpora descendentes recte egerint: qui autem ad terrena hæc sese sponte demittere, & fratres suos imitari noluerint, idipsum passuros, D
quod Sedeciæ, ipsiusque populo comminatur Dominus, futurum nempe ut mittat in eos gladium, & famem, & pestem; *& det in vexationem universis regnis terræ, quo scilicet nequam homines, sed fiant æreæ potestates, & sint apud cunctos Angelos qui præsint singulis provinciis in maledictionem, & in stuporem, in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus; & hoc eo idcirco passuros, quia verba Prophetarum in cœlesti Ierusalem audire noluerint, qui eos hortabantur ut ad terrena descenderent, & corpus humilitatis assumerent, & acta pœnitentia post verum sabbatismum locum pristinum posside rent.*

XIV. Erroribus porro illis aspersa sunt Adamantii opera quæ extant, quos si sigillatim indicare satagamus, abutemur otio nostro, & Lectori fastidium movebimus. Illustria tamen seligenda sunt quædam, quo dictis nostris fides adjungatur. Tertio ergo libro περὶ ἀρχῶν, E
cap. 5. sic disputat: *Vnius namque naturæ esse omnes rationabiles creaturas ex multis assertionibus comprobatur; per quod solum Dei justitia in omnibus eorum dispensationibus defendi potest, dum unaquæque in semetipsa habet causas, quod in illo vel in illo vitæ ordine posita sit.* Hinc triplex enumerat rationabilium naturarum genus huc delapsarum, earum scilicet quæ gestis suis id fuerint promeritæ; aliarum quæ aspectabilium cupiditate raptæ sint; & illarum demum quæ etiam invitæ ad officia aliis exhibenda à Deo deputatæ sint, & in hæc loca relegatæ. Quibus hominum animas significat; tum Angelos illos qui mulieres adamasse crediti sunt à plerisque; ac Angelos denique tutelæ hominum præfectos, vel eos quos à Deo non miss. F
sos, in hunc mundum, doctrinam vel prophetiam promittentes venisse ait Tom. 20. in Johan. p. 307. Priore autem περὶ ἀρχῶν, libro, cap. 6. *Ex his sane*, inquit, *qui in illo initio permanserunt, quod futuro simile esse descripsimus, quidam ex ipsis vel ordinatione ac dispensatione mundi ordinem Angelicum sortiuntur, alii Virtutum, alii Principatuum, alii Potestatum..... quæ omnia eis pro merito, & profectibus suis, quibus in Dei participationem, immutationemque profecerant, æquo justoque judicio divina contulit providentia. Hi vero qui de statu primæ beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis quos supra descripsimus sanctis beatisq; ordinibus subjecti sunt ad regendum: quorum adjutorio usi, & institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati, redire ac restitui ad statum beatitudinis possunt. Ex quibus existimo, prout ego sentire possum, hunc ordinem humani generis institutum, qui utiq; in futuro sæculo, vel supervenientibus sæculi, cum cælum novum, & terra nova secundum omnes jam cæperit, restituetur in illam unitatem, quam*

pro-

A *promittet Dominus Iesus.* Etmox: *Sciendum tamen esse quosdam, qui ex uno principio, quod supra diximus, delapsi sunt in tantam indignitatem ac malitiam, ut indigni habiti sint institutione hac, vel eruditione, qua per carnem humanum genus adjutorio Virtutum cœlestium instituitur atque eruditur; sed è contrario etiam adversarii atque repugnantes his qui eruduntur atque imbuuntur, existunt.* Tum paulo inferius: *Interim tam in his quæ videntur, & temporalibus sæculis, quam in illis quæ non videntur, & æterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo, & meritorum dignitatibus dispensantur, ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, & per majora ac graviora supplicia, nec non & diuturna, ac multis, ut ita dicam, sæculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati, & restituti eruditionibus primo Angelicis, tum deinde etiam graduum*
B *virtutibus, & sic per singula ad superiora provecti, usq; ad ea quæ sunt invisibilia, & æterna perveniant, singulis videlicet quibusque cœlestium Virtutum officiis quadam eruditione in specie peragratis. Ex quo, ut opinor, hoc consequentia ipsa videtur ostendere, unamquamq; rationabilem naturam posse ab uno in alterum ordinem transire, & per singulos in omnes, & ab omnibus in singulos pervenire, dum accessus profectuum, defectuumve varios pro motibus vel conatibus propriis unusquisq; pro libero arbitrii facultate perpetitur.* Nonnulla ex his Græce descripta reperies in fine Epistolæ Justiniani ad Menam, & apud Maximum Constantinopolitanum loco proxime citato. Has quoque conversiones, & dignitatum ac ordinum permutationes statuit Tom. 15. in Matth. p. 396, 397. Tomo vero 13. p. 323. intricato licet, & à librariis fortasse corrupto sermone adversarias potestates propter offensiones hominibus præbitas corpora humana subire, in eo-
C que pœnas luere tradit. Idem cap. 8. libri primi περὶ ἀρχῶν paria repetendo, inculcat: *Angelorum officium nonnisi ex merito constare*: Dæmones vero, *pro motibus suis & profectibus, quibus in scelere profecerunt, hos malitiæ sortitos esse gradus*, atque ita sese nequitiæ dedisse, ut jam libidini sit ac delectationi peccatum, & *ut revocari nolint, magis quam non possint*, Deo pro sua benignitate omnia ad beatitudinem attrahente & provocante: è rationalium vero naturarum ordine ad humanum genus explendum animas selegi, quæ post pie administratum vitæ tempus, in Angelorum ordinem iterum assumuntur. De Diabolo iterum libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. *Destrui sane*, inquit, *novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia ejus, quæ à Deo facta est, pereat, sed ut propositum, & voluntas inimica, quæ non à Deo, sed ab ipso processit, intereat.* Homilia 23. in Luc. Angelos illos, de quibus agitur Apoc. 2. & 3. peccasse, ideoque
D fuisse à Johanne reprehensos ait, ipsisque eum ac hominibus salutarem pœnitentiam prædicasse, quemadmodum & Servatorem. Hinc Homil. 4. in Ezech. *Quando ergo*, inquit, *Angeli prævaricantur, & alii sunt qui Dei præcepta custodiunt, & judicium præstolantur, non solum hominum, verum etiam Dei, ut frequenter diximus, tam de his quæ in Apocalypsim conscripta sunt, quam ex aliis innumerabilibus; quare, inquam, non terræ & aëris judicium sit futurum?* In Catenis Regiis in Psalmos, ad Psalm. 32. 6. verba hæc ipsi tribuuntur: ὑ γὰρ νήπιοι κτισθέντες καὶ ὀλίγον μελέτη ἢ πᾶ πνεύματ ὑποδοχῆς γενόμενοι ἄξιοι. ἀλλ' ἐν τῇ πρώτῃ συστάσῃ καὶ τῷ ἑαυτοῦ φυράματι τῆ ἰδίας αὐτῶν συστάσεως ἔχον τὴν ἀγιότητα. διὸ καὶ δυσμετάθετοι πρὸς κακίαν εἰσὶν, ἐνθὺς οἱονεὶ ἐκ βάθρου τῷ ἀγιασμῷ σοματωθέντες. Et illa quoque ad Psalm. 118. 89. quæ aliæ tamen Catenæ Didymo adscribunt: εἰ δὲ περὶ ἁγίων δυνάμεων φῆς, ἀγγέλων φημὶ & ἀρχαγγέλων, καλῶς φῆς. ἀκίνητοι γάρ, μᾶλλον δὲ δυσκίνητοί εἰσι πρὸς τὸ κακόν· τοῦτο γὰρ πείθει με λέγειν ὑπεσῶν ἐώσφορος δι' ἔπαρσιν. Sexcentis ad hæc locis Angelos
E hominum custodiæ præfectos munus sibi impositum negligenter nonnumquam obire, & peccatorum ab hominibus admissorum conscios esse ac reos, propterea que pœnis addictum iri definit. Illustris vero præ reliquis locus ille est è Tom. 15. in Matth. p. 396. ubi postquam Angelos non homine solum, sed & reliquo mundi opificio præstantiores & antiquiores esse dixit: Τάλμησον, inquit, διορθώσασθαι ὅτι πολλοὶ μὲν ἄγγελοι οἱ πρῶτοι ἦσαν ἀνθρώπων γίνονται τινων ἀνθρώπων ἔχαλοι. πολλοὶ δὲ καὶ τοῦ ἀνθρώπων, οἱ ἐχθροὶ τῇ φύσῃ τυγχάνουσι τοῦ ἀγγέλων, γίνονται δὲ τὸν διάβολον, καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, τινῶν ἀγγέλων ἐν πρώτοις μὲν τελασμένων, γνωσμένων δὲ ἐκ τινων αἰτιῶν ἐχάτων, πρώτοις. Quibus reliqua consentiunt. Illustris & iste è Tom. 2. in Johann. p. 69, 70. in quo Angeli & hominis nomen eidem subjecto nonnumquam attribui dicit, adeo ut homo Angelus, aliquando & Angelus vicissim homo appelletur. Tum subjicit: καὶ ἔτι μᾶλλον θαυμάσειας ὅτι οὐκ τοῦ κρειττόνων δυνάμεων τὰ ὀνόματα ἐχὶ φύσεων ζώων ἐστὶν ὀνόματα, ἀλλὰ τάξεων. ὧν ἔστις, καὶ ἡ δὲ λογικὴ φύσις
F τέτευχεν δὲ τοῦ θεοῦ. θρόνος γὰρ ἐκ εἶδος ζώου, οὐδὲ ἀρχή, οὐδὲ κυριότης, οὐδὲ ἐξουσία, ἀλλὰ ὀνόματα πραγμάτων, ἐφ' ὧν ἐτάχθησαν οἱ ὑπερφυεῖς ὀρευόμενον ὧν τὸ ὑποκείμενον ἐκ ἄλλο τί ἐστιν ἢ ἄνθρωπος, & τῷ ὑποκειμένῳ συμβέβηκε τὸ θρόνῳ εἶναι, ἢ κυριότητι, ἢ ἀρχῇ, ἢ ἐξουσίᾳ· καὶ ὁ τοῦ Ἰησοῦ ὁ τοῦ τεναυῆ κείται τό. ὤφθη τοῦ ἰησοῦ ἄνθρωπος & ἐν ἱεριχῷ, ὃς φησιν· ἐγὼ ἀρχιστράτηγος & κυρίως δυνάμεως νυνὶ παραγέγονα. Inde lux huic loco Hieronymi Epistola 61. ad Pammach. cap. 5. *Nec Origenes umquam dixit ex Angelis animas fieri; cum ipsos Angelos nomen esse officii doceat, non naturæ.* Hoc est, non per naturæ conversionem Angelus anima efficitur, ejusdem quippe naturæ sunt; sed per officii commutationem, & quasi in aliud domicilium migrationem. Sed & Tom. 18. in Joh. p. 254. existimare se ait divinitate Jesu stupefactos quosdam è Dæmonibus, pœnitentia ductos ad ipsum confugisse, quippe qui virtutis capaciores sint, quam homines; cum spiritalis naturæ sint, homines vero corporeæ,

& crassioris. Imprimis vero perlegi velim locos Origenis ab Hieronymo depromtos Epist. 59. ad Avit. cap. 1. in quibus rationis participes naturas jumentorum corporibus colligari propter delicta asserit; Dæmonum, hominum, Angelorumque naturas simul permutari ac permisceri; siderum ipsorum animas, utpote ratione præditas, ob peccata his fuisse adjunctas corporibus, quæ vel plus, vel minus luceant, prout recte vel male se gesserunt. A

Epiphan. in Synopsi Tom. 1. lib. 2. cap. 18.

Quod autem scribit Epiphanius docuisse Origenem desituros aliquando Angelos, sic intelligendum est, futuram olim rerum omnium conversionem & ἀποκατάστασιν, redituraque ad pristinum statum omnia, Angelosque adeo, ac Dæmones eodem futuros loco quo fuerunt, antequam virtutibus suis vel peccatis ad Angelorum, Dæmonumve naturam adjungi meruissent. Recte id juxta Origenis sententiam exponit Justinianus in Epistola ad Quintam Synodum, quam recitat Cedrenus. B

XV. Verumtamen perspicuis licet & illustribus testimoniis deliramenta ejusmodi Adamantius sæpe prodiderit, aliquando tamen, quasi Penelopæ telam retexens, priora videtur retractare. *Vide ergo*, inquit Homil. 2. in Levit. *ne forte Jesus, quem Paulus dicit pacificasse per sanguinem suum, non solum quæ in terris, sed & quæ in cœlis sunt, idem ipse sit vitulus, qui in cœlis quidem non pro peccato, sed & pro munere oblatus est: in terris autem, ubi ab Adam usque ad Moysen regnavit peccatum, oblatus sit pro peccato, & hoc est passum esse extra castra.* Ex hujus loci contextu, si quis attendat, efficitur illud, in cœlo peccatum non admitti. Homilia quoque in Num. 13. cum quæsisset, cur ne à Balaamo Dæmones invocentur, prohibet Deus; respondet idcirco factum illud, quod vel arbitrii fuisset Dæmonibus relinquenda libertas, eorumque furoribus & intemperiis permittendus populus Dei; vel arbitrii libertate spoliandi fuissent iidem, ne in Israelitas impotenter desævirent. Postremum hoc si fuisset, *hoc erat*, inquit, *damnasse rationabilem creaturam, & ante tempus intulisse judicium, & impedisse omnibus, qui adversum eos in agone poterant coronari.* Quasi Dæmones in judicio adversus se olim statuendo jus libertatis tandem aliquando amissuri sint. Quod quamvis non liquido exsuperioribus, neque necessaria consequentia cogatur, eo tamen videtur loci hujus inclinare sententia, & à prioribus placitis recedere. Cum præsertim libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. de Angelorum libertate accuratius acturus, & dogmata supra ventilata fuse propositurus, ita proloquatur: *Quæ quidem à nobis etiam cum magno metu & cautela dicuntur, discutientibus magis & pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus. Indicatum namque à nobis in superioribus est, de quibus manifesto dogmate terminandum sit, quod & pro viribus nos fecisse puto, cum determinate loqueremur. Nunc autem disputandi specie magis, quam definiendi, prout possumus, exercemur:* cumque cap. 8. hujus libri sic disputet: *Secundum nos vero nihil est in omni rationabili creatura, quod non tam boni quam mali sit capax: sed non continuo quia diximus nullam esse naturam quæ non possit recipere malum, idcirco confirmamus omnem naturam recepisse malum, id est, malam esse effectam: sed sicut est dicere quod omnis hominis natura recipit ut possit navigare, non tamen ex eo omnis navigabit: & iterum; omni homini possibile est discere artem Grammaticam, & medicinam; non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel medicus esse, vel Grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam quæ non possit recipere malum, non tamen continuo etiam recepisse malum designamus. Nam* secundum nos *ne Diabolus quidem ipse incapax fuit boni; non tamen idcirco quod potuit recipere bonum etiam voluit, vel virtuti operam dedit:* & paulo post: *Et est altissimus iste ordo rationabilis creaturæ, qui se ita præceps nequitiæ dedit, ut revocari nolit magis quam non possit, dum scelerum rabies jam libido est & delectat:* & cum libr. 5. Commentar. in Epist. ad Rom. postquam voluntatis libertate præditam esse naturam quamlibet rationis compotem confessus est, non ea perinde uti docet: *Quid autem sit*, inquit, *quod in futuris sæculis teneat arbitrii libertatem, ne rursum corruat in peccatum, brevi nos sermone Apostolus docet, dicens: Charitas numquam cadit; idcirco enim & fide & spe major charitas dicitur, quia sola erit per quam delinqui ultra non poterit:* deinde subjiciat: *Et ideo merito charitas, quæ sola omnium maxima est, omnem creaturam continebit à lapsu, tunc cum erit Deus omnia in omnibus:* quod Apostoli auctoritate confirmat, qui nulla re, quantumlibet gravi & molesta, à Christi charitate sese divelli posse declarat: cumque Tomo 17. in Matthæum, p. 488. 489. cum quæreret, an non homines pietate insignes Angeli evadant, dubitantem se & incertum hæc perscrutari dicat: cumque alio loco, postquam de Angelis quid sentiret, explicavit, talia subnectat: *Hæc juxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quæsita tantum, atq; projecta, ne penitus intracta videantur.* C D E F

Orig. apud Hier. Epist. 59. ad Avit. cap. 1.

Joh. Damasc. l. De duab. voluntat.

XVI. Jam vero ecqui damnosæ huic caussæ suffragentur, anquiramus. Ac primum Angelos & homines hypostasi quidem discrepare, at eamdem habere naturam dixit Joh. Damasc. Ejusdem vero esse Angelos inter se naturæ tanto consensu Patres affirmarunt, ut hanc fuisse Ecclesiæ universæ doctrinam à nonnullis proditum sit: bene autem vel male agere posse Angelos & Dæmones, post Origenem viri graves opinati sunt. Ambrosius hunc exponens Pauli locum ad Ephes. 3, 10. Dæmones ab errore revocari posse per Ecclesiam, & à Diaboli

A boli consortio segregari censuit. Hieronymus in ejusdem Epistolæ cap. 1. v. 22. *Cur autem omnia*, inquit, *id est, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, & Virtutes cæteræ, quæ numquam fuerunt contrariæ Deo, ejus pedibus subjiciantur, videtur obscurum. Potest itaque responderi quod absque peccato nullus sit, & sidera ipsa non sint munda coram Deo, omnisq; creatura paveat Creatoris adventum. Unde & crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cœlis erant purgasse perhibetur:* & paulo superius in hujus capitis vers. 20. *Si autem sunt Principatus, & Potestates, & Virtutes, & Dominationes, necesse est ut & subjectos habeant, & timentes se, & servientes sibi, & eos qui sua fortitudine roborentur. Quæ distributiones officiorum, non solum impræsentiarum, sed etiam in futuro sæculo erunt, ut per singulos profectus, & honores, & ascensiones, & descensiones, vel crescat aliquis, vel decrescat, & sub alia atque alia Potestate, Virtute, Principatu, & Dominatione fiat.* Atque hæc cum Rufini reprehensionibus & censuris exagitata fuissent, sic excusare conatur Hieronymus: *Sin autem putat & iccirco me Origenem sequi, quia profectus & honores; ascensiones, & descensiones; incrementa, & imminutiones in expositione mea posui, sciat multum interesse, de Angelis, & Seraphim & Cherubim dicere Dæmones, & homines fieri, quod affirmat Origenes, & ipsos inter se Angelos diversa officiorum genera esse sortitos, quod Ecclesiæ non repugnat. Quomodo & inter homines ordo dignitatum ex laboris varietate diversus est, cum Episcopus & Presbyter, & omnis Ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum, & tamen omnes homines sunt: sic & inter Angelos merita esse diversa, & tamen in Angelica omnes persistere dignitate, nec de Angelis homines fieri, nec rursum homines in Angelos reformari.* Hoc Origenis inter & Hieronymi doctrinam interest, quod unius esse naturæ Angelos & animas ille autumarit: at pro meritis, gradibus fuisse diversis constitutos, & varia obiisse officia, quæ tamen subinde pro meritorum ratione permutentur, vel altius ascendendo, vel ad inferiora prolabendo: atque hujus vicissitudinis gradus esse Angelorum, hominum, ac Dæmonum naturam. Hieronymus vero Angelorum quidem naturam ab humana secrevit, sed varios illos gradus & ordines Angelis pro virtutibus & meritis ita assignatos existimavit, ut ad superiora etiamnum aspirent, & bene agendo perveniant, vel male agendo ad inferiora devolvantur, & alii, aliique vel Potestati, vel Principatui subjiciantur, futurasque etiam hujusmodi permutationes in æternum, sed intra naturæ Angelicæ fines.

B Hier. Apol. adv. Rufin. lib. 1. c. 6.

C

Angelos ægre quidem, sed peccare tamen posse scisit Basilius Homil. in Psalm. 32. δυσμαθέτους πρὸς κακίαν, τὸ μόνιμον εἰς ἀρετὴν τῇ ῥοπῇ τῆς ἀγίου πνεύματος ἔχοντας. *Aegre ad malitiam converti posse, constantiam illam in virtute, beneficio sancti Spiritus habentes.* Maximus in cap. 11. Dionysii de cœlest. Hierarch. quod gratiæ divinæ acceptum erat referendum, ad Angelorum affectum, & comparatum quemdam habitum retulit, quod plane Origenianum est: ἔστιν ὅτε, inquit, ὑπεχωρήσαντα οἰκείων ἐυσεβῶς, ὅτι ὁ Θεὸς προειδὼς ἀυτῶν τὴν περὶ σέσεως κίνησιν, καὶ τὰς ἀυτῶν τάξεις ἀξίας ἀυτῶν παρήγαγε. ἐξ ὧν ἂν ἔποι τις ἑαυτὰς δύναδις ἐκπεσεῖν, διὰ τὴν ἔξιν τινα κλίσαδις πρὸς τὸ ἀγαθὸν, διὰ τὸ ἀγαθὸν θελήσεως. Τες ὁ ἀγγέλους, τυτέστι τὰς τελευταίας διακόσμους ἐνδέχεδαι ἴσως, καὶ ὅπη τὸ χεῖρον τραπῆναι· εἶπεν ἀυτὸς γὰρ ἐκοσμήθης, ἐξ ὧν εἶμαι, καὶ τ διαβολὸν ποτε ἔδει πρὸ τῦ μὴ ἐκπεσεῖν· *Licet enim pie dicere aggredi, Deum illorum cupiditatis motum præ videntem, ordines illorum ipsis dignos induxisse: ex quibus nemo quidem dixerit excidere ipsos posse; propterea quod habitum quemdam ad bonum obtinent ex vehementi desiderio: Angelos vero, postremos nempe ordines ad nequitiam fortasse converti posse. Eos quippe dixit Circummundanos; ex quibus existimo fuisse aliquando Diabolum, priusquam decideret.* Quæ è Gregorio Nazianzeno aliqua ex parte Maximus videtur transtulisse: is enim cum alibi, tum Orat. 38. μὴ ἀκινήτους, ἀλλὰ δυσκινήτους Angelos esse vult, quod à Deo valde ob propinquitatem illustrentur: hæc autem inferiora quæ peccatis obnoxia sunt, secundaria tantum luce frui. Simile est illud Nemesii libr. de natura hominis, cap. 41. πάλιν δὲ τούτων τ ἀύλων ὅσαι μὲν ἐν τοῖς ἀδιγείοις εἰσὶ τῇ κοινωνίᾳ τῇ πρὸς τὰς ἀνθρώπους δεῖ τὰ πρακτέα καλαγινώσκειν, μᾶλλον εἰσὶ τ ἄλλων τρεπταί· ὅσαι ὃ δι' ἀκρότητα φύσεως τῷ Θεῷ κ ἔχειν πλησιάζυσι, καὶ τῇ τύτε καλανοήσει τὸ μακάριον καρπῶνδ πρὸς ἑαυτὰς καὶ τ Θεὸν μόνον ἐγραμμέναι, τ μὲν πρακτῶν καὶ τ ὕλης παντάπασιν ἑαυτὰς ἀπηλλοτρίωσαν, τῇ δὲ Θεωρίᾳ καὶ τῷ Θεῷ πρασκολλήσαν, μένυσιν ἀτρεπτοι· *Rursum ex his quæ materiæ expertes sunt, quæcunque in locis terræ propinquis versantur, ob societatem quam habent cum hominibus circares gerendas occupantur, cæteris mutabiliores sunt. Quæcunque autem propter naturæ præstantiam ad Deum per affectum accedunt, & per illius contemplationem beatitudine fruuntur; ad seipsos & Deum solum conversæ, à rebus agendis & materia omnino se ipsæ segregarunt; contemplationi vero & Deo se conjunxerunt immutabiles manent.* Quid quod Johannes Damascenus libr. 3. de orthodox. fid. cap. 4. Angelum eum peccasse & in Tartarum detrusum fuisse docet, qui terrestris ordinis principatum tenebat, cuique custodiendæ terræ cura à Deo commissa fuerat? Germanissimum vero Origenismum sapiunt illa Evagrii: Ἕκαστον τάγμα τῶν ἐρανίων δυνάμεων, ἤδλον ὂν τ κάτω, ἢ ὅλον ὂν τῶν ἄνω, ἢ ὂν τῶν ἄνω, καὶ ὂν τῶν κάτω ἐυδές πε· *Unusquisque ordo Virtutum cœlestium, aut totus ex inferioribus, aut totus ex superioribus; vel ex superioribus & inferioribus constat.* Multo vero magis illa: ἐξ ἀγγελικῆς καταστάσεως καὶ ἀρχαγγελικῆς ψυχικὴ κατάστασις γίνεται. ὃν δὲ τῆς ψυχικῆς

D

E

F

δαιμονιώδης καὶ ἀνθρωπίνη. ἐκ δὲ τῆ ἀνθρωπίνης ἄγγελοι πάλιν καὶ δαίμονες γίνονται. *Ex Angelico ordine, & Archangelico animalis ordo existit: ex animali autem dæmoniacus & humanus: ex humano autem Angeli rursus Dæmones & fiunt.* Utrumque locum adducit Maximus in cap. 6. Dionysii de Eccles. Hierarch. Favet eidem opinioni de Angelorum progressibus & conversionibus sententia quædam Tertulliano ab Augustino afficta, quæ animas hominum nequam post mortem in Dæmones conversum iri decernit. Quamquam in Tertullianistas crimen istud derivat Isidorus libr. 8. Origen. cap. 6. Hic ipse quem dico Hispalensis Isidorus nonnulla habet Origenismum olentia libr. 7. Orig. cap. 5. *Angelorum autem vocabulum, officii nomen est, non naturæ*, cujus pronuntiati rationem hanc affert: *Semper enim Spiritus sunt, sed cum mittuntur, vocantur Angeli.* Vero, sed de nomine quæstionem habet Isidorus. Origenes autem eamdem locutionem alio sensu usurpavit: id enim sibi voluit: naturas illas quæ Angelica dignitate fruuntur, non id natalium jure fuisse consecutas, sed virtutibus suis fuisse promeritas. Subdit deinde Isidorus: *Vnicuique etiam, sicut prædictum est, propria officia sunt injuncta, quæ eos promeruisse in mundi constat exordio.* Plane ὡριγενικῶς.

August. lib. De hæres. cap. 86.

XVII. Nec suffragiis modo, sed ratione etiam pugnare potest Origenes, & aliqua saltem doctrinæ suæ capita defendere. Nam ordinum & graduum illa, quam dixi, permutatio eatenus admitti potest, si servato naturarum in hominibus & Angelis discrimine, homines per gratiam parem Angelis beatitudinis & gloriæ gradum consequi posse dicamus. Probat autem istud Angelicus Doctor part. 1. q. 108. a. 8. atque illud esse dicit, *Homines ad ordines Angelorum assumi.* Huic vero Hieronymi criminationi, qua eo progressum Origenem queritur, ut rationis participes animas in brutorum corpora devolvi opinatus sit, opponi posset illud Origenis testimonium è libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 7. nisi Rufini Interpretis dubia esset fides: *Illa sane nos nequaquam recipienda censemus, quæ & à quibusdam superfluo vel requiri vel adstrui solent, id est, quod animæ in tantum sui decessum veniant, ut naturæ rationalis ac dignitatis oblitæ etiam in ordinem irrationabilium animaliũ, vel bestiarum, vel pecudum devolvantur,.... Quæ nos non solum non suscipimus; sed & omnes has assertiones eorum contra fidem nostram venientes refutamus atque respuimus.* Atque hæc enucleatius persequemur infra, cum Origenis de Metempsychosi documenta scrutabimur.

Ex superioribus Adamantii circa Angelici arbitrii libertatem, & etiamnum perseverantem bene vel male agendi facultatem placitis consectaria videntur illa duo; aliorum adhortationibus, exemplis, & institutionibus ad meliora proficere posse Angelos, & mortis Christi beneficio gaudere; alterum, gestorum rationem olim reddituros, & extremo examini ac judicio subditum iri. Prius illud partim jam supra attigimus, cum ageremus de taxatione sanguinis Christi (ut scholastico more loquar) & utrum ad Angelos effusi Christi sanguinis gratiam prorogaverit Origenes quæreremus. Nunc vero ecquid alienis præceptis informari eos, & ad virtutem arrigi, vel institutionibus erudiri autumaverit, perpendamus.

Eph. 3, 8. 5, 10.

XVIII. Pauli Apostoli ad Ephesios scribentis verba hæc sunt: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus, evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo qui omnia creavit, ut innotescat nunc Principatibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Hæc antiquis Ecclesiæ Patribus causam dederunt, cur crederent pleraque Dei mysteria Angelos per Ecclesiam didicisse, non ea quidem quæ Dei naturæ necessario insunt; illa siquidem cognoverunt omnes, cum semel iis contuendi Dei facultas concessa est; sed quæ libere Deus & forinsecus operatur, eorum demum cognitionem fuisse per Ecclesiam adeptos. Gregorius Nyssenus Homil. 8. in Cantic. ita Pauli locum interpretatur, summam & admirabilem Dei potestatem, qua omnia de nihilo solo verbo condidit, Angelos quidem absque Ecclesiæ ope intellexisse: cognovisse verò per Ecclesiam Incarnationis, Redemtionis, Crucis, & mortis Christi mysteria. Tum dubitans proponit, ecquid in Ecclesia quæ Christi corpus est, utpote ejus Sponsa, Sponsum ipsum hactenus sibi non visum conspexerint. Chrysostomus præterea, cum alibi, tum memoratam Pauli sententiam Commentariis suis illustrans, liquido declarat Angelos rerum sibi antea occultarum, & ignotarum notitiam ex ipso Apostolorum ore comparasse, & in iis rebus præcipuam fuisse Gentium ad Christi fidem conversionem, Angelis antea ignoratam. Accedit ad eamdem opinionem Hieronymus libr. 2. in Epist. ad Ephes. cap. 3. v. 10. & multiplicem illam sapientiam Angelis ignoratam vitæ Christi mysteriis contineri docet. Hos alii complures secuti sunt. At cum nonnulli ex iis sic eruditos crediderint per Ecclesiam Angelos, quasi rerum testes & conscios, quæ sententia ad veritatem propius accedit; alii quasi discipulos; posterioris hujus dogmatis auctor fuisse videtur Origenes. Sic enim perorat Homil. 23. in Luc. *Docet igitur Salvator noster, & Spiritus sanctus qui locutus est in Prophetis, non solum homines, sed etiam Angelos & Virtutes invisibiles. Quid loquar de Salvatore? Prophetæ quoq; ipsi & Apostoli, omne quod resonant, non solum*

A *solum hominibus, sed & Angelis prædicant. Quod ut scias verum: Attende, inquit, cœlum & loquar: in conspectu Angelorum psallam tibi: &: Laudate Dominum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini; &: Laudant eum Angeli; &: In omni loco potestatis ejus benedic anima mea Domino. Invenies in plurimis locis, & maxime in Psalmis, & ad Angelos sermonem fieri, data homini potestate, ei tamen qui Spiritum sanctum habet, ut & Angelos alloquatur. E quibus unum exemplum ponam, ut sciamus, Angelos quoque humanis vocibus erudiri. Scriptum est in Apocalypsi Iohannis: Angelo Ephesiorum Ecclesiæ scribe: Habeo aliquid contra te; & rursum: Angelo Ecclesiæ Pergami scribe: Habeo quippiam contra te. Certe homo est qui scribit Angelis, & aliquid præcipit.* Item libr. 8. in Epistol. ad Rom. *Numquidnam tamquam servus bonus & fidelis, qui in pauca fuerit fidelis, sciebat se super multa constituendum, & Apostolum futurum etiam post exitum suum,*
B *non solum Gentium, sed & Israëlitarum, & aliorum fortasis invisibilium, ibi ubi benedicunt spiritus & animæ justorum Dominum, hymnum dicunt, & superexaltant eum in sæcula?* De doctrina illa Angelis à Christo tradita supra jam disputavimus; de ea vero quam à Prophetis & Apostolis acceperunt ipsi, sic pio unicuiq; sentiendum est, non quidem hominibus prius revelatum fuisse & retectum quam Angelis Incarnationis mysterium, quod cum Scripturæ sacræ testimoniis manifeste pugnat; sed non integram tamen hujus cognitionem; bonorum autem quæ ex eo consequi debebant, Gentium puta conversionis Chrysostomo memoratæ, fere nullam; temporis vero postremi judicii nullam omnino habuisse.

XIX. De judicio autem in Angelos reddendo quodcunque decernit Origenes, ad An-
C gelos hominum custodiæ præfectos fere pertinet. Nam sive quibus Ecclesiarum gubernatio commissa est, sive quibus Gentium, vel singulorum hominum deputata est custodia, eos administrati muneris rationem, haud secus ac homines, reddituros definit. Duplicis autem generis judicia in illos à Deo exerceri docet; alia, quoties cunque homines curæ suæ permissi recte, maleve se gerunt; aliud vero, cum supremo arbitrio de rerum universarum summa Deus judicabit. Utrique autem judiciorum generi suas videtur assignasse pœnas, sua præmia; ac prioribus quidem, pro obito recte officio, laudes & gloriam; pro re male gesta, ignominiam & dedecus: posteriori vero, pro meritorum ratione, diuturniorem & clariorem, vel obscuriorem & breviorem, vel nullam, vel æternam Dei visionem. Quæ quamquam non distincte apud illum expressa invenias, ex ejus tamen assertionibus facile deducuntur. Homilia in Num. 20. pluribus argumentum illud edisserit, & Angelos unicuique
D nostrum gubernando delegatos, aut Ecclesiarum regimini adhibitos, vel pro hominum sibi traditorum bene gestis collaudatum, vel pro peccatis culpatum ac confutatum iri affirmat; idque ex eo probat Apocalypseos capite, in quo Asiaticarum Ecclesiarum Angeli laudibus & reprehensionibus pro meritis excipiuntur: *Veniens enim,* inquit, *Angeli ad judicium nobiscum, & stabunt pro nobis ante Solem justitiæ, ne forte aliquis etiam ex ipsis causse fuerit, quod nos deliquimus; ne forte minus erga nos operis & laboris expenderint, quo nos à peccatorum labe revocarent.* Eadem probationibus confirmat, & repetit Homil. 13. in Luc. atque ita concludit: *Porro frequenter evenit, ut nobis laborantibus ipsi suum officium non expleant, & in culpis sint.* At Homilia in idem Evangelium 35. non hominum omnium Angelos faciem Patris qui in cœlo est videre dicit, sed eorum duntaxat, qui Ecclesiæ nomen dederunt; tum ait
E postmodum: *Quomodo enim est per curam eorum & industriam salus hominibus comparatur, faciem Patris semper attendunt: sic si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculi rem esse non nescient.* Et paulo inferius: *Ignominia Angelo est, si homo justus creditus fuerit, & peccaverit: ut è contrario gloria est Angelo, si creditus sibi saltem minimus in Ecclesia fuerit. Videbunt enim non aliquando, sed semper faciem Patris qui est in cœlis, cum alii semper non videant. Secundum meritum enim eorum quorum Angeli sunt, aut semper, aut numquam, vel parum, vel plus faciem Dei Angeli contemplabuntur.*

At non Angelos solum tutores, sed alios etiam, quicunque peccatis se alligant in judicium sistendos pronuntiat Homil. in Ezech. *Quando ergo,* inquit, *Angeli prævaricantur, & alii sunt*
F *qui Dei præcepta custodiunt, & judicium præstolantur, non solum hominum, verum etiam Dei, ut frequenter diximus tam de his quæ in Apocalypsi conscripta sunt, quam & ex aliis innumerabilibus, quare, inquam, non terræ & aëris judicium sit futurum?*

XX. Angelos reprehensionibus ac convitiis incessi, cum provinciam susceptam male administrant, cur crederet Origenes, ex eo videtur adductus, quod Apocalypsis secundo & tertio capite scriptum est, uti notavimus. Cur autem postremum quoque subituros judicium existimaverit, causse fuisse videtur locus ille Pauli; quem protulimus ex 1. Cor. 6. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* qui de bonis tamen Angelis nihilo magis intelligendus est, quam ille Petri, ex altera ejus Epistola, cap. 2. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari:* & ille Judæ, v. 6. *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Retulit tamen ad Angelos bonos

bonos Paulinum istud Tertullianus in libr. de fuga, cap. 10. *Times hominem*, inquit, *Christiane, quem timeri oportet ab Angelis, siquidem Angelos judicaturus es: quem timeri oportet à Dæmonis, siquidem & in Dæmones accepisti potestatem.* A

Genebrardus Collect. 6.6.

XXI. Origenis sententiam mollire satagit S. Thomas part. 1. quæst. 113. art. 7. & post illum Genebrardus in Collectaneis: quasi id sibi voluerit, *Angelos duci in judicium pro peccatis hominum, non quasi reos, sed quasi testes, ad convincendum homines de eorum ignavia.* Hanc responsionem fulcire conatur Genebrardus Homilia Origenis undecima, in qua habentur nonnulla à superioribus dissona; in extremo nempe judicio adfuturos quidem Angelos cum hominibus, sed examen & judicium nequaquam subituros. Operæ pretium fuerit verba ipsa adducere. *Igitur unusquisque Angelorum in consummatione sæculi aderit in judicio, educens eos secum quibus præfuit, quos adjuvit, quos instruxit, pro quibus semper vidit faciem Patris qui in cœlis est. Et puto etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem an culturæ hominum Angelus defuerit, sed an culturæ Angelicæ nequaquam digne segnitia humana responderit.* Tum deinde locum illum Pauli exponit 1. Cor. 6. 3. ex quo ad figmentum illud de judicio in Angelos statuendo procudendum fuit inductus: *Quod si ita est*, inquit, *erit ergo etiam inter Angelos & homines judicium Dei; & fortasis judicabuntur aliqui cum Paulo, & conferentur laboribus ejus, & fructibus qui ex multitudine credentium veniunt: & forte invenietur in laboribus superior etiam aliquibus Angelis; & ideo nimirum dicebat: Aut nescitis quia Angelos judicabimus? Non quod ipse Paulus judicet Angelos, sed quod opus Pauli quod egit in Evangelio, & erga animas credentium, judicabit Angelos, non enim omnes, sed aliquos Angelorum.* Quorum germana sunt & ista è Tom. 11. in Matth. p. 217. Τάχις δὲ ἂν ἀκολουθεῖ, ὅπερ οἴονταί τινες, ὅτι καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων εἰσὶ κρείττους οἱ ἄνθρωποι οἱ ἐν χριστῷ σωζόμενοι· πῶς γὰρ δύνανται οἱ ὑπὸ ἁγίων ἀγγέλων εἰς ἀγῶνα καλούμενοι τοῖς βάλλουσιν εἰς τὰ ἄγνωστα βάλλειν, ὑπὸ τὴν ἐκείνων τεταγμένοι ἐξουσίαν; ταῦτα δέ φαμεν οὐκ ἀγνοοῦντες τινων ἀγγέλων, τῶν μὴ τοιαύτην οἰκονομίαν ἐγκεχειρισμένων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν παντῶν διαφέρειν τοὺς ἐν χριστῷ σωθησομένους ἀνθρώπους· ἀνέγνωμεν γὰρ καὶ τὸ· εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι, ἔνθα οὐκ ἔγνηται, πάντες ἄγγελοι εἰσάμεν καὶ τὸ· ἀγγέλους κρινοῦμεν, ὅπου μὴ λέλεκται, πάντας ἀγγέλους. In his Origenes prodit animi sui levitatem & inconstantiam pro more suo. Quisquis autem ad locum alterum, quem sua responsione diluere conatur Thomas, caute attenderit, ejus exceptionem parum probabit. Talia illa sunt Homil. 24. in Num. *Sæpe diximus animarum, quæ in Ecclesia Dei sunt, curam, procurationemque haberi per Angelos, quos etiam ad judicium venire cum hominibus ostendimus, ut illo divino conflet examine utrum sua desidia peccaverint homines, an monitorum, custodumque negligentia.* Nam si ut testes tantum, non ut reos statum iri Angelos significatum voluisset Origenes, quod contendit Thomas, non utique de eorum negligentia perinde ut de hominum desidia quæstionem habitum iri dixisset. De alienis quippe facinoribus testimonium dicunt testes; ipsorum vero caussa non agitur. B C D

XXII. Ex duobus, quos attulimus, Petri & Judæ locis, & altero illo Matthæi 8. 29. *Et ecce clamaverunt dicentes; Quid nobis, & tibi Jesu, fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* in eam prolapsus est sententiam Origenes, nullas nunc Dæmonibus irrogari pœnas, neque porro iri irrogatum, donec extremo judicio suppliciis æternis addicantur. Id proponit dogma Hom. 8. in Exod. & ex 8. Matth. v. 29. confirmat, pœnasque inter hominum & Dæmonum id interesse vult, quod illi castigentur in hoc mundo, *ut purgatiores ad futurum sæculum pergant, & ultra Diabolo socii non efficiantur in pœna*; hi vero *neque corripiantur pro peccato, neque flagellentur; omnia namque eis servata esse in futurum*: cujus hanc rationem subdit: *quoniam indigni sunt qui in præsenti sæculo corripiantur, sed in futuro recipient quæ merentur.* Consentanea sunt quæ ex Origene subministrant Catenæ in Exod. 20. 5. Τοσάτῳ χρόνῳ, inquit, ὁ διάβολος ἁμαρτάνῃ ἀπὸ κτίσεως καὶ καταβολῆς κόσμου. Καὶ ὅτε πῦρ, ὅτε μάστιξ, ἡγοῦ ὅς ἐστι τῶν κολάσεων τῶν ἀπὸ τοῦ θεοῦ. ἐγὼ σύναλγ εἰπεῖν ὁ διάβολος, κύριε, μὴ θυμῷ σου ἐλέγξῃς με, καὶ τὰ ἕξῆς· ἕκαστος οὖν σωσειδὼς ἑαυτῷ ἁμαρτίας, ἐυχέσθω κολασθῆναι· καλὸν μοὶ γὰρ τὸ μηδὲν ἄξιον κολάσεως πεποιηκέναι. εἰ δέ τι ἄξιον κολάσεως πεποιήκαμεν, ἵνα κολασθῶμεν, ὥστε ἐνθάδε μοὶ ἀπολαβεῖν. μὴ ὃ ταῦτα εἰς τὰς κόλπους ἀβραὰμ ἀναπαύσας. Aliam adducit caussam Homil. 13. in Num. postquam eumdem Matthæi locum ad testimonium citavit: *Et ob hoc*, inquit, *neque Diabolum removit à principatu sæculi hujus, quia adhuc opus est opera ejus ad perfectionem eorum qui coronandi sunt; opus est adhuc opera ejus ad exercitia certaminum & victorias beatorum.* Subjungit postmodum Balaami idcirco incantamentis Deum intercessisse, quia alterum alioquin evenire necesse erat, vel Populum Dei perditum dari, si Dæmonibus à Balaamo accersitis arbitrii sui facultati libere obsequi licuisset; vel si arbitrii sui libertate deminuti fuissent, fuisse hoc, *damnasse rationabilem creaturam, & ante tempus intulisse judicium, & impedisse omnibus, qui adversum eos in agone certantes poterant coronari: Si enim Dæmonis auferatur libertas arbitrii, nullum ultra impugnaturum athletas Christi; nullo autem impugnante, nec certamen aliquod futurum; & sublato certamine, nullum futurum præmium, nullam victoriam.* At Homilia 15. in Jos. novum quid ac memorabile comminiscitur: quotiescumque enim Dæmon aliquis post paratas homini E F

A homini pio insidias, victus est ab eo, pugna excedentem cæstus artemque reponere, & apud Inferos, vel destinatum sibi locum abeuntem non amplius hominibus ad nequitiam sollicitandis operam suam conferre: hinc imminuto Dæmonum tentatorum numero faciliores esse ad Christi fidem aditus, pluresque ad Deum converti, quam cum integris copiis nefarii illi hostes decertabant; id quod Scripturarum demum auctoritate conatur probare. Cum ait autem Adamantius Homil. 35. in Luc. *Neque enim omnes omnium sunt adversarii, sed singuli singulos habent, qui ubique eos sequantur, & sint comites:* id ita conciliari potest cum superioribus: quos vinci ab hominibus, & victos dixit tentandis iis abstistere, eos significavit qui per intervalla faciunt impressiones & bellum adversus homines movent; qui autem perpetui comites hominibus assignari adhærent, iis vero jus suum integrum etiam superatis &
B hominum pietate confutatis remanere. Planissime vero sensus super hoc argumento suos enarrat libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 6, quem locum jam suprap roduximus: *Interim tam in his quæ videntur, & temporalibus sæculis, quam in illis quæ non videntur, & æterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo, & meritorum dignitatibus dispensantur, ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, & per majora ac graviora supplicia, nec non & diuturna, ac multis, ut ita dicam, sæculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati & restituti eruditionibus, primo Angelicis, tum deinde etiam graduum virtutibus, & sic per singula ad superiora provecti, usque ad ea quæ sunt invisibilia & æterna perveniant, singulis videlicet quibusq; cœlestium Virtutum officiis quadam eruditione in specie peragratis.*

C XXIII. Vanus sane esset ac supervacaneus labor, Patrum omnium nomina & verba producere, quotquot post admissum scelus non statim in Tartarum detrusos Angelos sensere, sed *damni* licet *pœna*, ut vocant, affectos, *pœnæ* tamen *sensus* ac suppliciorum esse expertes. Consulatur Bellarminus libr. 1. de beatit. Sanctor. cap. 6. Gravius illud est, quod Patrum illorum complures sensisse refert Eusebius, ne æternis quidem cruciatibus sese damnatum sciviss̃e Diabolum, antequam publice illud Christus ac palam prædicasset. Atque hinc in omne nequitiæ genus prorupisse, passimque hæreses disseminasse narrat Isidorus Pelusiota, lib. 2. Epist. 90. ἀκούσας καὶ τὸ καθ' ἑαυτὸν ἀποφάσεως τὸν ὅρον, σφοδρότερον ἐπνευσε καθ' ἡμῶν, καὶ τὰς αἱρέσεις ἔτεκε· *Audito sententiæ adversum se latæ decreto, acrius spiravit in nos, & hæreses peperit.* Origenizat ipse Eusebius libr. 7. de præpar. Evangel. in eo capite quod inscriptum est: περὶ ἀντικειμένων δυνάμεων, ubi postquam Dæmones propter impietatem in Tartarum præcipita-
D tos fuisse dixit, partem exiguam ad exercendam piorum hominum sanctitatem circa terram fecisse moram, ac idololatriam in homines invexisse tradit. Origenizat & Cassianus Collat. 7. cap. 17. ubi profligari Dæmones, & pugna excedere statuit, quotiescunque ab hominibus vitia ea expugnantur, quibus ipsi præsunt. Ut autem careret his Patrum subsidiis Origenes noster, hæreseos nota nondum decreto illi apposita est, quod *pœnam sensus* à Dæmonibus removet, donec postremo judicio in abyssum relegentur.

Euseb. Hist Eccl. libr. 4. cap. 18.

XXIV. Diximus supra opinatum fuisse Origenem rerum omnium ratione pollentium unam esse eamdemque naturam, easque pro meritorum inæqualitate vel evehi ad Angelorum ordines, vel in humana corpora deprimi, vel Dæmones etiam evadere. Aliud quid excogitavit præterea nostra commemoratione & disquisitione dignum, hominum nempe
E sanctitate conspicuorum animas ipsos esse Angelos, non propter peccata in hominum ordinem redactos, sed aliis de causis extraordinaria illuc legatione à Deo missos. Prostant doctrinæ hujus monumenta Tom. 12. in Matth. p. 291. ubi ait, quemadmodum humanæ Christi naturæ Verbum conjunctum est, ita proportione quadam Angelos, tanquam Verba, sese Prophetis adjunxisse: καὶ πρόχες, inquit, εἰ δύναται ἐν τούτοις τὰς πρότερον παιδεύσας προφήτας ἀναλογίαν φάσκειν ἐσχηκέναι πρὸς τὸ μὴ ἔχοντα εἶδος, μηδὲ κάλλος λόγου· ὥσπερ ὁ ἔρχεται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, οὕτως ἄγγελοι γινόμενοι οἱ ἐν προφήταις λόγοι, μεῖζον αὐτὸ φαινόμενον, τὴν ἀναλογίαν σώζοντες τῇ ἑαυτῶν δόξῃ. Tomo quoque secundo in Johann. pag. 76. Johannem ait non aliam habuisse causam, cur in mundum veniret, quam ut de luce testaretur; & addit paulo post Angelos Christi imitatores humanum induisse corpus, quo Christi in homines
F amorem æmulantes, promovendæ ipsorum saluti inservirent: καὶ ἐπεὶ ἁπαξαπλῶς ἐν τῷ περὶ τοῦ ἰωάννου ἐσμὸν λόγῳ ζητοῦμεν αὐτοῦ τὴν ἀποστολὴν, τὸ καίριον ὑπόνοιαν ἡμετέραν, ἵν' περὶ αὐτοῦ ἔχωμεν, προσθήσομεν· ἐπεὶ γὰρ ἀνέγνωμεν περὶ αὐτοῦ προφητείαν· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου, ἐφίεμεν μήποτε εἷς τῶν ἁγίων ἀγγέλων τυγχάνων ὢν λειτουργίᾳ καταπέμπεται τοῦ σωτῆρος ἡμῶν πρόδρομος· καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν τὸ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως ἐνσωματωθέντα καὶ φιλανθρωπίαν ζηλώσας τινὰς καὶ μιμητὰς γενομένας χριστοῦ, ἀγαπήσαντας τὸ δόμα τοῦ σώματος ὑπηρετῆσαι τῇ εἰς ἀνθρώπους αὐτοῦ χρηστότητι. Hæc deliramenta deinde libri cujusdam apocryphi, cui titulus est Precatio Joseph approbare nititur, & ex eo etiam quod exultavit Johannes in Elizabetæ utero, quodque Jacob inter & Esau discrimen illud à Deo constitutum est, futurum ut major serviat minori. Nec multo superius hæc leguntur in iisdē Commentariis: πλείω ὁ τοῦτο νομίζων ἐρεῖ ὥστε καθάπερ τοῖς ὁμολογουμέ-

νοις

νοις ἀνθρώποις εἰσὶν ἄγγελοι, ὡς ὁ ζαχαρίας λέγων· ἄγγελ☩ θεοῦ ἐγὼ μετ' ὑμῶν εἰμι, λέγει κύρι☩ παντοκράτωρ. A
καὶ ὁ ἰωάννης ἀπέσταλκέ φησι· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου. ὅτως καὶ οἱ τοῦ θεοῦ ἄγγελοι ταῦτὸ τὸ ἔργον τοῦτο χρηματίζουσι, καὶ οὐ κατὰ τὴν φύσιν ἄνθρωποι κληθέντες·

XXV. Hoc Adamantii dogma convellit Cyrillus in Johann. l. 6. multosque ait jam ante Origenem, ipsumque adeo Johannem Evangelistam, credidisse Johannem Baptistam non hominem fuisse, sed Angelum, ejusque erroris evertendi causa adscripsisse Johannem Evangelii scriptorem: *Fuit homo.* Anonymus apud Photium Cod. 117. Origeni objectum refert, dixisse illum, ὅτι οὐκ καταπτώσεως ἦλθον οἱ ἄγιοι εἰς τὸν κόσμον, ἀλλ' οὐ δι' ἑτέρων θεραπείαν· Pro ἄγιοι legit Andreas Schottus: ἄγιοι ἀγγέλοι. vertit enim: *Sanctos Angelos delapsos in mundum venisse, non ad aliorum obsequium.* Quoquo modo legatur, apparet calumnia. At Hieronymus priorem Origenis locum è Tom. 2. in Johann. tangit in Aggæi 1. *Quidam putant,* inquit, B *& Johannem Baptistam, & Malachiam, qui interpretatur Angelus Domini, & Aggæum quem nunc habemus in manibus, fuisse Angelos, & ob dispensationem & jussionem Dei assumsisse humana corpora, & inter homines conversatos. Nec mirum hoc de Angelis credi, cum pro salute nostra etiam Filius Dei humanum corpus assumserit. Et ob hanc caussam etiam de Apocryphis præbent testimonium, ubi dicitur quod Iacob qui postea vocatus est Israel, Angelus fuerit, & propterea supplantaverit fratrem in ventre matris suæ; Iohannem quoque ad vocem Mariæ matris Domini exultasse in utero Elizabeth, & omnium rationabilium unum est naturam, & ob hanc caussam homines qui placuerunt Deo, æquales Angelis fieri. Hoc illi sentiant. Cæterum nos nuntium Domini, id est, Angelum, qui Hebraice dicitur* מלאך, *simpliciter Prophetam dictum recipiamus; ab eo quod Domini voluntatem populo nuntiaverit.* Sic & Procemio Commentariorum in Malachiam: C *Nec putandum est juxta quorundam opinionem, Angelum venisse de cœlo, & assumsisse corpus humanum, ut Israeli quæ à Domino sunt mandata loqueretur.* Et paulo post dogma illud Origeni nominatim adscribit: *Scripsit,* inquit, *in hunc librum Origenes tria volumina; sed historiam omnino non tetigit, & more suo totus in allegoriæ interpretatione versatus est, nullam Esdræ faciens mentionem, sed Angelum putans fuisse qui scripsit, secundum illud quod de Iohanne legimus: Etce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Quod nos omnino non recipimus, ne animarum de cœlo ruinam suscipere compellamur.* Idem in Epistola 126. quæ est ad Evagrium: *In fronte Geneseos, in prima Homiliarum Origenis reperi scriptum de Melchisedec; in qua multiplici sermone disputans, illuc devolutus est, ut eum Angelum diceret, iisdemq; pæne argumentis, quibus Scriptor tuus de* D *Spiritu sancto, ille de supernis Virtutibus est locutus. Transivi ad Didymum sectatorem ejus, & vidi hominem pedibus in magistri esse sententiam.* Longe ergo ab hoc errore abfuit Hieronymus, cui ipsum tamen in Comment. ad Psalm. 23. faviisse suspicatur Genebrardus. Quod certe ita non esse deprehendet, quisquis totam Psalmi hujus enarrationem curiosis oculis perlustraverit. Hieronymo id quoque exprobravit Rufinus Invect. 1. his commotus quæ in Ephes. 1. 4. scriptum habent illius Commentarii. Sed culpam hanc à se deprecatur Apolog. 1. adv. Rufin. cap. 5. & 6.

Cæterum immerito culpat Origenem Sixtus Senensis, quod Homil. 23. in Luc. septem Ecclesiarum Episcopos, quos Johannes in Apocalypsi ratione officii Angelos appellat, vere fuisse Angelos, veramque Angelorum naturam habuisse dixerit; nec harum enim Eccle- E siarum Episcopos illic putavit significari, sed earum gubernationi præfectos Angelos.

XXVI. De Angelis tutelaribus paradoxa quoque multa habet, quorum omittenda nobis non est disquisitio. In Cantico Mosis extat comma illud: *Quando dividebat Altissimus Gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini, populus ejus: Iacob funiculus hæreditatis ejus.* Hæc Ebræis consonant; at ex lectionis varietate, quam alio loco expendimus, verterunt LXX. Interpretes: κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. Hos cum alibi passim, tum hic secutus est Origenes, atque inde sibi finxit tunc primum Gentibus, cum in varias linguas, variosque populos ad turrim Babel dissipatæ sunt, assignatos fuisse Angelos, ut curam earum pastorum instar gererent, & primitias ex iis Deo offerrent, homines nimirum qui meritis præcellerent & virtute, eorumve pias cogita- F tiones; & ut hominibus sibi destinatis ad comparandam salutem auxilio essent: quo graviori autem scelere sese in communi hac perduellione unaquæq; gens alligasset, eo durioris Angeli, pœnæ caussa, imperio fuisse subjectam; Deum autem ipsum regendam suscepisse Gentem hanc quæ antiquam loquelam retinuit; sed ita tamen ut si minus ei dicto audientem se præberet, ad Angelorum præfecturam transiret; atq; aliæ itidem Gentes asperiorum Angelorum experirentur imperia, si leniorum jussa detractassent; mollioribus interim Dominis, ad sarciendam commissorum sibi hominum jacturam, alios sæviorum principum imperio subtrahentibus, & ad sese convertentibus; hinc exhæredatis Israelitis ascitas à Christo Gentes fuisse; Angelos quoque pro meritorum suorum ratione harum illarumve Gentium regimen fuisse sortitos, Deosq; appellari, quod à Deo dati sint, Dominos quod à Domino potestate acceperint. Ματαιώματα hæc prodit Origenes non uno loco. Videatur Homil. 16. in Genes. & Homil. 11. in Num.

A Num. in qua supra commemoratis hæc adjungit, alios quoque fortasse extrinsecus esse Angelos, qui ex universis Gentibus fideles quosque congregent, easque gubernent, cum à Christo ipsi gubernentur, qui *non tam Rex dicatur, quam Rex regum; & non tam Dominus, quam Dominus dominantium*; additque paulo inferius magnam sollicitudinem Angelos adhibere iis excolendis, quos studio suo ac diligentia ab erroribus ad fidem traduxerint. Sed & Homiliam 23. in Josue adiri jubeo, & duodecimam in Lucam, in qua nationum præsides Angelos sub imposito sibi onere fatiscentes jam, ac labori impares, Christi adventantis auxilio fuisse sublevatos affirmat: ac librum 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. & librum 3. cap. 3. ubi principem Tyri, & principem Persarum, & Principem Græcorum, quorum mentio fit Ezech. 28. & Dan. 10. Virtutes quasdam spiritales esse asserit; bonasne, an malas, hoc loco non definit;
B at definit Homil. 35. in Luc. & principes illos, Dæmones interpretatur. Neque sane in eo consentiunt inter se Patres, Dæmones eas esse decernentibus aliis, aliis Angelos, eorumque concertationes à Daniele expositas in rectum sensum trahentibus.

Atenim difficilis videtur Origenianæ hujus commentationis ratio; nam si *Constituit Altissimus terminos populorum, juxta numerum Angelorum Dei*, fuerit Angelorum numerus oppido exiguus; non multæ siquidem Gentes orbem incolunt. Verum expedita est responsio; nec enim quidquid uspiam Angelorum est, orbi huic regendo deputatum intelligit Adamantius, sed selectis aliquibus ex inferioribus ordinibus Angelis id muneris fuisse impositum; ex iis porro nonnullos totis præfectos Gentibus; alios Provinciis; Urbibus alios,
C Ecclesiis, artibus, disciplinis, singulis quoque hominibus, & rebus etiam inanimis, uti mox demonstrabimus; illosque in hoc etiam munere sibi succedere invicem; & plures nonnunquam homini uni adsistere, & omnia Angelis plena esse.

XXVII. Dixi Ecclesiarum etiam regimen Angelis Origenem assignasse: geminum siquidem unicuique Ecclesiæ præesse decrevit Episcopum, aspectabilem alium, alium sub oculos neutiquam cadentem; suadente Apocalypsis secundo capite, ubi multa de Angelis Ecclesiarum Asiaticarum curæ præfectis disseruntur. Quæ sententia, quoniam tralatitia est, & Patrum consensu subnixa, addemus ea solum Origenis verba ex Homil. 23. in Luc. *Ego non ambigo & in cœtu nostro adesse Angelos, non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam sigillatim: de quibus Salvator ait: Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Duplex hic adest Ecclesia, una hominum, altera Angelorum. Si quid juxta rationem, & juxta Scripturarum dicimus voluntatem, lætantur Angeli, & orant nobiscum. Et quia præsentes Angeli sunt in*
D *Ecclesia, in illa duntaxat quæ meretur, & Christi est, propterea orantibus fœminis præcipitur, ut habeant velamen super caput propter Angelos, utique illos qui assistunt Sanctis, & lætantur in Ecclesia.*

XXVIII. At de Angelis hominum custodiæ præfectis, quid sentiret Origenes, certum non habuit. Nam primum relinquit dubium, singulisne hominibus, an Christi fidem solum professis, & sanctis custos Angelus assignetur. Posterius illud tueri videtur Homil. 20. in Num. & Homil. 23. in Jos. sed asseverantius etiam Homil. 1. in Ezech. *Non sufficit*, inquit, *unum cœlum aperiri: aperiuntur plurimi, ut descendant, non ab uno, sed ab omnibus cœlis Angeli ad eos qui salvandi sunt.* Et mox: *Quando autem viderunt principem militiæ cœlestis in terrestribus locis commorari, tunc per apertam viam ingressi sunt sequentes Dominum suum, &*
E *parentes voluntati ejus, qui distribuit eos custodes credentium nomini suo. Tu heri sub Dæmonio eras, hodie sub Angelo.* Nec multo post: *Omnia Angelis plena sunt: veni Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, à doctrina Dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente: & suscipiens eum quasi medicus bonus confove atque institue. Parvulus est; hodie nascitur senex repuerascens, & suscipe tribuens ei Baptismum secundæ regenerationis, & advocatibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem.* Animadvertendum & illud est è libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 11. *Potest autem & tertio sensu illud intelligi de divisione ista, ut quoniam unicuique fidelium, etiamsi minimus sit in Ecclesia, adesse Angelus dicitur, qui etiam semper videre faciem Dei Patris à Salvatore perhibetur; & hic qui utique unum erat cum eo cui præerat, si is per inobedientiã*
efficiatur indignus, auferri ab eo Angelus dicitur: & tunc pars ejus, id est, humanæ naturæ pars avulsa
F *à Dei parte cum infidelibus deputatur, quoniam commonitio appositi sibi à Deo Angeli non fideliter eum custodivit.* Tomo quoque 13. in Matth. p. 311. solis iis Angelicam videtur assignare tutelam, qui ea se dignos præstiterint: ἵνα ἐνεργήσῃ, inquit, πνεῦμα ἀκάθαρτον εἰς τὸν διά τινας αἰτίας παραδιδόμενον αὐτῷ, καὶ μὴ ποιήσαντα ἑαυτὸν ἄξιον φρουρᾶς ἀγγελικῆς. & Tomo sequente pag. 361. annon animam quæ Angeli tutelam fuerit promerita, ei nubat, ita inquirit, ut id affirmare videatur; additque eam hujusmodi præsidii gratia posse excidere, si qua labe fœdata reperiatur; alteriq; subjici Angelo, atque item alteri, prout eorum ope & consortio indignam se præstiterit; nec Angeli, à quo semel repudiata est, patrocinium iterum sibi spondere posse. Utitur ad hæc libri Pastoris auctoritate, qui homines Christum professos Michaeli subjici docet, sed propter voluptatis studium, in tutelam alterius, qui deliciis præest, transire, tum alteri tradi qui pœnis, ac ei demum qui pœnitentiæ præfectus est. Rursum Homil. 23. in Luc.

Angelos præsentes esse docet in ea solum Ecclesia *quæ meretur, & Christi est.* Sed & mihi pæne illud exciderat, quod ait Homil. 5. in Num. *Iusti enim sunt, qui indigent adjutorio Angelorum Dei, uti ne à Dæmonibus subruantur, & ne corda eorum sagitta volante in tenebris terebrentur:* & quod libr. 8. contr. Cels. ubi datam esse Dæmoni adversum impios potestatem & imperium fatetur; Sanctos autem à Christo protegi, qui contra Dæmonum assultus Angelos suos tutores iis addidit. Id quod suasisse videtur Origeni Davidicum illud Psalm. 33, 8. *Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* A

In contraria autem alibi discedit, & neminem asserit Angelico carere præsidio: puta Tomo 13. in Matth. p. 310. ubi Lunatico huic, quem curavit Dominus, Angelum bonum adfuisse docet, tum etiam cum à Dæmone vexaretur, & nondum salutarem Christi opem sensisset: πατὴρ ὃν θεωρούμενος τάχα ὁ παρὰ αὐτὸν ἄγγελος. εἴτε πᾶσαν ἀνθρωπίνην ψυχὴν ὑπό τινι τεταχθαι ἡγέλῃ. Illustrior etiam est locus alter ex Homil. 35. in Luc. in quo parvulorum qui Ecclesiæ dederunt nomen, Angelos faciem cœlestis Patris semper videre asseverat; qui vero ab Ecclesia alieni sunt, eorum Angelos ad cœlestis Patris faciem oculos attollere non audere; & pro hominum sibi subditorum meritis ac virtutibus, plus, minusve, vel semper, vel nunquam Dei vultum contemplari posse. Quin etiam unicuique Angelos duos, bonum unum, malum alterum adesse non uno loco pronuntiavit, ut paulo inferius ostendemus. B

Dubitat præterea Origenes, utrum ab ipso statim ortu Angelus comes homini electo, & saluti destinato adjungatur à Deo, an à Baptismo. Prostat locus Tomo 13. in Matth. pag. 331. ubi illud Evangelistæ explanans: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis*, quærit annon qui in Christo parvuli sunt & imperfecti, Angelorum custodia egeant; majores autem & perfecti, Christi ipsius. Tum quæstionem commemoratam proponit, ecquid postquam nati sunt infantes, an postquam renati, Angelorum custodum consortio fruantur. Utramque locis è Scriptura quæsitis tulcit sententiam, sed priorem pluribus; posteriori vero consequens esse agnoscit, Angelis Satanæ subditum esse hominem, quamdiu fidem Christi non susceperit. Insolens autem ac damnosum est quod adjicit, Angelum fortasse homini nascenti custodem additum, malum initio esse; Christi deinde doctrinam capessente puero, eosdem facere progressus Angelum, & faciem demum cœlestis Patris spectare: vel fortasse Angelum homini, vel hominem Angelo salutis auctorem existere: nonnullos vero è tutelarium Angelorum numero Patris cœlestis aspectu semper frui. Deinde opponit sibi quod in Actis Apostolorum scriptum est, pulsante ostium Petro, qui intus erant, ipsius esse Angelum pronuntiasse; non ergo perfectis Christum, sed Angelum itidem ut reliquis adsistere; respondet pro dogmate sententiam illorum neutiquam esse habendam, qui sic sentiunt. Itaque Homil. 24. in Num. justis & electis ipsum adesse Dominum, inferioribus vero Angelos disertis verbis affirmat. Sic ipse tamen Homil. 11. in Num. *Quamvis & ipsi Apostoli Angelis utantur adjutoribus ad explendum prædicationis suæ munus, & opus Evangelii consummandum. Sic enim dicebatur in Actibus Apostolorum, quia Angelus Petri esset, qui pulsaret ad ostium. Similiter ergo intelligitur esse & alius Pauli Angelus, sicut est Petri, & alius alterius Apostoli, & singulorum per ordinem.* Quorum similia habet Hom. 23. in Jos. C D E

XXIX. Præter homines, hominumque conventus ac societates, tum Ecclesiasticas, tum politicas, Angelorum curæ permissas, alia quoque inanima regimini ipsorum subdita esse decrevit, variaque hæc illos meritis suis sortitos officia, ut si qui bestiis præsint, ferinis id actibus sint consecuti; qui vero Sanctorum preces Deo offerre jussi sint, sua pietate id muneris promeruerint: hinc Raphaëli medicinæ studium fuisse commissum, pro sua in homines charitate; Michaëli, orationum Deo offerendarum mandatum fuisse munus; Gabrieli, bellorum administrationem. Legenda in eam sententiam Hom. 4. in Num. quæ plantis, animalibus, animaliumque fœtibus, exercitibus, rebusque aliis terrenis, sed & sanctis operibus, rerumque divinarum tradendæ scientiæ Angelos præesse asserit, cavendumque sancit ne terrenis dediti actibus & corporeis, inter deputatos iis administrandis Angelos reperiamur. Legenda & Homil. 23. in Jos. & Homil. 10. in Jerem. & cap. 7. libri 1. περὶ ἀρχῶν, & liber 8. contr. Cels. quo Epicureum illum confutans Philosophum, rerum omnium, quæ in his inferioribus geruntur locis, procurationem in Dæmones transscribentem, Angelis quasi ex jure manu consertum repetit, mala solum, & incommoda, & quæ humano generi noxia sunt, sterilitates puta, calamitates, siccitates, pestilentiam, aliaque id genus ad auctores Dæmones referens, divino judicio certis temporibus hanc adversum homines potestatem nanciscentes, sed adversus impios præsertim, & à Dei cultu alienos. Verumtamen libro 3. περὶ ἀρχῶν cap. 3. disciplinarum, & artium potestatem spiritalibus quibusdam mundi hujus energiis ac Virtutibus adscribit; atque inde existere furores poëticos, divinationes & magiam arbitratur. Quæ sane ex Græcorum, Musas quasdam doctrinarum præsides, & Deos μυσηγέτας fingentium, Theologia videntur esse petita. F

XXX.

A XXX. Hactenus de alterutra Angelorum vel bonorum vel malorum ſtipatione, Gentibus, hominibus, & inanimis etiam rebus addita, juxta Origenis ſententiam diſſeruimus. Nunc de utrorumque, bonorum ſimul & malorum Angelorum Gentibus & hominibus adſiſtentium comitatu quænam ab eo tradita ſint, diſputemus. Malos Angelos haud ſecus ac bonos in Gentes tenere poteſtatem ſcitum eſt Origenis libr. 5. contr. Celſum, & Hom. 12. in Luc. *Neque enim*, inquit, *fas eſt credere malos Angelos ſuis præeſſe provinciis, & bonos non easdem provincias habere permiſſas.* Leges ſimilia libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. & Hom. 9. in Geneſ. in qua Apoſtolis verbum Dei prædicantibus ad iracundiam concitatos fuiſſe dicit Angelos illos, qui ſingulas quasque nationes imperio premebant. Cui adſtruendo citatum uſurpat locum è Cantico Moſis, Deuteron. 32. 8. 9. quem & Hom. 35. in Luc. ad eoſdem malos An-
B gelos interpretando convertit. Eundem vero Homil. 8. in Exod. ſuper hoc argumento proferens, non ſatis apparet ad maloſne, an ad bonos Angelos pertinere velit. Ad bonos vero aperte refert Tom. 13. in Johann. p. 243. 244.

Hominibus vero ſingulis geminos adeſſe Angelos, bonum alterum, alterum malum decernit libr. 1. in Epiſt. ad Rom. & ex Scripturis ſacris ſæpe id ſe docuiſſe ait Hom. 23. in Joſ. & per Genium Principis, quem Dæmonem eſſe dicit ipſi naſcenti appoſitum, jurari vetat libr. 8. contr. Celſ. Καθαναγκέστερον δέ, inquit, ὑμῖν ὑπὲρ τῶν μὴ ὁμόσαι μοχθηρὸν δαίμονα καὶ ἀπίστων πολλάκις συνιέναμαρτάνοντα τῷ ἕλκοντι ἄνθρωπῳ, ἢ καὶ πλέον ἀπὸ ἁμαρτάνοντα. Dogmati huic præſidium aſciſcit ex Hermæ Paſtore, & Barnabæ Epiſtola (qui libri ad hanc diem ſuperſunt, eamque continent doctrinam) libr. 3. De princip. cap. 2. & Homil. 35. in Luc. ubi ait, adverſa-
C rium, & inſidiatorem à nobis nuſquam recedere, ſed ad Principem, Gentis nimirum præſidem Dæmonem nos deducere, & à ſe ſervatos adverſus Principis alterius, rapere nos volentis, inſidias ſiſtere: Chriſtum autem Principes omnes viciſſe, & terminos eorum tranſeuntem captivos populos ad ſe in ſalutem tranſtuliſſe. Addit deinde: *Neque enim omnes omnium ſunt adverſarii, ſed ſinguli ſingulos habent, qui ubique eos ſequantur, & ſint comites.*

Quid quod ſingulis hominibus non unicum tantummodo Angelum, unicumve Dæmonem, ſed totas Angelorum, Dæmonumque cohortes adjungit Homil. 4. in Pſalm. 36. *Nunquam enim*, inquit, *ſolus eſt juſtus, ſed ne unius quidem, aut duorum, vel trium tantummodo Angelorum ſocietate ſubnixus eſt, ſed exercitus ei Virtutum cœleſtium præſto eſt:* quod non ad
D ſpiritalia tamen bona conferenda reſtringit; ſed ad corporea etiam prorogat Homil. 20. in Joſ. *Conſtat ergo multas eſſe Virtutes intra nos, quibus vel animarum noſtrarum, vel corporum cura permiſſa eſt*; cui defendendo utitur ſcriptione quadam Apocrypha, quam Enochi librum eſſe ſuſpicari poſſis, Homil. 35. in Luc. *Legimus*, inquit, *ſi tamen cui placet hujusmodi Scripturam recipere, juſtitiæ & iniquitatis Angelos ſuper Abrahæ ſalute diſceptantes, dum utraque turmæ ſuo eum volunt cœtui vendicare.* Ex Dæmone autem, cui nomen Legio, miſeri illius in ſepulchretis habitantis corpus occupante, à plurimis ſimul Dæmonibus nos probat circumſideri; quippe vitio unicuique præeſſe Dæmonem unum, eique ſubjectos eſſe Dæmones complures, qui ad vitium hocce propagandum ſubſerviant; omnes autem Principes, peccatorum incre-
mento præfectos, ſupremum unum ducem, velut militiæ ſuæ magiſtrum habere. Cum au-
E tem multis ſimul laborare poſſit vitiis homo, & laboret perſæpe, tunc à multis eum ſimul Dæmonibus inſideri. Quod ita tamen ab Origene intellectum puto, temporarias eſſe has complurium Dæmonum, Angelorumve aſſectationes; conſtantem autem & per totius curriculum vitæ perſeverantem certi alicujus Angeli itidem & Dæmonis ſtipationem, naſcenti cuilibet homini decretam & attributam.

Porro poſt adminiſtratum tutelæ noſtræ munus, ſtatum iri Angelos in judicio, & impoſitæ ſibi provinciæ rationem reddituros ipſius perſuaſio fuit. Quam quoniam jam ante excuſſimus, properemus ad alia, & placita ſua ſuper Angelorum tutela unde hauſerit, & quodnam ſibi patrocinium ſpondere poſſit, exquiramus.

XXXI. Præiverunt illi in ea opinione de hominis uniuscujusque ſocio ac ſtipatore Genio Gentiles Philoſophi, qui hominum & locorum præſides Genios, non è ſuperioribus
F Deorum, ſed ex Deorum de plebe ordinibus accerſitos confeſſi ſunt; Plato vero præcipue (ut Clemens Alexandrinus agnoſcit) cum alibi, tum in libr. 10. De republ. verſus finem. Cujus doctrinam ita ediſſerit Plotinus Enn. 3. libr. 4. ut qui ea perſpexerit attente, dubitare minime poſſit, quin ſua è Platone, Platonicorumve lucubrationibus Origenes tranſtulerit: nam & Dæmonis præſidium animæ largitur, & ſecundum animæ mutationes, mutari Dæmonem putat, & eum animæ Dæmonem, poſtquam corpore ſoluta eſt, imminere cenſet, qui eam rexit, dum corpus animaret; & externos præterea ac internos animæ unicuique adeſſe Dæmones, ex ejus verbis perſpicuum eſt. Hinc Apulejus in libello de Deo Socratis: *Ex hac ergo*, inquit, *ſublimiore Dæmonum copia Plato autumat ſingulis hominibus in vita agenda teſtes & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint, omnium non modo acto-*

rum testes, verum etiam cogitatorum. Ac ubi vita edita remeandum est, eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico & trahere veluti custodiam suam ad judicium: atque illic in causa dicenda adsistere; si qua commentiatur, redarguere; si qua vera dicat, asseverare; prorsus illius testimonio ferri sententiam. Itaque summa religione Genius ab antiquis colebatur; Censorinus cap. 3. de die natali: *Genio igitur potissimum per omnem ætatem quotannis sacrificamus. Quanquam non solum hic, sed & alii sunt præterea Dii complures hominum vitam pro sua quisque portione administriculantes, quos volentem cognoscere indigitamentorum libri satis edocebunt; sed omnes hi semel in unoquoque homine numinum suorum effectum repræsentant: quocirca non per omne vitæ spatium novis religionibus arcessuntur. Genius autem ita nobis observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur.* Nota præter perpetuum Genii comitatum, Deorum complurium ministerio vitam humanã juvari Priscos illos putasse, quod Origenianis sententiis consonat. Atque ea sane persuasio ad Veteres illos è sacris voluminibus profecta primum, sed profanis subinde figmentis deformata manavit. Hæc ipsa quoque indidem in Ecclesiam, Ecclesiæque Patres, sed purior & defæcatior profluxit. A B

XXXII. Verba Mosis è Deuteron. 32. 8, 9. eodem propemodum defluxit Eusebius ac Origenes. Universis quippe Gentibus Angelos præsides à Deo appositos docet, Filium autem Dei suscepisse regendum Israëlem, quicunque nempe Patriarchæ Jacobi pietatem imitati, nomine ejus appellari meruerunt. Atque hæc Demonstrationis Evangelic. libr. 4. cap. 7. Tum in sequentibus scribit Angelos illos, sive potius Angelorum tutelæ commissos homines à Dæmonibus oppugnari fuisse cœptos, magnaque ex parte in eorum potestatem fuisse redactos; quoad laborantibus & oppressis succurreret Christus, impiorumque Dæmonum tyrannidem profligaret. Ita & Augustinus in Psalm. 88. *Non clausit Deus fontem bonitatis suæ etiam in alienigenas gentes, quas sub Angelis constituerat, portionem sibi faciens populum Israël.* C

Ne conflictus quidem illos Angelorum inter se, & prælia, homines sibi commissos invicem subtrahere, sibique subjicere volentium sine adstipulatoribus proposuit Origenes: quos inter recensendi sunt, quotquot citatum Danielis decimum caput ad bonos Angelos converterunt. Nam si Princeps regni Persarum, Angelus quippe bonus, cum Michaële velitatus est, Angelos bonos inter se dimicare fatendum est. Principes autem regni Persarum, & Græcorum bonos esse Angelos existimarunt complures; velut Theodoretus in hoc Danielis caput, Isidorus Pelusiota libr. 2. Epist. 85. Johannes Chrysostomus in Homiliæ cujusdam in Christi Natalem fragmento, quod exhibet Photius Cod. 277. sed imprimis S. Thomas pag. 1. q. 113. art. 8. qui quomodo inter se discordare possint Angeli, exponit. D

Varia autem hæc ipsis injuncta fuisse pro meritis officia, post Origenem Isidorus quoque Hispalensis affirmavit. *Unicuique etiam*, inquit libr. 7. Orig. cap. 5. *sicut prædictum est, propria officia sua injuncta, quæ eos promeruisse in mundi constat exordio. Nam quia Angeli & locis & hominibus præsunt, per Prophetam testatur Angelus dicens: Princeps regni Persarum restitit mihi. Unde apparet nullum esse locum, cui Angeli non præsint: præsunt enim & auspiciis operum omnium. Hic est ordo vel distinctio Angelorum, qui post lapsum malorum in cœlesti vigore steterunt.*

Refractariis adversus Angelorum jussa hominibus asperiores imponi duces definivit Adamantius: si minus novos adscribi Principes rebellantibus hominibus, at priores certe detrahi Basilius censuit. Sic enim habet in Isaiæ 5. 5. Μήποτε ὃ καὶ ἡμῶν ἕκαστος ἔχων ἀγγελον ἄγιον τὸν παρεμβάλλοντα κύκλῳ τῶν φοβουμένων τὸν κύριον, ἐν ἁμαρτίαις ἐξεταζόμενος ὑποδύηται τῇ ἀσειληθείσῃ πληγῇ, καὶ γυμνωθῇ τὰ τείχη τοῦ ἁγίου δυνάμεων ἀσφαλείας. *Fortasse autem unusquisque nostrum habens Angelum sanctum, castrametantem in circuitu timentium Dominum, in peccatis deprehensus, obnoxius fiat intentatæ sibi plagæ, & spolietur muro, custodia scilicet sanctarum Virtutum.* Neque desunt sane, quibus ne nunc quidem satis liquet idemne perpetuus homini unicuique comes Angelus adhæreat, an alios alii in eo munere excipiant. E

Origeni rerum omnium, etiam inanimarum custodiam Angelis deleganti favet Chrysostomus Homil. in Natal. Christi apud Photium Cod. 277. ἔστησεν ὁ θεὸς ἀγγέλους κατὰ τὰ κλίματα τῆς οἰκουμένης, ἵνα ἕκαστον ἐπιτροπεύειν, ὡς καμοῦς λέγῃ, ἑνὸς ἑκάστου ἔθνους. ἔστησε δέ, ἵνα τὴν ἄψυχον κτίσιν καλινώσωσιν, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ θάλασσαν, καὶ γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς, ὑπηρετεῖν τῇ τοῦ ἀνθρώπου δουλείᾳ. *Constituit Deus Angelos secundum climata orbis, ut singuli curam gererent, quemadmodum ait & Moyses, singularum Gentium. Constituit autem ad inanimam creaturam regendam, Solem, & Lunam, & mare, & terram, & quæ in iis sunt, ut hominum usibus inservirent.* F

De gemini Angeli, boni nimirum & mali satellitio, quam tradidit doctrinam, hanc non ab Herma solum & Barnaba, sed à Dictatore etiam suo Platone acceperat, cujus verba hæc è libro 10. Legum refert Theodoretus Serm. 3. De curand. Græcor. affect. ψυχὴν δὲ οἰκοῦσαν, καὶ ἐνοικοῦσαν πᾶσι τοῖς παντοχῇ κινουμένοις λέγοντός ἐστι, καὶ τὸν οὐρανὸν οἰκεῖν ἀνάγκη φάσκειν τὸν μὲν; μίαν ἢ πλείους; ἐγὼ ὑπὲρ σφῶν ἀποκρινοῦμαι· δυοῖν μὲν ἔν γέ πε ἑλάττοιν μὴ τιθῶμεν, τῆς τε εὐεργετι-

A γένηται, καὶ τῶν τοιούτων δυναμένης ἐργάσασθαι. *Cum autem dicis animam gubernantem, & insitam omnibus quæ ubique moventur; cœlum quoque gubernare illam necessario dicendum est. Quid igitur? unamne an plures? Ego pro vobis respondebo. Ne pauciores duabus statuamus, eam quæ bona conferat, & eam quæ contraria possit efficere.* In eo autem Adamantius plurimos habuit consentientes, sed Cassianum præsertim Collat. 8. cap. 17. & libr. 13. cap. 12. qui idem Hermæ testimonium adducit; atque dogmatis hujus tamquam falsi & errore implicati nomine, & hunc, & illum, & Origenem præterea Bellarminus castigavit. Quod non fecisset fortasse, si in eadem esse caussa Gregorium Nyssenum meminisset. Eidem quoque Cassiano præivit Origenes, cum unicuique vitio suum præsidem esse attributum definivit; quod licet parum habere videatur probabilitatis, ab insignibus tamen aliquot Scholasticis non omnino repu- *Bellarm. de script. Eccl. in l. Pastor.*

B diatum est.

Ad excusandum Origenis errorem de judicio in Angelos tutelares olim statuendo aliqua superius proposuimus; nunc quoniam Patrum suffragiis & auctoritate pugnamus, ad elevandam opinionis hujus invidiam Hieronymum Origenis suffragatorem adducemus Is in illud Michææ, cap. 6. v. 1. 2. *Audite quæ Dominus loquitur: Surge, contende judicio adversum montes, & audiant colles vocem tuam. Audiant montes judicium Domini, & fortia fundamenta terræ:* montibus illis significari putat Angelos, quibus rerum humanarum commissa procuratio est, juxta Deuter. 32. 8. & Hebr. 1. 14. atque eos, si populos curæ suæ permissos male rexerint, culpatum iri, velut Apocal. 2. & 3. Hinc Origenis non sententiam modo, sed ver-

C ba fere ipsa usurpat. *Sicut enim*, inquit, *interdum Episcopi culpa est, interdum plebis, & sæpe magister peccat, sæpe discipulus; & nonnunquam patris vitium est, nonnunquam filii, ut vel bene vel male erudiantur: ita in judicio Dei, vel ad Angelos crimen referetur, si non egerint cuncta, quæ ad suum officium pertinebant; vel ad populum, si illis universa facientibus, ipsi audire contemserint.* Quæ merum Origenismum redolent.

XXXIII. Sed missis aliorum suffragiis, Adamantio sua quoque ipsius dubitatio satis patrocinatur. Illa autem vel ex eo maxime apparet, quod quas à communi Theologorum sensu maxime abhorrentes visus est amplecti sententias, iisdem ex adverso contrarias quasdam proposuit. Ac de Angelis primum in hominum tutelam deputatis, tanta ejus dubitatio est, ut statuere minime possit, quemadmodum diximus, an ab ortu, an à Baptismo homi-

D num curam suscipiant. Nec absque dubitatione tradit Angelos nobis regendis delegatos, eosdem nobiscum in fide facere progressus. Incertus similiter est animi, Angelusne homini, homone Angelo salutem procuret & conciliet. Nihilo magis sibi constat, cum justos ipsos à Christo, qui vero in pietate inferiores sunt ab Angelis custodiri decernit, sicut à nobis observatum est: cunctis quippe alias Angelorum tutelam assignat. Neminem Angelorum præsidio carere docet aliquando; solis illud aliquando Christianis concedit. Tam constantem nonnunquam fingit stipationem Angelorum, ut quos in hoc mundo regendos susceperint, iisdem in futuro præesse minime desinant: at contra homines sibi in custodiam traditos eripere invicem, & ad se transferre nonnunquam Angelos docuit. Quod si recte ergo & ex æquo cum Origene agere velimus; quidquid in re obscura, nec

E ullis Ecclesiæ sanctionibus determinata proposuit, velut ab homine, non tam certum aliquid pronuntiante, quam veritatis studio incerta expendente profectum accipiemus. Neutiquam vero Antipatrum Bostrensem imitabimur, qui Origenis doctrinam de Angelorum tutela, Origenemque ipsum, sic tanquam effatis suis pertinaciter adhærentem, non quasi conjecturas timide proponentem, traducit & suggillat. Nihil licet falso ipsi affingat, cum ait censuisse eum Angelos pro suis peccatis, cum prius Mentes essent, Angelos & Archangelos evasisse; leviorumque culparum reos in eos qui graviora designassent crimina imperium accepisse; tutelamque ipsis eorum hominum traditam, qui ad salutem æternam erant promovendi; cum ipsi tamen salutem sibi promereri, & ad pristinum gradum recuperandum deberent eniti, eidemque judicio ac homines curæ suæ commissi

F essent olim subjiciendi. Habentur Antipatri hujus fragmenta inter Eclogas Johannis Damascæni, quæ manu scriptæ asservantur in Bibliotheca Claromontana Patrum Societatis Jesu, & quarum excerpta ad me officiose transmisit eruditissimus, & humanissimus Gabriel Cossartius.

XXXIV. Nec vitæ hujus mortalis finibus Angelorum ministerium hominibus præstandum Adamantius coërcet, sed prorogat etiam ad ea quæ antecedunt hominum vitam, quæque ipsam excipiunt. Nam Angelorum ope animas hominum immitti corporibus, easque corpore solutas suscipi ab ipsis, sisti in judicium, in destinatum demum locum deduci, & non aliter regi, quam cum corporibus illigatæ essent, conceptis verbis affirmavit. Certe Commentariorum in Johann. Tomo 13. pag. 242. Angelos ad hominum satus à Deo ordinatos esse dicit, quorum opera corpus & anima in unum coalescant. Quod autem contra objici potest, manibus Dei fictum se & formatum agnoscere Davidem Psalm. 118. 73.

& Je-

& Jeremiam 1.5. id ita solvit, conditos quidem illos à Deo, sed Angelorum ministerio & ope; quemadmodum Lex dicitur ordinata per Angelos, licet auctorem Deum habeat. Hanc quoque obducit responsionem; quos sibi Deus peculiariter destinavit, Jobum puta, Davidem, & Jeremiam, à Deo ipso fuisse factos; reliquos vero ab iis Angelis quibus sorte obtigerunt. Quo referri jubet illud Gen. 1.26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* & illud Genes. 11.7. *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*; Deo nempe sic Angelos hominibus tuendis præfectos alloquente. Tomo vero 19. in Jo-
Luc.12.20 hann. pag. 276. ex hoc Lucæ: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te*, hominum omnium animas à ψυχαγωγοῖς quibusdam, qui animis ipsis præstantiores sunt, assumi tradit, atque hujus ψυχαγωγίας immunem fuisse solum Christum Jesum, cui reliqui omnes etiam Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli fuere obnoxii. Assumtas autem ab Angelis custodiæ illarum, dum in corpore essent, deputatis animas, in judicium ab illis ipsis eductum iri scribit Homil. in Num. 11. & 21. Nec in judicium solum, sed in suppliciis etiam, vel gloriæ destinatum locum. *Mortuus est*, inquit Homil. 9. in Levit. *Lazarus, & adductus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Similiter autem & dives, & adductus est ad Infernum in locum tormenti. Animadvertis evidenter loca sortis utriusq; distincta. Vide etiam qui sunt qui adducant: Angeli, inquit, qui semper parati sunt ad adducendum: ministri enim Dei sunt ad hoc ipsum destinati, qui impleant sortem quam tibi ipse paraveris.* Homil. 5. in Num. Sanctos ab Angelis post mortem manibus & humeris vehi demonstrat, donec in quietis locum deducti sint. Quod significari ait illo Davidis Psalm. 90. 11, 12. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Ex eo autem Pauli, 1. Thess. 4. 17. *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus*, probat raptum iri ab Angelis eos qui vitiis purgati leviores evaserunt; portatum vero iri reliquos, qui peccatorum reliquiis sunt onusti. Et Homilia demum 11. in Num. jam supra laudata, Angelos post hanc vitam futuros eorum Principes decernit, quibus dum in vivis essent, jam ante præfuerant, quosque studio suo ac labore ad Christum converterant.

Ex Platonis autem fontibus ea fere hausta sunt. Sic enim ille in Phædone: λέγεται ὃ ἔτως, ὡς ἄρα τελευτήσαντα ἕκαστον ὁ ἑκάστου δαίμων, ὅσπερ ζῶντα εἰλήχει, ἔδει ἄγειν ἐπιχειρεῖ εἰς δή τινα τόπον, ὃν δεῖ τοὺς συλλεγέντας διαδικασαμένους εἰς ᾅδου πορεύεσθαι, μετ' ἡγεμόνος ᾧ δὴ προστέτακται τοὺς ἐνθένδε ἐκεῖσε πορεῦσαι. *Sic autem fertur mortuum unumquemque, Dæmonem illum qui viventem sortitus fuerat, deducere conari in quemdam locum, ubi oportet congregatos omnes caussa dicta ad Inferos proficisci cum duce illo, cui mandatum est eos qui illinc abierunt, illuc deducere.* Quod aliis deinde libri ejusdem locis repetit; & post illum Plotinus Enn. 3. libr. 4. cap. 6. ὁ μέντοι δαίμων ἔδει ὃν λέγομεν, ἀγαγεῖν λέγεται εἰς ᾅδου. ἐκεῖ τοὺς μένειν, ἐὰν μὴ τὰ αὐτὰ ἕλκηται πάλιν. πρὸ δὲ τοῦ πῶς, τὸ δὴ ἀγαγεῖν εἰς τὴν κρίσιν. *Dæmon ergo ille quem dicimus, deducere fertur ad inferos, non amplius idem permanere, nisi eadem rursum eligat. Antea vero quomodo? adducere nimirum ad judicium.* Augustinus lib. 12. de Civit. Dei, cap. 24. *Illi autem*, inquit, *qui Platoni suo credunt, non ab illo summo Deo qui fabricatus est mundum sed ab aliis minoribus, quos quidem ipse creaverit, permissu sive jussu ejus animalia facta esse cuncta mortalia, in quibus homo præcipuum, Diisque ipsis cognatum teneret locum.* Et deinde: *Angeli autem, quos illi Deos libentius appellant, etiamsi adhibent vel jussi, vel permissi operationem suam rebus quæ gignuntur in mundo, tamen tam non eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum atque arborum.*

Illi quidem Origeni ex Ethnicis præluserunt: ex Christianis vero præluit Clemens Alexandrinus, qui animam in muliebrem uterum immitti dicit: ὑπό τινων τῶν τῇ γνώσει ἐφεστώτων ἀγγέλων, & Angelos ἐφεστῶτας τῇ ἀνέσει commemorat. Et vero posterior illa de Angelorum humanas animas in suas sedes reponentium ministerio sententia Ecclesiæ Catholicæ placitis consona est. Priorem autem, quæ animarum sationis curam Angelis adscribit, quæque Tomi 13. in Johann. loco à nobis supra allato continetur, sic ipse Origenes excusat: ταῦτα δὲ οὐκ ἀποφαινόμενοι λέγομεν, πολλῆς γὰρ ἔσανε τὰ τηλικαῦτα ζητήσεως, ἵν' εὑρεθῇ πότερον οὕτως ἔχει, ἢ ἑτέρως.

XXXV. Prætermitti poterat quæstio sequens de remunerationibus & pœnis per Angelos à Deo administrandis; nihil enim multum abnorme circa id argumentum Origenes excogitavit. Quoniam tamen cum superiore disputatione cohæret ejus tractatio, & peculiare nonnihil habet Adamantius; idcirco ipsam quoque leviter attingemus. Homilia itaque in Jeremiam secunda (juxta ordinem in Latinis editionibus vulgo servatum) tripliciter hominibus, quæ promeriti sunt, Deum retribuere ostendit, primum per se, secundum illud Jerem. 51.6. *Vicissitudinem ipse retribuet ei*; deinde per malos Angelos, secundum illud Psalm. 77.49. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos:* nonnunquam etiam per bonos, cujusmodi multa in Scripturis reperiri dicit: ac leviora quidem crimina ministris suis vindicanda Deum permittere, ipsum

A ipsum vero graviores noxas ulciſci. Fuſe hoc argumentum libr. 8. contr. Celſ. perſequitur, & quæcunque hominibus mala contingunt, Dei nutu & conſilio à Dæmonibus immitti probat ex laudato Pſalmi 77. loco; bona vero ab Angelis ſubminiſtrari.

In quibus à magiſtro ſuo Platone non receſſit; qui in Sympoſio Deos inter & homines medium quoddam conſtituit genus, & Dæmones appellat, interpretes utrorumque & ſequeſtros, ἑρμηνεύοντας καὶ διαπορθμεύοντας θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν. τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας. τῶν δὲ τὰς ὁπὶ ταξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν. *Interpretantes & referentes Diis, quæ mittuntur ab hominibus; & hominibus quæ mittuntur à Diis; illorum quidem precationes & ſacrificia; horum vero mandata & ſacrificiorum remunerationes.* Quæ munia eadem Angelis tribuuntur, unde מלאכים & ἄγγελοι à Scriptoribus ſacris appellantur, hoc eſt, *internuntii.*

B Plotinus autem Ennead. 3. lib. 4. cap. 6. poſtquam docuit animas in judicium ab Angelis adduci, pœnas poſtmodum luentibus illis adeſſe ſubjunxit.

Origeni adſtipulantur, præter alios, Ambroſius & Hieronymus, quorum ille Epiſtol. libr. 5. Epiſt. 38. hæc ſcribit: *An ipſos quoque Angelos, qui in iſtius mundi laboribus diverſa ſuſtinent miniſteria, ſicut in Apocalypſi legimus Iohannis, non ingemiſcere credimus, cum adhibentur pœnarum & excidiorum miniſtri: qui habentes vitam æternam, mallent utiq. eam in illo ſuperiore tranquillitatis ſuæ ſtatu currere, quam noſtrorum peccatorum pœnis ultricibus interpellari.* Hieronymus vero libr. 1. in cap. 7. Dan. *Duplex autem Angelorum officium eſt; aliorum qui juſtis præmia tribuunt, aliorum qui ſingulis præſunt cruciatibus.*

C XXXVI. Quoniam varia & parum conſtans Origenis de Angelorum invocatione videtur fuiſſe ratio, delibanda quoque à nobis ea quæſtio eſt. Sic illa loquitur libr. 5. contr. Celſ. Τύτυς δὴ ἀγγέλους δεῖ τῶ ἔργῳ αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν. ἐυρίσκομεν αὐτὸς, διὰ τὸ θείως ἔχ καὶ θεοὺς οὐ τοὺς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς. ἀλλ' ὑχ' ὥστε παροτάσεσθαι ἡμῖν τὰς διακονίας, καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τῶ θεῶ δέεθαι καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ θεοῦ πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ ἐυχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ὄντι πάσι θεῷ, διὰ τοῦ ὄντι πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμψύχε λόγε καὶ θεοῦ. Quæ iterum deinde inculcat: unde omnis Angelorum præcidi videtur invocatio. Sed non ita eſt; nam honores quidem ac preces Angelis adhiberi vetat eas, quæ Deo uni conveniunt, nec adorari vel coli ipſos concedit, ἀντὶ τοῦ θεοῦ, at certos quosdam iis exhiberi cultus, certasque fundi precationes permittit, naturæ eorum creatæ convenientes, & diverſi à ſuperioribus gene-

D ris: ἐυφημεῖμεν αὐτὺς, inquit libr. 8. contr. Celſ. καὶ μακαρίζομεν ἐγχειριδέντας ὑπὸ τῶ θεῶ τὰ χρήσιμα τῷ γένει ἡμῶν. ὑμνῶ τὴν ὀφειλομένην πρὸς θεὸν τιμὴν τύτοις ἀπονέμομεν. Non precationem ergo, ſed precationis modum damnat. Hujus expoſitionis ipſe ſit fidejuſſor, Operis ejusdem contra Celſum libro 8. in quo Celſo reſpondens, qui quod Dei Filium Chriſtiani colerent, colendos iis quoque miniſtros ejus, Dæmones nimirum cenſebat: εἰ μὲν οὖν, inquit, ἐνόει τὰς ἀληθῶς ὑπηρέτας τοῦ θεοῦ μὴ τὸν μονογενῆ τῶ θεῶ, ἢ γαβριὴλ, καὶ μιχαὴλ, καὶ ἰησοῦν τοὺς ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, καὶ τύτοις ἐλεγε δεῖν θεραπεύεσθαι. ἴσως ἂν τὸ περὶ τῶ θεραπεύειν αὐτὸ σημαινόμενον ἐκκαθήραντες. καὶ τῆ θεραπευτικῷ πράξεων, εἰσομεν ἂν εἰς τὸν τόπον, ὡς περὶ τηλικύτων διαλεγόμενοι, ἅπερ ἐχωρᾶμεν περὶ αὐτῶν νοῆσαι. Vim loci hujus frangere conati ſunt Heterodoxi quidam noſtrates, ſed efficere tamen non potuerunt, quin aliquod θεραπείας genus Angelis conceſſiſſe Origenem ex his ipſius verbis

E manifeſtum ſit; eo nempe θεραπείας genere inferius, quod Deo ſoli exhibendum eſt. Fruſtra autem contendunt θεραπείαν hanc, non de religioſa obſervantia & cultu eſſe intelligendam, cum hic nonniſi de religioſo diſputetur cultu, quem Celſus Dæmonibus itidem ut Deo præſtandum eſſe aſſerebat. Id ut ſignificaret, utebatur voce θεραπευτὰς. Reſpondet Origenes quoddam θεραπείας illius à Celſo expreſſæ, hoc eſt religioſi cultus genus Angelis quidem deberi, ea modo recte & legitime exhibeatur, & cultus ille à cultu Deo præſtari ſolito caute diſtinguatur. Pari modo cum diſtingueret libro 5. orationes Deo Patri offerendas ab iis quas offerri concedebat Filio, ut μεσίτῃ, nominis hujus, *oratio*, proprium uſum intelligi vult, & ab ejusdem abuſu ſecerni: πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, inquit, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ ἐυχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ὄντι πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ ὄντι πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχε λόγε καὶ θεοῦ. δεησόμεθα ὃ & αὐτῷ τῷ λόγῳ, καὶ ἐντευξόμεθα αὐτῷ ἐυχαριστήσομεν, καὶ προσευξό-

F μεθα δὲ, ἐὰν συνώμεθα καλαῖς ἢ περὶ προσευχῆς κυριολεξίας καὶ καλαχρήσεως. Eadem cautione cultum, & preces Deo Patri offerendas, à precibus Filio allegandis diſcerni jubet, & à cultu Angelis exhibendo. Atqui Filium orari concedit, modo tanquam μεσίτης, & inferiori precationis genere invocetur ac Pater; hæc enim fuit ipſius inſania: idem igitur de precibus & cultu Angelis exhibendo ſenſiſſe ipſum concludendum eſt. At ſine ambage Angelum prece veneratur Hom. 1. in Ezech. *Omnia*, inquit, *Angelis plena ſunt. Veni Angele: ſuſcipe ſermone converſum ab errore priſtino, à doctrina Dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente: ſuſcipiens eum quaſi medicus bonus confove atque inſtitue; parvulus eſt, hodie naſcitur ſenex repuerascens: & ſuſcipe tribuens ei baptiſmum ſecundæ regenerationis, & advocatibi alios ſocios miniſterii tui, ut cuncti pariter*

eos qui aliquando decepti sunt, eruditis ad fidem. Quæ quamvis Sole ipso clariora sint, adversus ea tamen præscribere non dubitarunt iidem qui supra Heterodoxi, & testimonii gravitatem, qua se obrui sentiebant, duplici responsione elevare; prima quidem hac, non religiosa illic Angelum precatione invocari, sed rhetorica duntaxat apostropha appellari; altera ista, spurium esse hunc locum, & adultera manu insertum: quæ gratis dicta, & solidis nullis probata argumentis gratis negari possunt. Fateor apostrophis aliquando Patres uti; apostropha hic usum esse Origenem, id vero pernego. Profecto, si cui Hæretico invocandum Spiritum Sanctum hodie neganti testimonia Patrum eum invocantium objiciantur; is vero apostrophas has esse respondeat, magna esse dicetur responsionis hujus futilitas. Nec altera vero felicior: Græca Homiliæ hujus exemplaria desiderari ajunt; elaboratas vero esse à Rufino & Hieronymo interpretationes, quorum sit levis in interpretando fides; apostropham denique illam esse à stylo Origenis alienam. Certum est Homiliarum istarum in Ezechielem interpretem esse Hieronymum; quem si fateremur hæc de suo assuisse, fateri cogerentur utique adversarii, si minus Origenem, at certe Hieronymum Angelorum invocationem exemplo suo comprobasse. At sane ea exceptione opus non est. Sæpe se ait Hieronymus, & nos alibi docuimus, verborum numerum in interpretando non reddidisse, sententias duntaxat appendisse: verba neglexisse, sensus fideliter retinuisse. Demus itaq; hæc ἀνολιξεῖ, si forte, in Græcis ita non extitisse; dent modo Adversarii sententiam ipsam, qua Angeli continetur invocatio, nulla parte fuisse vitiatam. Quod addunt autem apostrophis hujusmodi uti Origenem non solere; id quidem in Tomis verum esse concedimus; in Homiliis non item, quæ hujusmodi pigmentis & figuris si non refertæ, ac penitus certe vacuæ non sunt. Audivi quosdam præterea ex eadem secta, Angeli nomine notatum hic Episcopum asserentes, quemadmodum Apocalypseos cap. 2. & 3. eadem Angelorum appellatione Asiaticarum Ecclesiarum Episcopi significantur. Puderet illos suæ responsionis, si totius loci cohærentiam attentius perspicerent, in quo tutelarium Angelorum, ad exemplum Christi, ut sibi quidem fingebat Origenes, de cœlo descendentium, & humanæ salutis curam suscipientium manifesta habetur mentio. Verba hæc sunt: *Non sufficit unum cœlum aperiri: aperiuntur plurimi, ut descendant non ab uno, sed ab omnibus cœlis Angeli ad eos qui salvandi sunt: Angeli qui ascendebant & descendebant super Filium hominis, & accesserunt ad eum, & ministrabant ei. Descenderunt autem Angeli, quia prior descenderat Christus, metuentes descendere, priusquam Dominus virtutum omnium, rerumque præciperet. Quando autem viderunt Principem militiæ cœlestis in terrestribus locis commorari, tunc per apertam viam ingressi sunt sequentes Dominum suum, & parentes voluntati ejus, qui distribuit eos custodes credentium nomini suo. Tu heri sub Dæmonio eras, hodie sub Angelo.* Deinde: *Multitudo militiæ cœlestis erat laudantium & glorificantium Deum; quando natus est Christus. Omnia Angelis plena sunt. Veni Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino.* Robur his additur ex hoc testimonio Hom. 23. in Luc. *Ego non ambigo & in cœtu nostro adesse Angelos, non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam sigillatim: de quibus Salvator ait: Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Duplex hic adest Ecclesia, una hominum, altera Angelorum. Si quid juxta rationem & juxta Scripturarum dictum voluntatem, lætantur Angeli, & orant nobiscum.* Itaque perspicuum est, non Episcopum interpellasse Origenem in priore illo loco, sed Angelum invocasse. Incassum ergo ad Angelorum repudiandum cultum Origenis auctoritatem prætendit vir alioquin eximiæ eruditionis Ger. Johann. Vossius libr. 1. de orig. idol. cap. 9. Porro quam priore loco adhibuimus responsionem, eam ipsam usurpare fere licet adversus loca aliqua Origenis, aliorumque Patrum, quibus Deo soli, nec cuiquam præterea cultus ac fides tribuenda pronuntiatur, & quibus receptam à Catholicis Angelorum invocationem, & ad preces nostras Deo offerendas allegationem impugnare student Adversarii, inter quos tamen nonnulli, viri candidi & eruditi, veritate quippe victi, Angelorum intercessionem & postulari posse, impetrari fatentur.

XXXVII. Accusatum olim falso Origenem refert Anonymus apud Photium Cod. 117. cum multis nominibus, tum idcirco quod affirmaverit, ὅτι τὰ χερουβὶμ ἐπίνοιαι τοῦ υἱοῦ εἰσιν. *Cherubinos cogitationes Filii esse.* Crimen istud quomodo ab Adamantio depulerit Anonymus iste, equidem nescio; ex Photii tamen verbis id videtur consequi, tanquam falso conficta, & Origeni per calumniam impacta ab hoc ejus patrono fuisse confutata. Verum tamen ut illud ab Origene scriptum demus, liquido tamen juraverim, ut alia fere omnia, sic ea quoque ἀλληγορικῶς ipsum proposuisse. Eadem itaque valeat hic responsio, qua ad eum supra excusandum usi sumus, cum Filium & Spiritum Sanctum duos esse Seraphinos, & Christum quoque virum eum sterilem esse diceret, quem commemorat Jeremias cap. 22. v. 30.

XXXVIII. Animadvertimus supra diversa Origenem Angelis ac Dæmonibus affinxisse

A xisse corpora, citra ullum οὐσίας & naturæ discrimen. Ex ea opinione nata est illa altera, crassius hoc, & aëri nostro cognatum Dæmonum corpus, res sui generis appetere, suffitus puta, & nidores sacrificiorum; ac sanguinem etiam victimarum ligurire; nec iis tantum delectari, quod homines idololatriæ deditos esse videant, sed etiam propter voluptatem ac delicias, quibus eorum corpora afficiuntur. Origenes libr. 3. contr. Celf. πάντες μὲν, inquit, οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἰσι δαιμόνια λιχνά, καὶ οὐδὲ τὰς θυσίας, καὶ τὰ αἵματα, καὶ τὰς ἀπὸ τῶν αἱμάτων ἀποφορὰς καλιεμένα, ὅτι ἀπάτη τῶν μὴ προσπεφευγότων τῷ ὑπὲρ πάντα θεῷ· & libr. 7. sequente, postquam dixit, Spiritus quosdam impuros circa terram degere, hoc subjicit: ὅλοι δὲ τοιάδε αὐτοὺς τυγχάνειν καὶ γε ἀπὸ τῶν θυσιῶν ἀναθυμιάσεσι καὶ ἀποτῶν αἱμάτων καὶ ὁλοκαυτωμάτων ἀποφορᾶς τρεφόμενα ἀπτῶν τὰ σώματα φιλησύχων τοῖς τοιούτοις ἐπὶ αὐτῷ τυγχάνειν ὡσπερεὶ φιλοζωεῖν. & lib. 8. τὰ δὲ πικλᾶ τῶν αἱμάτος μὴ ἐπικεκλῆσθαι. ὅπερ φασὶν
B τῷ προφῆτῃ δαιμόνων, προφερόντων τῶν ἀπ' αὐτῶν ἀναθυμιάσεσιν. ἀπαγορεύει ὁ λόγος Θ., ἵνα μὴ τραφῶμεν τροφῇ δαιμόνων. & in Protreptico ad Martyrium: ὅθεν δέ τινες μὴ θεωροῦντες τὸ σοφὸν τῶν δαιμόνων λόγον, καὶ ὡς ὑπὲρ τὸ σῶμα ἐνεργοῦντα ἐν τῷ πάσχει τοῦτο καὶ φευγέτω ἀέρι, θεόμβροι τροφῆς, τὴν ἀφ' ὧν ἀναθυμιάσεων ὄπτησιν, ὅτε νήστια ἀεὶ καὶ ἄιματα, καὶ λιβανώδη, ἐξευτελίζουσιν ὡς ἀδιάφορον τὸ θύειν, ἕτοιμον ἂν καὶ πρὸς ταῦτα ὅτι ὑπὲρ οἱ τροφὰς λῃσταῖς, καὶ φονεῦσι, & βαρβάροις ἐχθροῖς τὸ μεγαλοψυχοῦ βασιλέως, ὡς τὸ κοινὸν ἀδικήσασιν κολάζουσαι. πόσῳ πλέον οἱ τοῖς τῶν καιρίας ὑπηρέταις ἀφ' ὧν θύειν διδόντες τροφὰς οὐδαμοῦ ἐχούσας αὐτοὺς ἐν τῷ φευγέτω τόπῳ, δικαίως ἂν ἐκκλίνοιεν.

In eadem porro ac Origenes caussa sunt vetustior illo Justinus, & recentior Maternus Firmicus, quorum ille Apol. 1. scribit Angelos perduelles in servitutem homines redegisse, cum aliis modis, tum ἀφ' ὧν διδαχῆς θυμάτων καὶ θυμιαμάτων, καὶ σπονδῶν, ὧν ἐνδεεῖς γεγόνασι, μετὰ τὸ παθεῖσιν ὑπὸ ἐπιθυμιῶν δουλωθῆναι. *Docendo sacrificiorum, suffituum, & libationum ritus, quibus tum indigerunt, postquam cupiditatum affectionibus sese submiserunt.* Hic vero cap. 14. libri de error. profan. relig. asserit substantiam Dæmonum à Diabolo prognatorum sanguine victimarum nutriri.

C

QVAESTIO SEXTA.

DE ANIMA.

I. *De animæ origine, quid statueret Origenes, certum non habuit.* II. *Ex dogmate*
D *πρεσυπάρξεως & perpetui libertatis usus maxima Origenianorum errorum pars profluxit.* III. *Utrum animas rationis compotes è substantia divina delibatas esse asseruerit.* IV. *An eas corpore antiquiores, in illudque propeccatis demissas putaverit.* V. *Unde nomen,* ψυχὴ *factum autumaverit.* VI. *Ex his multorum criminationibus est appetitus.* VII. *Ad doctrinæ hujus fontes digitus intenditur;* VIII. *quam variis Scripturæ locis fulcire conatus est Origenes:* IX. *Multi licet eam funditus labefactent.* X. *Patres ejus assertores recensentur.* XI. *Nihil his temporibus fuerat ab Ecclesia super hoc argumento determinatum;* XII. *nec multo recentioribus.* XIII. *Utrum animas corporeas, & quali*
E *corpore præditas crediderit.* XIX. *Origenem Patrum multorum assensus, & sua excusare potest hæsitatio.* XV. *Ex antiqua Philosophia opinionem suam depromsit. Intricatus Methodii locus explicatur.* XVI. *Utrum solam animam hominem constituere dixerit.* XVII. *Examinatur Origeniana* μετενσωμάτωσις. XVIII. *Pythagoricam* μετεμψύχωσιν *propugnasse à plurimis dictus est Adamantius:* XIX. *sed multis purgatur.* XX. *Metensomatoseos auctores produntur.*

I. QUONIAM hominum animas ejusdem esse ac Angelos ordinis & naturæ voluit
F Origenes, explorata horum juxta ipsius definitiones natura, de illis nunc ut agamus, rerum series desiderat. Observandum vero illud est ante omnia, obscurum ac difficile visum hoc argumentum Origeni, itidem ut aliis Ecclesiæ Patribus plerisque, summaque in hæsitatione & angustia fuisse versatum. Cum enim libro 3. de princ. cap. 4. præcipuas tres proposuisset de anima sententias; utrum duplex sit in nobis, divinior altera & de cœlo depromta, alia inferior; an una tantum cœlestis juncta corpori, à quo inclinetur & deprimatur ad vitia; an vero constet anima partibus duabus, quarum alia sit rationis particeps, ratione altera careat; postquam singulas accurate opiniones excussit, in nullam inclinans partem, subjungit tandem: *Et nos quidem prout potuimus, ex singulo-*

gulorum personis quæ dici possunt disputationis caussa de singulis dogmatibus in medium protulimus. A *Qui autem legit, eligat ex his quæ magis amplectenda sit ratio.* Denuntiat præterea non semel, διαπορητικῶς sese differere, non καταφατικῶς loqui, si quando visus est aliquid de ea re statuere, utpote incerta, nondum Ecclesiæ decretis Origeniano ævo, nec multo recentioribus definita; quemadmodum declarabitur inferius. Id confirmat Pamphilus in Apologia; quamvis disputationes Origenis vel assertiones, quas de animæ statu & dispensatione proposuit, nonnullos culpasse fateatur.

II. Inprimis autem, maxima illud animadversione dignum est, ex superius memorato gemino hoc Dogmate, Mentium προϋπάρξεως, & pleni ac perpetui libertatis usus, semper vigentis ac florentis maximam Origenianorum errorum partem prodiisse; nam profluxit inde quidquid fere circa Angelorum naturam peccatum ab eo est: inde μετενσωμάτωσις, B alia aliaque corpora subeuntibus animis, pro vario libertatis usu: inde solam animam censuit constituere hominem, assumto nimirum in pœnam corpore, tanquam vinculo & compede: unde & tollenda fuit resurrectio, nam quid corpore hoc & vinculis opus homini in integrum restituto? Gratiæ quoque beneficium peremit nimia illa & immodica libertas. Unde vero afflictas dicemus Astris animas, & liberum arbitrium, quam ex hoc Mentium ascensu & descensu, crassiora, vel subtiliora ac splendidiora subeuntium corpora pro meritis? unde væsana hæc & pestifera opinio, Christum vel passum vel passurum pro syderibus, pro Angelis & Dæmonibus, quam ex altera ista, peccato naturas illas esse obnoxias, non secus ac humanas, proindeque eadem reparatione ac remedio indigere? Sed & præfinitus Damnatorum suppliciis modus ac tempus ex quo fonte manavit, quam ex perse- C verante etiam post inflictas pœnas libertatis usu? Denique positis his Mentium revolutionibus, ac nunquam desituro circuitu, renasci quoque Mundos identidem oportuit, cum Mentibus denuo peccantibus nova iterum paranda essent vincula, nova scilicet imponenda corpora, ex quorum diversitate mundus efflorescit. Quæ si quis observabit diligenter, non repugnantibus & dissipatis dogmatibus constare doctrinam Origenis fatebitur, sed apte connexam esse, & necessaria argumentorum serie ac textura cohærentem.

III. Primam in hac quæstione adversus Origenem intentat criminationem Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap 4. cum arbitratum ipsum fuisse ait animas omnes, & quæcunque ratione prædita sunt è Dei substantia expressa prodiisse, divinæque ipsius partem esse D substantiæ. *Ne parvam putaremus*, inquit, *impietatem esse eorum quæ præmiserat* (Origenes) *in ejusdem Voluminis* (περὶ ἀρχῶν,) *sine conjungit omnes rationabiles naturas, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Angelos, Potestates, Dominationes, cæterasq; Virtutes, ipsum quoque hominem secundum animæ dignitatem unius esse substantiæ. Intellectualem, inquit, rationabilemq; naturam sentit Deus, & Vnigenitus Filius ejus, & Spiritus Sanctus, sentiunt Angeli, & Potestates, cæteræq; Virtutes; sentit interior homo, qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus est. Ex quo concluditur Deum, & hæc quodammodo unius esse substantiæ.* Quod in Origene damnaverat Hieronymus, idem in Palæstinis Origenistis damnat Justinianus in Epistola ad Quintam Synodum, quam habet Cedrenus: Λέγουσι γὰρ ὅτι νόες ἦσαν ἄλογα παντὸς ἀριθμοῦ τε καὶ ὀνόματος, ὡς ἐνάδα πάντων τῶν λογικῶν τῇ ταυτότητι τῆς οὐσίας καὶ ἐνεργείας, καὶ τῇ δυνάμει τῇ πρὸς τὸν Θεὸν λόγον, ἑνώσαντες, καὶ γνώσαντες. *Dicunt enim Mentes fuisse absque numero & nomine, adeo ut rerum omnium rationalium unitas sit, E cum idem sint substantia, & operatione, & virtute quæ est apud Deum Verbum, tum adunatione, & cognitione.* Gobarus quoque Tritheita ille, cujus excerpta collegit Photius Cod. 232. dogmata multa, quæ fere Origeniana sunt, in utramque disputans partem, octavo loco illud habet: ὡς ἐκ τῆς Θείας οὐσίας ἡ ἀνθρωπίνη προελήλυθε ψυχή *Ex divina substantia humanam animam processisse.*

Fuit illa quidem Pythagoreorum doctrina, divinæ auræ particula animas nostras constare, & Deum

Virgil. Georg. 4.

-- -- -- -- *ire per omnes*
Terrasq;, tractusque maris, cœlumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum, F
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Audiebam, ait Cato apud Tullium, *Pythagoram, Pythagoreosq;, incolas penè nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus.* In eadem fuerunt opinatione Platonici, & Stoici, quam & Cerdo, & Marcio, & Manichæi subinde amplexi sunt. Hieronymus Epist. 61. ad Pammach. cap. 5. sic Johannem Hierosolymitanum interpellat: *Dicis animas hominum non partem esse Dei naturæ: quasi Manichæus nunc ab Epiphanio sis vocatus:* & cap. 6. *Dicis animam non esse de Dei substantia; pulchre, damnas enim impiissimum Manichæum, quem nominare pollutio est:* & mox: *Nemo dubitat errare qui dicit eam* (animam rationalem) *esse Dei substantiam.*

Igi-

A Igitur Johannes ille Hierosolymitanus, qui Origenista vulgo audiebat, ab ea tamen opinione fatente Hieronymo erat alienus; quod ad purgandum Origenem valere potest. Ipse Origenes, cujus verba pro hoc dogmate recitat Hieronymus, vocem addens, *quodammodo*, reprehensiones à se prohibet. *Vnum addit verbum, quodammodo*, ait Hieronymus, *ut tanti sacrilegii crimen effugeret*: vel fortasse ut opinionis hujus neutiquam affinem se esse declararet. Sic ille quidem in libro de Martyrio: ἔτι ὁ καὶ φιλοζωεῖ ἄνθρωπος, πεῖσμα λαβὼν περὶ οὐσίας λογικῆς, ὡς ἐχούσης τι συγγενὲς θεῷ. Quod si è Dei substantia delibatam censuisset animam, non affinem aliquid habere, sed ipsius particulam esse dixisset: affine autem cum eo quidpiam habet, quod ad ejus imaginem condita sit, quod lumine divino vultus ipsius signatus sit, quod mortis expers, & beatitatis æternæ capax sit. Planissime vero errorem hunc im- *Hier. Epist 59. ad Avit. c. 4.*

B pietatis arguit in Heracleone, qui ejusdem esse ac Deum essentiæ fingebat, quicunque ipsum Spiritu adorarent: ὑπερήσωμεν δὲ, inquit Tomo 13. in Johan. pag. 217. εἰ μὴ σφόδρα ἐστὶν ἀσεβὲς ὁμοούσιον (lego ὁμοουσίως) τῇ ἀγεννήτῳ φύσει καὶ παμμακαρίᾳ τὸ λέγειν τοὺς προσκυνοῦντας τῷ πνεύματι τῷ θεῷ. Hoc etiam se purgat Origenes illo crimine, quod animam corporatam esse decrevit, ut infra declarabimus; qui enim corporea res pars esse Dei corpore carentis, qualem esse defendit Origenes, dici poterit? Hinc Augustinus libr. 11. de Civit. Dei, cap. 23. *Animas dicunt, non quidem partes Dei, sed factas à Deo peccasse à Conditore recedendo; & diversis progressibus pro diversitate peccatorum à cœlis usque ad terras, diversa corpora quasi vincula meruisse. Et hunc esse mundum, eamque causam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur: in libris enim quos appellat* περὶ ἀρχῶν, *id est, de Principiis, hoc sensit,*

C *hoc scripsit.* Origenes igitur animas, non quidem partes Dei, sed factas à Deo esse credidit. Nec minus hoc utile, quod Hieronymus Epist. 82. ad Marcellinum & Anapsychiam, germanam Origenis sententiam ab hac ipsi afficta distinguit: *Super animæ statu*, inquit, *meminiveſtræ quæstiunculæ, imo maxime Ecclesiasticæ quæstionis: utrum lapsa de cœlo sit, ut Pythagoras Philosophus, omnesq; Platonici & Origenes putant; an à propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispaniæ Priscilliani hæreses suspicantur.* Hoc quidem ob dogma Palæstinos Origenistas pulsavit Justinianus, idcirco fortasse quod tributos omnes Origeni errores ab iis propugnatos fuisse opinatus est: sin ei adhæserunt revera, minime sane sectatorum suorum væsanias omnes præstabit Adamantius. Quod si tamen culpæ hujus fuisset reus, adstipulatorem ipsi damus Tertullianum, qui libr. 4. adv. Marcionem, cap. 38. sic ait:

D *Hominem igitur reddi jubet Creatori, in cujus imagine & similitudine, & nomine, & materia expressus est.*

IV. Certioribus Origenes & manifestioribus sententiam hanc signavit monumentis, quæ animas ante corpora à Deo conditas, in eaque sic tanquam in ergastula demissas pro peccatis decernit. Atque hæc alteri de Angelorum meritis & remunerationibus ac pœnis superius expositæ connexa est. Naturas enim omnes ratione præditas, hoc est, Mentes à Deo ante Mundi opificium procreatas, liberoque instructas arbitrio fuisse putavit; qua recte vel male agendi facultate diversis utentes modis, diversos inde vel gloriæ, vel ignominiæ ac pœnæ gradus fuisse consecutas; alias siquidem Angelorum adeptas esse naturam,

E quæ leviorum essent noxarum fontes; quæ contra liberi arbitrii munere in deterius fuissent abusæ, in crassiora corpora, syderum puta, vel Dæmonum, vel hominum esse depressas; sic tamen, ut quocunque sint loco, proficere possint in virtute, vel contra relabi in vitia; & pro regressus sui vel progressus ratione, ad superiorem evehantur statum, vel ad inferiorem detrudantur. Huic quoque conditioni animam obligavit Christi, eamque pro summo suo adversus Deum amore, Verbo in unum conjunctam fuisse voluit, atque inde corpus in B. Virginis Mariæ utero formatum subiisse. E Mentibus porro illis quæ Angelicam essent assecutæ conditionem, nonnullas Christi imitantes adversus humanum genus amorem & charitatem, vel aliis de causis à Deo missas, carnem assumsisse sensit, & Prophetarum, sanctorumque virorum personam gessisse in terris, & ad exemplum Christi sese componentes hominum reliquorum saluti consuluisse. Horum omnium partem demonstravimus jam

F supra, partem hic declarandam servavimus.

Minime vero nobis diutius immorandum est in locis colligendis, quibus animarum προϋπαρξιν Adamantius asseruit. Patent illi unicuique obviam, & viro non multum diligenti frequentes occurrunt. Insignes duntaxat aliqui, pro more nostro, fidei conciliandæ gratia adducendi sunt, præter eos, quos jam supra protulimus, cum ipsius sententiam de Angelorum meritis exploraremus. Ante alios observandus venit ille è libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. in quo naturas illas ratione pollentes, quæ à Deo primum procreatæ sunt, priusquam boni aliquid vel mali in se concepissent, Mentes fuisse tradit; deinde vero scelere admisso, animas evasisse. Verba ipsa producuntur: *Ex quibus omnibus illud videtur ostendi, quod Mens de statu suo ac dignitate declinans, effecta vel nuncupata est Anima: quæ si reparata fuerit & correcta, redit in hoc ut sit Mens. Quod si ita est, decessus ipse Mentis ac devolutio videtur mihi quod*

non æqualis omnium sentiendus sit, sed vel plus vel minus in Animam verti, & aliquas quidem Mentes servare aliquid etiam prioris vigoris; aliquas vero aut nihil, aut exiguum aliquid. Unde inveniuntur quidam statim ab ineunte ætate ardentioris acuminis, alii vero tardioris; nonnulli autem obtusissimi & penitus indociles nasci. Quibus similia in capitis ejusdem calce iterantur. Libro vero lucubrationis ejusdem priore, cap. 7. animam hominis, non cum corpore factam docet, sed extrinsecus insertam, idque pro meritorum ratione. Probando huic Jacobi profert exemplum & Esau, quorum hic fratrem, cum ex utero prodiret, supplantavit; quod ita nequaquam eventurum fuisse censet, nisi id uterque fuisset gestis suis promeritus, antequam cœlo delaberetur: addit & Johannis exemplum, qui in materni uteri claustris etiamnum compactus, ad Mariæ vocem tripudiavit; & Jeremiæ, cui dixerat Dominus: *Priusquam te formarem in utero, novite: & antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Alioquin ait futuram apud Deum προσωπολημψίαν, & injustitiam, quod & Tom. 2. in Joh. p. 76. & 78. repetit. Eadem asseverantius inculcat cap. 8. libr. 1. περὶ ἀρχῶν, & libr. 3. cap. 1. postquam enim unumquemque dixit, prout sese gessit, à Deo vas effici vel ad honorem vel ad contumeliam, subdit continuo: *Quod si juxta hæc videtur assertio, sicut est certe justa, & cum omni pietate concordans, uti ex præcedentibus caussis unumquodque vas vel ad honorem à Deo, vel ad contumeliam præparetur: non videtur absurdum eodem ordine, atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores caussas, eadem etiam de animarum satione sentire, & hoc esse in caussa quod Iacob dilectus est, etiam dum adhuc in ventre matris haberetur.* Dissertationem demum ita claudit: *Ex quo opinamur, quoniam quidem (sicut frequenter diximus) immortalis est anima & æterna, quod in multis, & sine fine spatiis per immensa & diversa sæcula possibile est, ut à summo bono ad infima mala descendat, & ab ultimis ad summa bona reparetur.* Quod autem contra opponi poterat ex Pauli ad Romanos cap. 9. Deum ex eadem massa, sic tanquam figulum è luto vasa alia ad honorem fingere, alia ad contumeliam, sic diluere contendit, rationalium animarum unam esse naturam, quæ Deo non secus subjaceat, ac luti massa figulo, atque inde varii generis vasa depromi. Paulinam similiter increpationem: *O homo, tu quis es, qui contra respondeas Deo?* ad impios derivat, qui non discendi, sed resistendi caussa Deo obloqui audent, & postquam facinoribus suis ac perfidia Dei alloquendi fiducia ac jure exciderunt, merito iis objici debeat: *O homo, tu quis es, qui contra respondeas Deo?* Sanctis vero hominibus adeundi & alloquendi Dei, eidemque respondendi copiam semper fieri vult, qualis olim Moysi facta est. Quam ipsam interpretationem cum præcedente de Jacobi anima, & vasis ad contumeliam honoremve destinatis disputatione rursum adhibet libr. 7. in Epist. ad Rom. dum hoc idem caput Commentariis suis explanat. Vanæ scilicet & frivolæ in re aperta cavillationes, & acri censura ac castigatione dignæ. Huic confirmando errori allata superius exempla Johannis in matris utero exultantis, & Jeremiæ, antequam in materna alvo formaretur, ex eaque prodiret, Deo noti, ab eoque *sanctificati* repetit iterum cap. 3. libri tertii περὶ ἀρχῶν, aliaque congerit petita ex iis argumenta, qui à Dæmonibus statim ab ortu correpti, vel à pueritia divinandi facultate præditi sunt; quorum non aliam esse caussam existimat, quam res olim ab iis gestas, antequam corpora subirent; arbitrii quippe sui libertate uti semper animam, sive extra corpus, sive corpori adjuncta sit. Idem sonant loca à Justiniano collecta, & Epistolæ ad Menam subjecta. Nonnullas vero animas sponte delabi in terras, & exequendis Dei consiliis operam suam navare velle somniat Tom. 15. in Matth. p. 404. Ἐγὼ δὲ ὑπονοῶ τὸν περὶ ψυχῆς ἀπόρρητον καὶ ἐν τούτοις νενοῆσθαι λόγον, ὅτε ἦσαν ὅλως τὴν ἡμέραν μέρει τῷ ἐνδεεστάτῃ ὥρας, θέλοντες μᾶλλον ἐργάσασθαι, ἢ σωματαλαμβανόμενοι εἰς τὸν ἀμπελῶνα οἱ τελαρρηκότως ἀπολογούμενοι, καὶ λέγοντες· οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο. Atenim Origenes Tom. 20. in Johann. nonnulla habet quæ cum superiore ejus de anima opinione parum videntur consentire: qualitates nempe nescio quas animis ingigni, quales corporibus ingignuntur. Demus ipsa verba ex pag. 286. ἐπεὶ δὲ δύο ἤθους κρίνει καὶ ἔργων τὰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ, μήποτε ἀπό τινων σπερματικῶν λόγων συγκαταβαλλομένων σπέρμασιν, ὡς ἴδιαι, ψυχαὶ δεῖ χαρακτηρίζειν τοὺς ὄντας σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ· ἢ εἴπερ, ὡς καὶ τὸ σωματικὸν, οἱ πάντες ἄνθρωποι σπέρμα εἰσὶ τοῦ Ἀβραὰμ, οὕτω καὶ τὰ τῶν ἀποδιδόμενα περὶ τοῦ· τίνες εἰσὶ σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ, δῆλον ὅτι οἱ πάντες ἄνθρωποι μετὰ πάντα σπερματικῶν λόγων τῇ ἀνῇ ἕκαστον παρέντων αὐτῇ τῇ ψυχαῖς τῷ βίῳ τῷ ἀνθρώπων ὑπόδειγμάτων· & deinde p. 287. οἱ πάντες οὖν εἰσιν ἄνθρωποι σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ, ὡδὲ γὰρ ἔχασι τοὺς λόγους συγκατασπαρμένους αὐτῇ ταῖς ψυχαῖς, δυναμένους εἰ θεωρηθεῖεν ποιῆσαι τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ. Item in Psalm. 15. 7. è Catenis Regiis: καὶ τὴν ψυχὴν τοίνυν ὅτι νοήματά τινα τοῖς σπέρμασιν ἀνάλογον, καθ' ἃ τὰ ἔνδον γνωρίμαται ἐν ἀγαθαῖς πράξεσι, καὶ θεωρίαις ἀληθιναῖς. Qualitates illas σπερματικὰς animis ingenitas quid aliud esse dicamus, quam qualitates cum semine traductas? Quod si in animos traducatur aliquid cum semine & ingignatur, imo si cum animis ipsis seminatur aliquid, συγκατασπείρεται ταῖς ψυχαῖς, seminantur utique ipsæ animæ, & ex traduce propagantur. Verum aliter accipienda puto illa Origenis; animas enim licet quibusdam λόγοις σπερματικοῖς instructas seminari dicat, minime tamen satio illa quæ patrum ministerio perficitur, vel corporeum semen intelligen-

Rom 9, 20.

A gendum esse videtur, sed satio alia mystica, & semen πνευματικὸν & νοητὸν, cujus auctor ipse Deus est: serere enim animas dici potest, quatenus eas in varia corpora juxta Origenis sententiam distribuit: tunc autem certas iisdem pro meritis qualitates inseri putavit, Adamantius, easque quia seminantur in animis, tum cum ipsa animarum administratur satio, spermaticas dixit: quæ si qualitatum, animæ Abrahami, vel justi alterius viri ingenitarum similes sint, & diligenter excolantur, filios nos Abrahæ, vel viri alterius justi efficient, mystico quodam & spiritali modo. Germanum hunc esse Origenis sensum ex totius loci attenta lectione intelligitur, sed ex eo præsertim, quod qualitatum illarum variam ac inæqualem dispensationem causas ortum præcedentes habere dixit. Inde enim colligitur animarum προϋπαρξις, quæ cum animarum propagatione ex traduce stare non potest. Huc adde frequen-

B tes Origenis adversum hanc sententiam excursus, quorum si eum jam pœnitet, nimiæ utique inconstantiæ, & tanto viro indignæ res fuerit. Suffragantur huic expositioni, quæ legimus Tom. 13. in Johann. p. 236. Τὸ ὑπὸ τοῦ ψαλμῳδοῦ μοι δηλοῦν περὶ τοῦ καθόλου προϋφεστάναι ψυχῶν πεφυτευμένων εἰς τὸν βίον τοῦτον, μὴ ἐκ σωτηρίων σπερμάτων, καὶ πεφυτευμένων γε, οἶμαι, ἀκουσίως μετὰ ἐναγωγῶν ἐπανερχομένων ὃ ἐν ἀγαλλιάσει, διὰ τὸ καλῶς γεωργεῖσθαι, καὶ ἀνῆχθαι, καὶ πεφελισθῆναι τὰ σπέρματα, μεθ' ὧν ἐλήλυθασιν.

V. Institutam porro in animo opinionem persequens Origenes, ad superiora illud quoque adjecit, Mentes in pejus delapsas idcirco ψυχὰς fuisse dictas, quod ipsarum pietatis & charitatis fervor refrixerit. Hæc habentur libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. ubi Deum ignem esse docet, igneos Angelos, nobisque ipsis spiritu ut ferveamus præcipi, si modo Deo placere

C velimus: impios autem, frigidos & esse & dici; Diabolum ipsum Dracone eo significari, qui in mari regnare dicitur. Tum ita concludit: *Si ergo ea quæ sancta sunt, & ignis, & lumen, & ferventia nominantur; quæ autem contraria frigida, & charitas peccato dicitur frigescere, requirendum est ne forte & nomen animæ, quæ Græce dicitur* ψυχὴ, *a frigescendo de statu diviniore ac meliore dictum sit, & translatum inde quod ex calore illo naturali & divino refrixisse videatur; & ideo in hoc quo nunc est statu, & vocabulo sita sit.* Consimilem huic locum indidem adducit Justinianus in calce Epistolæ ad Menam.

Epiphanius Hær. 64. cap. 5. & in Epistol. ad Johann. Hierosol. cap. 2. dixisse Origenem refert ψυχὰς vocitatas, διὰ τὸ ἄνωθεν πεψύχθαι. Id vertit doctissimus Interpres, *quod cœlitus afflata sit*; quæ sane mihi probari non potest expositio; nam animas quidem desuper im-

D mitti affirmavit Origenes; afflari vero vel inspirari anima multo ante condita non magis dici potest quam Angelus, quem nemo desuper afflari dixerit, cum de cœlo in terras ablegatur. Vertendum ergo, *quod sursum refrixerit.*

VI. Ex his Adamantii circa animæ originem placitis nata est octava è criminationibus, quas ipsi objici solitas repræsentat & diluit Pamphilus in Apologia. Illa certe postquam prolixe confutavit Justinianus in Epistola ad Menam, tum Scripturæ sanctæ, tum Patrum auctoritate, ab ipsis deinde anathematismos suos eidem Epistolæ subnexos auspicatus est; atque illa quisquis fuerit amplexus, anathema esse sancit, eademque rursus configit in Epistola ad Quintam Synodum, quæ est apud Cedrenum. Diu porro tunc erat, postquam vana hæc Origenis cogitata castigaverat Methodius, ut ex ejus Excerptis discere est, quæ Epipha-

E nius nobis, & Photius asservarunt: castigaverat & Cæsarius Gregorii Nazianzeni frater Dialogo 3. Interr. 149. & sequentibus (si modo Dialogorum istorum revera Auctor est, uti fertur, iste Cæsarius) castigaverat & Gregorius Nyssenus libro περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου, cap. 38. & Epiphanius Hær. 64. cap. 4. & in Epistola ad Johann. Hierosolym. cap. 2. quibus locis putasse dicit Adamantium ψυχὴν dictam, διὰ τὸ ἄνωθεν πεψύχθαι, & δίημας, διὰ τὸ διεῖσθαι τὴν ψυχὴν ἐν τῷ σώματι, & σῶμα quasi σῆμα, *eo quod ita animam in se clausam habeat, quomodo sepulchra & tumuli cadavera mortuorum:* castigaverat & Theophilus Alexandrinus, & Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 1. & 2. & Epist. 61. ad Pammach. cap. 3. & 5. & 6. & Epist. 65. ad Pammach. & Ocean. cap. 2. & libr. 5. Comment. in Jerem. cap. 24. & in Epistola ad Demetriadem cap. 9. ubi animarum προϋπαρξιν in Ægypto & Orientis partibus olim grassatam, suis temporibus *abscondite quasi in foveis viperarum apud plerosq; versari que-*

F ritur, *illarumque partium polluere puritatem, & quasi hæreditario malo serpere in paucis, ut perveniat ad plurimos*; & in Commentar. in Psalm. 89. ubi dogmati huic hæreseos nomen inurit, quemadmodum & in Comment. in Jerem. 29. aliisque locis, quos brevitatis gratia prætermitto: castigaverat & Orosius in Commonitorio ad Augustinum, & Augustinus in libello contra Priscillianistas & Origenistas, cap. 8. & 11. & libr. 11. de Civit. Dei, cap. 23. ubi confictas illas de animarum progressibus & regressibus fabulas erudite refellit: castigaverat & Leo Papa in Epist. 11. quæ est ad Julianum Coënsem, & Gennadius de dogmatibus cap. 14. & Leontius in lib. de sectis; maxime vero Cyrillus, qui Theophili patrui sui, non in Alexandrino solum Episcopatu, sed in infenso etiam adversus Origenem odio successor, hanc ejus de animarum origine sententiam, Johannis Evangelium explanans, multiplici

argu-

argumentorum apparatu subvertit. Nec minori studio post Quintam Synodum eandem impugnarunt doctrinam Facundus Hermianensis libr. 1. cap. 6. & Cyriacus Monachus, quem narrat Simeon Metaphrastes dicenti Cyrillo *dogmata de præexistentia & restitutione in eundem statum* ab Origenistis quasi *media & ab omni periculo aliena haberi*, respondisse: *Nequaquam esse media, & vacare periculo dogmata de præexistentia; imo esse lubrica potius & periculosa.* Impugnavit & Antipater Bostrenus scriptor ætatis mihi nondum compertæ, in dissertationibus adversus Origenem, quas Eclogis suis intexuit Johannes Damascenus. Damnatur ea quoque in Origene à Synodo Quinisexta Can. 1. & à Sophronio Hierosolymitano in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum, ab Isidoro, Johanne Damasceno, Georgio Syncello, Cedreno, Suida, Niceta, Vincentio Bellovacense, Nicephoro, & Guidone Carmelita, qui multis eam refellit.

Eclog. Joh. Damasc. Tit. περὶ ἀποβολῆς τῶν εἰς καὶ ἀφετὸν βιοπευσάντων.

Isid. Orig. l. 8. cap. 5. Joh. Damasc. l. 2 orth. fid. c. 12. & l. 4. c. 6. Georg. Syncell. in Excerpt. Chronogr. Cedr. in Comp. Hist. Suidas in Origene Nicet. Thes. orth. fid. l. 4. Hær. 31. Vinc. Bell. spec. doctr. l. 18. c. 43. Nicephor. lib. 17. p. 27 Guido Carmel. in Summ. de hæres.

VII. Platoni porro hic quoque regendum se Adamantius præbuit. Ille autem in Phædone, & Epinomi, & libr. 10. de legib. & in Timæo, aliisque locis, doctrinam hanc disertissimis explicat verbis, quam magna subinde Veterum pars arripuit. Nec hujus sane fuit ipse sententiæ architectus; eam quippe multo prius propugnaverant Pythagoras & Empedocles. ἢ εὐλογώτερον, inquit Origenes lib. 1. contr. Cels. ἑκάστην ψυχὴν καλά τινας ἀποῤῥήτους λόγους λέγω ὑπὸ ταῦτα νεῦ κῇ πυθαγόραν, καὶ πλάτωνα, καὶ ἐμπεδοκλέα, ὃς πολλάκις ὠνόμασεν ὁ κέλσος. εἰκαιρομείην σώματι καθ' ἁξίαν, εἰκρίνεδς ἀ κῇ τὰ πρότερά ἤδη; & Hieronymus Epist. 82. quæ est ad Marcellinum & Anapsychiam: *Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ, imo maxime Ecclesiasticæ quæstionis: utrum lapsa de cælo sit, ut Pythagoras Philosophus, omnesq; Platonici, & Origenes putant.* Simile nanciscaris in Epistola Justiniani ad Quintam Synodum, & apud Nicetam in Thesauro orthod. fid. libr. 4. Hær. 31. Sed & ipso Pythagora antiquior Orpheus animam in corpore puniri dixit. Testatur id Plato in Cratylo, ubi & vocis σῶμα originationem petit à σῆμα. Locum refert Clemens Alexandrinus Strom. libr. 3. atque item alterum Philolai Pythagorici, qui idipsum ex veteribus Ethnicorum Theologis & Vatibus adstruit. Merito itaque Harmenopulus in libro de sectis, & Elias Cretensis Nazianzeni Interpres è Græcorum fontibus sententiam suam Origenem hausisse dicunt.

VIII. At eam tamen quo Christianis approbaret, non rationibus duntaxat, sed quæsitis etiam Scripturæ sacræ testimoniis fulcire conatus est, qui nobis à Patribus exhibentur. Atque hos quidem refert Epiphanius in Epistol. ad Johann. Hierosolym. cap. 2. è Psalm. 118. 67. *Priusquam à malitia humiliarer, ego deliqui:* è Psalm. 114. 7. *Revertere anima mea in requiem tuam:* è Psalm. 141. 8. *Educ de carcere animam meam:* & è Psalm. 114. 9. *Confitebor Domino in regione vivorum.* Apponit & istum Hieronymus in Epist. ad Demetriad. cap. 9. è Johan. 9. 2. *Iste peccavit, ut cæcus ex utero nasceretur, an parentes ejus?* & illos præterea lib. 1. Comment. in Epist. ad Ephes. 1. 4. è Psalm. 119. 5. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea:* è Rom. 7. 24. *Miser ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & è Philipp. 1. 23. *Melius est reverti, & esse cum Christo.* & è Psalm 89. 1. 2. *Domine refugium factus es nobis in generationem & generationem: antequam montes firmarentur, & fieret terra, & orbis terrarum.* Apponit & illum in Ephes. 1. 17. è Psalm. 21. 28. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum omnes fines terræ.* Ex hoc denique Johan. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, caussæ suæ robur Origenem vel Origenistas accersivisse dicit Cyrillus in eundem Johannis locum.

IX. Sed manifesto repugnat illud Zachariæ 12. 1. *Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo*; quod commento huic Origeniano à nonnullis oppositum est: repugnat & illud Johannis 9. 3. *Respondit Jesus, neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo:* unde mirari subit stuporem Origenis, qui præcedens istud comma: *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* in sui delirii defensionem usurpavit: ad voluntatem quippe Dei caussam cæcitatis illius referens Christus, ansam omnem abstulit detorquendæ illius ad peccata vitam præcedentia. Apertius etiam repugnat illud, Rom. 9. 11. & seq. quod ad subruendam hanc Origenis opinationem usurpat Augustinus in Epistola ad Optatum Milevitanum: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus miserebor; & misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quæ licet Origenis fabulas funditus labefactent; hæc tamen ipsa Pauli verba ad suæ caussæ defensionem adducit libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 9. sed aliter exponit ac vulgo exponi solent. Quod enim ait Apostolus, antequam boni quicquã vel mali egissent (a Deo destinatos, non ex operibus meritos, hic ut diligeretur, ille ut odio haberetur; refert ille ad opera in terris & vita hac admissa, quæ nullam Deo destinationis suæ causam dederint: operum autẽ vitam hanc præcedentium merita nequaquã ab Apostolo infrin-

A fringi ac tolli arbitratur. *Igitur*, inquit, *sicut de Esau & Iacob diligentius perscrutatis Scripturis invenitur quia non est injustitia apud Deum, ut antequam nascerentur, vel agerent aliquid in vita hac, diceretur quia major serviet minori: & ut invenitur non esse injustitia, quod & in ventre fratrem suum supplantavit Iacob, sed ex præcedentis videlicet vitæ meritis digne eum electum esse sentiamus à Deo, ita ut fratri præponi mereatur: ita etiam*, &c. Rem putasse videtur eodem modo, Paulinum hunc locum interpretans Tom. 2. in Joh. p. 78. Nec aliter intellexisse eum verisimile est alterum istum 2. Tim 1, 8. 9. placito licet ipsius ex adverso oppositum: *Collobora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.*

X. Verumtamen perspicuis licet convicta sint Scripturæ testimoniis hæc decreta,
B nihilo secius adstipulatores habuit complures Adamantius: nam præter Pamphilum Apologiæ auctorem, qui in eam inclinare videtur sententiam, eamdem affectatur Clemens Alexandrinus Stromat. libr. 1. & clarius etiam libr. 3. In Eclogis quoque animam tradit in uterum immitti ὑπό τινων τῇ γενέσει ἐφεστώτων ἀγγέλων. Pierium etiam Alexandrinum, qui alter Origenes cognominatus est, animarum προϋπαρξιν defendisse testatur Photius Cod. 119. Nemesius in libro de natura hominis, cap. 2. animas hominum olim à Deo procreatas in corpora ab eo mitti existimat, cum ad eas suscipiendas idonea & informata sunt. Ecclesiasticis quibusdam persuasum fuisse narrat Hieronymus Epist. 82. ad Marcellinum, animas olim conditas in thesauro Dei haberi; quam opinionem ab Origeniana secernit. Ipse vero libr. 1. Comment. ad Ephes. in cap. 1. vers. 4. & 5. commenti hujus capita & pro-
C pugnacula accurate scrutatur, & in comma 17. capitis ejusdem, ἐπίγνωσιν inter, & γνῶσιν illud ait interesse discriminis, quod rerum quas numquam scivimus, sit γνῶσις, rerum vero quarum prius obliti recordamur, ἐπίγνωσις, propterea que Paulum Ephesiis optare spiritum revelationis in agnitione Dei, id est ἐν ἐπιγνώσει, quod prius in cœlesti vita Deum noverimus, ejusque de cœlis in terras migrando obliti, iterum per revelationem cognoscamus: & lib. 2. eorumdem Comment. in Ephes. 3, 1. legi ait multis in locis Paulum idcirco vinctum dici, quod anima ejus tanquam in carcere, sic in corpore clausa teneatur: deinde addit alio sensu id ab aliis accipi, nempe quod Paulus ex utero matris suæ ad convertendas Gentes prædestinatus, vincula postmodum carnis acceperit: & in Philem. 23. ubi Epaphram *concaptivum* suum Paulus appellat, in verbo captivitatis, juxta nonnullos, reconditum aliquid
D latere dicit Hieronymus, *quod capti pariter & vincti in vallem hanc adducti sint lacrymarum.* Quæ cum interposita nulla confutatione vel censura scripsisset, Rufini vexationibus & querelis patuerunt. Verum hujus criminis accusatione absolvere sese conatur Apolog. 1. adv. Rufin. cap. 5. & 6. idemque in Rufinum crimen obscure regerit Apolog. libr. 2. cap. 2, & 4. & libr. 3. cap. 8, & 9. Sed notabile est imprimis quod ait cap. 6. Apolog. 1. *Vinctam dici animam corpore, donec ad Christum redeat, & in resurrectionis gloria corruptivum & mortale corpus, incorruptione & immortalitate commutet, non absurdæ intelligentiæ est.* Anonymus ille apud Photium Cod. 117. qui Origenis defensionem suscepit, Scripturæ sacræ, Patrumque suffragiis. errorem hunc ultro propugnare satagit, nedum illius exprobrationem ab Origene prohibeat. Ab eo sane non plane alienum fuisse Philastrium crediderim: postquam enim hæc dis-
E seruit Hær. 51. *Alia est hæresis quæ dicit hominis animam non factam à Deo appellari animam, sed ante, inquit, intellectus vocabatur, & erat in cœlo: postea autem quia terrena desideravit, discessisse eam de cœlo, & ex eo eã animã nuncupitam arbitrantur*: quæ penitus Origeniana sunt. Mentē suā deinde prodit his verbis: *Ignorantes quod in principio facta à Deo, & creata post Angelos anima est appellata à Domino, hocque nomen proprietatis accepit à Deo, ut anima non intellectus vocaretur.* Atque hæc Scripturæ postmodum testificationibus comprobat. Denique vitio dat Tertulliano Au- *Aug. lib. de Hæres. ad Quodvult deum.*
gustinus, quod animas hominum nequam post obitum in Dæmones converti asseruerit. Quamobrem Domitianus Galata Ancyranus Episcopus in Epistola ad Vigilium Papam, ad-
versus Origenis hostes hæc conqueritur, referente Facundo libr. 4. c. 4. *Prosiluerunt ad anathematizandos sanctissimos & gloriosissimos Doctores. Sub occasione eorum quæ de præexistentia & re-*
F *stitutione mota sunt, dogmatum, sub specie quidem Origenis, omnes autem qui ante eum, & post eum fuerunt, Sanctos anathematizantes.*

XI. Nempe de animæ Origine ac sorte nihil adhuc fuerat ab Ecclesia decretum. *De anima vero*, ait Origenes in Procem. libr. περὶ ἀρχῶν, *utrum ex semine traducis ducatur, ita ut ratio ipsius, vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur; an vero aliud habeat initium: & hoc ipsum initium, si genitum est, an non genitum; vel certe si intrinsecus corpori inditur, nec ne, non satis manifesta prædicatione distinguitur*: qui locus profertur in supposititio Dialogo sub Hieronymi & Augustini nomine, qui habetur inter Spuria Hieronymi; & in Opere de Deitate & Incarnatione Verbi ad Januarium qui Tomo Augustini quarto subnectitur, libr. 1. cap. 2. & profertur utrobique ipsis Rufini verbis. Idem in Epist. ad Rom. *Si etiam extra corpus positi vel sancti qui cum Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum, qui*

salutis nostræ ministeria procurant; vel rursum peccatores etiam ipsi extra corpus positi agunt aliquid A
secundum propositum mentis suæ, Angelorum nihilominus ad similitudinem sinistrorum, cum quibus & in æternum ignem mittendi dicuntur à Christo: habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria. Quin & Homil. 2. in Cantic. Cant. animam unamquamque in sua ipsius cognitione comparanda eniti debere sanciens, varias super ea ac contrarias enumerat opiniones, quas discutere ac ventilare animam jubet, & in verisimilioribus acquiescere. Sic autem eas animæ expendendas dedit, ut in utramque partem de illis disputare, & rationi magis consentaneas eligere hoc tempore licuisse videatur. Hinc libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. postquam multis disseruit de anima, & excussa à nobis superius placita proposuit, subjicit illud tandem: *Verumtamen quod diximus mentem in animam verti, vel si qua alia in hoc videntur aspicere, & discutiat apud se qui legit diligentius, & pertractet: à nobis tamen non* B
putentur velut dogmata esse prolata, sed tractandi more ac requirendi esse discussa: & paulo post: *Hæc prout potuimus de rationabili anima discutienda magis à legentibus, quam statuta ac definita protulimus.* Atque hæc est summa defensionis Pamphili. Quam ut validius confirmet, aliis fere de rebus tractasse Origenem dicit; de anima, utpote incertæ originis, & parum compertæ naturæ, nihil scripsisse. Tum ex libro in Epistolam ad Titum illustrem adducit Origenis locum, quo exemplum eorum afferens quæ Apostolicis traditionibus nequaquam determinata, absque hæreseos nota poterant vel respui vel admitti, quæstionem proponit de anima: *Cum de ea,* inquit, *neque quod ex semine traducis ducatur, neque quod honorabilior, & antiquior corporum compage sit, tradiderit Ecclesiastica regula;* quorum alterutri qui fuissent assensi, velut novis studentes rebus in suspicionem venisse dicit; at eos temeritatis damnat, qui hac quem- C
quam de caussa suspectum haberent. Ad hæc adjicit Pamphilus alias de anima opiniones Origeniana longe absurdiores esse & ineptiores: inter quas priore eam loco ponit, quæ Catholicæ Ecclesiæ sanctionibus hodie recepta est. Addit deinde haudquaquam damnandum esse Origenem, cum ea servaverit quæ tunc super ea quæstione servanda præceperat Ecclesia, animas nimirum ejusdem esse substantiæ, immortales, rationis participes, libero præditas arbitrio, à Deo conditas. Subjungit denique: *Quando autem factæ sint, olim simul, an nunc per singulos nascentium, quid periculi est alterutrum è duobus opinari?* Quid quod Origenes Tom. 2. in Johann. p. 76. animarum προϋπαρξιν universali opinione approbatam dicit? ἐὰν ὦ, inquit, κρατῇ ὁ καθόλου περὶ ψυχῆς λόγος, ὡς ἐσωεσπαρμένης τῷ σώματι, ἀλλὰ προϋπαρξάσης, καὶ δι' ἃ ποικίλας αἰτίας ἐνδυομένης σαρκὶ καὶ αἵματι, & cætera. D

XII. Nec Origenis modo temporibus, sed recentioribus etiam incerta fuit in Ecclesia animæ origo & natura. Ætate quidem sua diversa sensisse de anima Ecclesiasticos omnes scribit Pamphilus in Apologia. Hieronymus Epistol. 82. quæstionem sibi super animæ statu à Marcellino & Anapsychia propositam recitat, ex qua intelligas, quantis tenebris fuerit tunc temporis circumsessa quæstio de anima: *Super animæ statu,* inquit, *memini vestræ quæstiunculæ, imo maximæ Ecclesiasticæ quæstionis: utrum lapsa de cœlo sit, ut Pythagoras Philosophus, omnesque Platonici, & Origenes putant; an à propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispaniæ Priscilliani hæreses suspicantur; an in thesauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt: an quotidie à Deo fiant, & mittantur in corpora, secundum illud quod in Evangelio scriptum est: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: an certe ex traduce,* E
ut Tertullianus, Apollinarius, & maxima pars Occidentalium autumant; ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat. Augustinus libr. 3. De libero arbitrio, cap. 20, & 21. quæstione illa prætermissa, utrum animæ ex propria Dei substantia profectæ sint, reliquas quatuor recenset his verbis: *Harum autem quatuor de anima sententiarum, utrum de propagine veniant; an in singulis quibusque nascentibus novæ fiant; an in corpora nascentium jam alicubi existentes, vel mittantur divinitus, vel inde sua sponte labantur, nullam temere affirmare oportebit.* Atque has ipsas esse sententias, quæ ab Hieronymo relatæ sunt, testificatur ipse Augustinus in Epist. ad Hieronymum, de ratione animæ. Toto certe vitæ suæ decursu incertus in eo argumento Augustinus fluctuavit. Extant insignes ejus ad Hieronymum & Optatum Epistolæ, unde hæsitationem ejus, cunctationemq; cognoscas; quam F
& aliis præterea locis prodidit, puta libr. 6. & 10. de Genesi ad literam, & alibi. Septimi quidem hujus libri c. 6. materiam quamdam spiritalem initio molitum esse Deum conjectat, è qua hominum animæ formatæ subinde ac fictæ sunt: *Fortasse potuit,* inquit, *& anima, antequam ea ipsa natura fieret, quæ anima dicitur, cujus vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritualem, quæ nondum esset anima; sicut terra, de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro:* & 1. Retract. *Nam quod attinet ad animi originem, qua sit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primum creatus, quando factus est homo in animam viventem, an similiter fiant singulis singulæ, nec tum sciebam, nec adhuc scio.*

Nempe utrimque Scripturæ testimoniis pugnabatur. Qui tuebantur animarum προϋπαρξιν, adversus eos qui animas tunc creari volebant, cum præparatis corporibus erant inseren-

A inserendæ, hoc Genes. 2. 2. intentabant: *Et requievit* (Deus) *die septimo ab universo opere quod patrarat.* Contra prætendebant adversarii illud Johann. 5. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*; quod ad providentiam, non ad creationem alii referebant. Videndus Nemesius libr. De natura hominis, cap. 2. & Augustinus in laudata ad Hieronymum Epistola. Nulli igitur mirum esse debet scripsisse Gregorium Magnum Epistolar. libr. 7. Indict. 2. Epist. 53. quæstionem de anima Patribus solvi non posse visam esse, cum ne ipsius quidem temporibus ecqua è reliquis opinionibus pro certa haberetur, Ecclesia præscripsisset. Unde falsum esse apparet, quod ait Justinianus in Epistola ad Synodum Constantinopolitanam, quam exhibet Cedrenus: ἡ ὁ ἐκκλησία τοῖς θείοις ἑπομένη λόγοις φάσκει ψυχὴν σωματωθῆναι τῷ σώματι· καὶ ὁ τὸ μὲν πρότερον, τὸ δὲ ὕστερον, κἀγὼ δὲ εὐχόμενος φρενοβλαβείαν. *Ecclesia autem divinis obsecuta sermonibus dicit animam cum corpore procreari; non vero hoc*
B *prius, illud vero posterius juxta Origenis dementiam.* Quid si dicamus igitur Quintam Synodum non ideo præcise damnasse Origenis sententiam, quod animarum defenderet προϋπαρξιν, sed quod Mentes præterea fuisse illas traderet, & sanctas Virtutes, quas cum contemplationis divinæ satius cepisset, in deterius esse conversas, & ab amore Dei refrixisse, indeque ψυχὰς esse dictas, & in corpora tutelæ causa dimissas: sic enim habet Justiniani anathematismus secundus.

XIII. Animas quando conditas putaverit, vidimus: quales ipsas censuerit, corporatas, an corpore carentes, videamus. Hæc superflua sane videatur esse quæstio, si quæ de Angelis scripsimus, attendantur: prolixa enim disputatione declaravimus, naturis quibuslibet ratione instructis corpora Origenem tribuisse. Strictim ergo pauxillum quiddam hic delibaC bimus, quod illic consulto prætermissum, in hunc locum conjecimus; illud nimirum: cum corpore constare animas existimaverit Adamantius, cujusnam eas finxerit corporationis, an Angelicæ similis, an crassioris, & ad illam Dæmonum, quam Angelica spissiorem ostendimus, propius accedentis. Ac naturas rationales diximus pro meritis, crassioribus, tenuioribusve illigari corporibus: cum animæ autem Angelis virtute sint inferiores ac meritis, crassioris esse corporaturæ ac Angelos dicendum est. Origenes libr. 2. περὶ ἀρχῶν, c. 2. *Ut ergo superius diximus, materialis substantia hujus mundi habens naturam, quæ ex omnibus ad omnia transformatur, cum ad inferiores quosque trahitur, in crassiorem corporis statum solidioremque formatur, ita*
ut visibiles istas mundi species, varias que distinguat: cum vero perfectioribus ministrat & beatio-
ribus, in fulgore cœlestium corporum micat, & spiritalis corporis indumentis vel Angelos Dei, vel
D *filios resurrectionis exornat: ex quibus omnibus diversus ac varius mundi completur status,* & capite sequenti: *Possibile enim videtur ut rationabiles naturæ, à quibus nunquam aufertur liberi facultas arbitrii, possint iterum aliquibus motibus subjacere, indulgente hoc ipsum Domino, ne forte si immobilem semper teneant statum, ignorent se Dei & non sua virtute in illo fine beatitudinis constitisse.*
Quos motus sine dubio rursum varietas corporum, & diversitas persequitur, ex qua mundus semper adornatur; nec unquam poterit mundus nisi varietate ac diversitate constare, quod effici nullo genere
possit extra materiam corporalem.

XIV. Excusando autem dogmati huic, quo animis corpora adscribit, contra quam in Ecclesia hodie creditur, appositum est illud è Proœmio librorum περὶ ἀρχῶν. *Deus*
E *quoque quomodo intelligi debeat, inquirendum est, corporeus, an secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturæ quam corpora sunt, quod utique in prædicatione nostra manifeste non destignatur. Eadem quoque hæc de Christo, & de Spiritu sancto requirenda sunt; sed & de omni anima, atque omni rationabili natura nihilominus requirendum est.* Quæ requiri jubebat Origenes, ea profecto Ecclesiæ decretis definita non erant. Unde non Origenis ætate duntaxat idem Tertulliano de anima visum est, sed & plurimis quoque dein Ecclesiæ Patribus: puta Hilario in Matt. Can. 5. ubi *animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiri* prædicat: & Ambrosio libr. 2. de Abraham, cap. 8. ubi, præter S. Trinitatem, corporibus reliqua constare asserit: & Cassiano Collat. 7. cap. 13. ubi animas spirituales quidem esse fatetur, incorporeas negat; & his an-
F tiquiori Theodoto in Excerptis ad Clementis Alexandrini calcem adjectis, ubi animas hominum corporeas esse affirmat: & Methodio ipsi Origenis adversario apud Photium Cod. 234. ubi animas esse ait corpora ποιὰ, in membra ratione adspectabilia discretas. Ipse etiam Augustinus opinioni huic licet infensus, aliquo tamen sensu animam corpus esse fatetur Ep. 28. At ab eo discessit Faustus Reiensis, animisque corpora palam affinxit, quem tribus libris errorem ultus est Claudianus Mamertus.

Magis illud vero ad excusandum Origenem conferre posset, quod scriptum ab eo est Homil. 1. in Genes. ubi hominem, qui de limo terræ fictus est, corporeum hominem esse dicit; qui autem ad imaginem Dei conditus est, spiritalem esse eum & crassum corpore; illum exteriorem hominem esse, hunc interiorem. *Si qui vero hunc corporeum putent esse, qui*

ad imaginem & similitudinem Dei factus est, Deum ipsum corporeum, & humanæ formæ videtur inducere; quod sentire de Deo manifestissime impium est: & libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. *Si qui autem sunt qui mentem ipsam animamque corpus esse arbitrentur, velim mihi respondeant, quomodo tantarum rerum tam difficilium, tamque subtilium rationes, assertionesque recipiat? unde ei virtus memoriæ?* & in Protreptico ad Martyrium: ἔτι ὁ καὶ φιλοζωεῖ ἄνθρωπος, πεῖσμα λαβὼν περὶ οὐσίας λογικῆς ψυχῆς, ὡς ἐχούσης τι συγγενὲς θεῖον, τοιρὰ δὲ ἑκάτερα καὶ ἀόρατα, καὶ ὡς ὁ ὄπικρατὴς ἀποδείκνυσι λόγος, ἀσώματα· & libr. 6. contr. Celsum: καὶ ὁ ἡμᾶς καὶ τὴν λογικὴν ψυχὴν πειρώμενος ἀποδεικνύναι κρείττονα πάσης σωματικῆς φύσεως, καὶ οὐσίαν ἀόρατον καὶ ἀσώματον· & in Luc. 11. 34. è Catena Mazarinæ Bibliothecæ: ὅπως εἰπεῖν εἰ δυνατὸν προπολογήσαι ἀκολούθως τῷ ὀφθαλμῷ καὶ τὸ σῶμα, ὥστε ἄλλο μέν ἐστι ψυχὴ, καὶ μὴ σωματικὴ τυγχάνη, φάσκειν νῦν λέγειν τὸ σῶμα· & mox: καὶ μὴ θαυμάσῃς εἰ ἐν τῷ ὁ λυχνὸς τὸ σῶμα τός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός, προπολογικῶς τὸ σῶμα ἐστὶ τὸ ψυχῆς λαμβάνεται, καίτοι γε τῷ ἰδίῳ λόγῳ ὄντας ἀοράτους καὶ ἀσωμάτους καὶ γὰρ τὴν εἰκόνα γέγονε τοῦ ἀοράτου θεοῦ. ἐπείπερ προπολογικῶς καὶ τὰς δυνάμεις τὸ ψυχῆς εὐείσκομεν ὁμωνύμως τοῖς σωματικοῖς μέρεσιν, ὅσα σώματα ὀνομαζομένας. Atque hæc sunt ejusmodi, ut cum superioribus perinde conciliari non possint, ac quæ de Angelis scripserat, corpus ipsis nonnumquam imponens, nonnumquam detrahens. Diximus enim pro respectus diversitate varie locutum de Angelorum corporibus Origenem, eosque respectu Dei corporatos dixisse, respectu mundi hujus aspectabilis corpore carentes. Hic autem Dei ipsius respectu animas corpore carere dicit, ut pote quæ ad ejus imaginem conditæ sint. Ad hæc Hieronymus Epist. 59. ad Avit. c. 2. adducit verba hæc Origenis ex fine libri 2. De princip. *Cumque in tantum profecerimus, ut nequaquam carnes & corpora, forsitan ne animæ quidem fuerimus, sed mens & sensus ad perfectum veniens, nulloque perturbationum nubilo caligans, intuebitur rationabiles, intelligibilesque substantias facie ad faciem*: quæ more suo pervertit Rufinus. Parem supra memoratis ratiocinationem è libro 3. De princip. adducit Hieronymus ejusdem Epistolæ c. 3. necessarium scilicet esse alterutrum, ut vel incorporei fiamus, si Deo similes esse studemus, vel ut similitudinem Dei non speremus, si eadem corpora semper habituri sumus: & in Epistol. 61. ad Pammach. cap. 5. dixisse ait Origenem in libris περὶ ἀρχῶν, *Solem, & Lunã, & omnium astrorum chorum esse animas rationabilium quondam & incorporalium creaturarum.* Deniq; Sophronius Hierosolymitanus in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum, quæ habetur in Action. 11. Synod. 6. alia Origeni crimina objiciens, eo ipsum liberat: ἀλλ' ὡς ἐπειδήπερ, inquit, αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ θεῖς χάριτι ἢ φθορὰν ἀπώσαντο, πᾶν πασ'ῃ κλίσῃ φύσει ἐμφωλεύσασαν. δι' ἃ τοῦτο καὶ πρὸ σωμάτων αὐτὰς ὑποπιεύσομεν, ἢ πρὸ τῆ ὁρωμένῃ κόσμῃ παγγωνῆς καὶ συμπήξεως ἐν αἰδίῳ τινὶ ζωῇ τελεῖν ὑποκόσμῳ, καὶ βίον ἔχειν ἑράνιον φύσομεν, ἀσαρκόν τε καὶ ἀσώματον ζώσας ζωὴν ἢ ἄϊδιον ἐν ἑαυτῷ ποτε μὴ ὑπάρχοντι, ὡς ὠφελήσῃς ὁ πρόνοφορος βούλεται), καὶ ὁι τότε συμμύσαι καὶ σύμφρονες δίδυμος, καὶ εὐάρεστος, καὶ ὁ λοιπὸς αὐτῷ μυθομίεμνος ὅμιλος. *Sed non idcirco quod hominum animæ gratia Dei corruptionem repulerunt, quæ omnibus creaturis naturaliter insidet; ideo & ante corpora eas fuisse suspicabimur, vel ante hujus visibilis mundi prolationem, atque compaginem in sempiterna quadam vita positas arbitrabimur, vitamve habuisse cœlestem asseremus, incarneam seu incorpoream vitam viventes perpetuam in cœlo aliquando non existenti, sicut Origenes insanus constituit, & hujus symmystæ, atque sectatores Didymus, & Evagrius, & reliqua earum fabularum excogitatrix sodalitas.* Ex his liquet, quanta fuerit Origenis in utramque partem fluctuatio: sed in eam tamen magis propendere visus est, quæ animæ corpus adscribit. Certe Stephanus Gobarus Tritheita apud Photium Cod. 232. dogmata plerague, sed fere tamen Origeniana propugnans & impugnans, tricesimo loco illud expendit: ὅτι σώματά εἰσι νοερὰ αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ, καὶ διατετυπωμέναι καὶ τὸ φαινόμενον ἔξωθεν τοῦ σώματος σχῆμα· καὶ ἐκ τοῦ ἀντικειμένου ὅτι ἀσώματός ἐστιν ἡ ψυχὴ, καὶ σωματικοῖς ἐχ' ὑπόκειται τύποις· *Animæ hominum sunt corpora intelligibilia, & eadem figura sunt qua forma exterior corporis. Et è contrario: incorporea est anima, & incorporeis non subjicitur figuris.*

XV. Porro animis corpora affingens Origenes ducem suum ac dictatorem Platonem deseruit, qui corporaturam sustulit ab animis: at alios tamen ex antiquis Philosophis, quos sequeretur, habuit complures. Horum si quis placita de anima velit cognoscere, legat Tertulliani librum de anima, cap. 5, 6, & 7. & Nemesium libro de natura hominis, cap. 2. & Ciceronem libr. 4. Academic. At locum quemdam Methodii satis intricatum & obscurum præterire non decet, quo Origenis decretum de animis corporeis nititur convellere. Habetur ille apud Photium Cod. 234. Hic ergo primum Origenis recitat verba, quibus ait, si demonstrationibus corpore animam ex sese carere probetur, fatendum esse alienum eam & ascititium corpus induere, prioris cui in terris conjuncta fuerat simile. His Methodii censuram subnectit Photius: πρὸς ταῦτα, inquit, ὁ ἅγιος τάδε φησὶ· σχῆμα ἀλλοιόμενες τῷ αἰῶνι τούτῳ μὴ ἔντεῦθεν ἐκδημίαν ἔχειν ὀντιδείκνυσι πῶς ψυχὴ, ἀσώματον ὑπό τι πλατωνικῶς ἀποφαίνει αὐτήν· Quæ sic interpretanda sunt: *Ad illa vir sanctus*, Methodius nimirum, *hæc ait.* Sequuntur deinde verba ipsa Methodii à Photio αὐτολεξεὶ descripta, non ab eo αὐτοπροσώπως recitata: *Figuram aliam consimilem sensili huic, postquam hinc excessit, habere*

ira-

A *tradens animam, incorpoream esse aliquo pacto Platonice ipsam affirmat.* Hæc ait Methodius de Origene, non Photius de Methodio, qui deinde probat ex hac Origenis opinatione consequi corpore animam carere; quia si post excessum è vita corpore tanquam vehiculo & veste indiget, utpotè quæ nuda comprehendi non possit, utique corporea non est: (valeret enim aliquin eadem argumentatio, qua adversus Vincentium Victorem, animam corpoream esse statuentem usus est Augustinus libr. 1. de anima, cap. 5. *Quod vero eam non spiritum, sed corpus esse contendit, quid aliud vult efficere, quam nos non ex anima & corpore, sed ex duobus vel etiam tribus constare corporibus? Cum enim spiritu, anima, & corpore constare nos dicit, & omnia hæc tria corpora esse asserit, profecto ex tribus corporibus nos putat esse compactos. In qua opinione quanta eum sequatur absurditas, illi potius quam tibi demonstrandum puto.* Cùm ergo animæ corpus ad-
B ventitium superadderet Origenes, incorpoream ab eo ipsam necessario haberi Methodius concluſit. Pergit deinde; si incorporea anima est, affectionibus immunis est, nec alieni corporis & mutuatitii motibus obnoxia. Sin affectionibus corporis percellitur, utique incorporea non est. At una cum corpore mala vel bona patitur, ut eorum qui post mortem videndos se præbuerunt, testimonia confirmant: anima igitur corporea est. Sic itaque ad absurdum & ἀδύνατον Origenem adigit Methodius, animam ex ejus dictis corpoream esse & incorpoream demonstrans. Sensum denique suum ipse aperit, animas corpora esse dicens intelligendi facultate prædita, membris ratione solum aspectabilibus instructa, non quæ adventitio corpore sint induta, sed quæ natura suapte corpora sint. Vera hæc est & genuina
C loci hujus expositio, quam idcirco persecutus sum, ut ne ab infensissimo quidem Adamantii adversario vitio datum fuisse Lector intelligat, quod ab aliis ei fere objectum est, animæ scilicet corpus eum addidisse; sed veriorem è contrario sententiam suggillasse in eodem Methodium, cum deteriori ipse adhæserit.

XVI. Proferendus quoque hic est alter Methodii locus, ex libro de resurrectione à Photio decerptus, unde proxime laudatus itidem petitus est: ἄνθρωπος, φησὶ, λέγεται κατὰ φύσιν ἀληθέστατα, ὅτε ψυχὴ χωρὶς σώματος, καὶ ὅτ' αὖ πάλιν σῶμα χωρὶς ψυχῆς. ἀλλὰ τὸ ἐκ συστάσεως ψυχῆς καὶ σώματος εἰς μίαν τε καὶ καλὴν μορφὴν συντεθὲν· ὁ δ' ὠφελήσης τὴν ψυχὴν μόνον. ἔλεγεν ἄνθρωπον, ὡς ὁ πλάτων· *Homo, inquit, ex natura sua verissime dicitur neque anima sine corpore, neque rursum corpus sine anima; sed quod ex coalitione animæ & corporis in unam pulchri formam conflatur. Origenes autem animam solam, hominem esse dixit, quemadmodum & Plato.* Prostat hic quoque lo-
D cus Methodii apud Epiphanium Hær. 64. cap. 17. sed his postremis truncatus verbis: ὁ δ' ὠφελήσης τὴν ψυχὴν μόνον ἔλεγεν ἄνθρωπον, ὡς ὁ πλάτων· Eane de suo addiderit Photius, an detraxerit Epiphanius, qui totam Methodii disputationem in epitomen contraxit, dictu facile non est. Adde pro eo, ὁ δ' ὠφελήσης, contrariam lectionem Photinianum quemdam eodicem exhibere; eam scilicet, ὁδ' ὠφελήσης. Nec mirum foret à Platone Origenem recedere, quem ab eodem recessisse mox vidimus, cum de animis, corporeæne an incorporeæ essent, quæreretur.

At fatendum tamen est Origenianorum dogmatum cohærentiam eo nos compellere, ut anima sola constare hominem censuisse Adamantium dicamus. Nam si animæ vinculum & carcer corpus est, qui pars hominem componens existimari poterit? Quam-
E quam alia omnia sequi videtur Homil. 29. in Luc. cum ait: *Omnis homo morti subjacet; iste ergo qui nequaquam moritur, jam non est homo, sed Deus est*: quem locum attulimus supra, cum disputaremus an crediderit Christum hominem esse desiisse postquam mortuus est. Christum ibi jam hominem non esse affirmat, quia morti jam amplius obnoxius non est: quisquis ergo mori non potest, homo non est ex Origenis sententia: at anima humana à corpore sejuncta mori non potest: anima igitur ex decreto Origenis homo non est. Quod absque ambage asserit, hæc verba Psalmi 118. v. 50. interpretans in Catena Corderiana: *Hæc me consolata est in humilitate mea.* ζωὴ ἡ μέλλουσα, inquit, ἔστιν ἀναζώωσις, καθὸ πρὸς ψυχὴν, ἀπ' ἰδίαν ζωὴν, ἀδὲ ἀληθῆ ἔχει) μανθάνομεν, εἴπερ ὁ ἄνθρωπος ἡ ψυχὴ· εἰ γὰρ ἐν τῇ καθ' ἑαυτὴν ζωῇ τὸ ἀληθὲς εἶχε καὶ ζῆν, ὁπ' ἂν ἀναζωώσεως ὁ τεθνηκὼς ἐδεῖτο· διὸ καὶ ὁ κύριος τοὺς τεθνεῶτας θεοῦ ζῆν
F εἶπεν, ὡς ὕπνῳ τὸ ζῆν ἔχοντας, πλὴν ὅσον ἀ δύναμει θεοῦ καὶ ζωοποιήσοντος. καὶ ἀπολωλέναι φησὶν αὐτοὺς, εἰ μὴ τῆς ἀναστάσεως τύχοιεν· Concurrunt hæc adversa fronte cum superioribus, & alterutra cadat accusatio necessum est.

Anima sola constare hominem asseveravit Plato in Alcibiade 1. quem secutus est Plotinus Enn. 1. libr. Hanc sententiam veteres secutus Academicos damnavit Varro, ut est apud Augustinum libr. 19. de Civit. Dei, cap. 3. Instituti vero à Platone Hæretici quidam, sententiamque ejus affectati, Tertulliani castigationem senserunt. Sic enim ille libr. de resurrect. carnis cap. 40. *Nactæ denique hæreses duos homines ab Apostolo editos, interiorem, id est animam; & exteriorem, id est carnem: salutem quidem animæ, id est interiori homini; exitium vero carni, id est exteriori adjudicaverunt, quia scriptum sit Corinthiis: Nam etsi homo noster exterior corrumpitur, sed interior renovatur de die & die. Porro nec anima per semetipsam homo, quæ figmento jam homi-*

mini appellato postea inserta est; nec caro sine anima homo, quæ post exilium animæ cadaver inscribi- A
tur. His Hæreticis assensus est Origenes, & post Origenem Arnobius lib. 2. adv. Gent. *Quid enim sumus homines,* inquit, *nisi animæ corporibus clausæ?* & multo post Hugo à Sancto Victore, cum probare vellet toto illo triduo quo Christus jacuit in sepulchro, Verbum hominem fuisse: hac enim ratione utitur, sola anima constare hominem, animæ autem Christi à corpore disjunctæ adhæsisse Verbum, Verbum igitur nihilominus fuisse hominem, quam dum anima corpori esset connexa. Denique opinionem eandem tuitus est proavorum nostrorum memoria Franciscus Georgius Tom. 1. Probl. 26. 27.

Hugo lib. 2 de Sacram. fidei part. 1. cap. 11.

XVII. Credita illa & asserta ab Origene animarum προϋπαρξις earundem quoque μετενσωμάτωσιν cur admitteret, caussæ fuit, ut diximus: nam cum animas pro peccatorum, virtutumve ratione & modo, vel Angelorum consequi dignitatem, vel crassioribus homi- B
num, Dæmonumve corporibus adnecti, & perpetua utentes arbitrii libertate, iterum iterumque vel recte vel male agere posse crederet, necessaria argumentorum consequentia eo adducebatur, ut animas hominum iterum iterumque subire posse fateretur hominum corpora vel Dæmonum. Atque illa est tam decantata, toties exposita Origenis μετενσωμάτωσις, quasi dicas, *Transincorporatio*; quæ & μετεμψύχωσις appellari potest, quod reddere queas, *Transinanimatio.* Pulchre dogmatis utriusque connexionem vidit Gregorius Nyssenus apud Justinianum in Epistola ad Menam Patriarcham, & in Origene reprehendit. Quemadmodum autem dupliciter vox ista, μετεμψύχωσις, vulgo usurpatur, vel pro transitu animæ ex humano corpore in humanum corpus; vel pro migratione animæ ex humano corpore in plantæ corpus vel pecudis, quam propugnavit Pythagoras, quamque peculiari libello Jam- C
blichus confutavit: ita juxta Origenianam doctrinam distinguenda est migratio animæ ratione præditæ è cœlesti, vel humano, vel dæmoniaco corpore in pecudis corpus, & vicissim; à migratione animæ rationalis quæ corpora inter cœlestia, humana, & dæmoniaca, citra belluina, aliave quælibet perficitur. Atque hanc posteriorem tuitum esse Origenem, utpote ex ejus aptam principiis, negari non potest. Unde Anonymus Photii Cod. 117. culpatum eum refert, quod dixerit: ὅτι ἡ τοῦ σωτῆρος ψυχὴ, ἡ τοῦ ἀδὰμ ἦν. *Servatoris animam, ipsam Adami animam fuisse:* quod ita accipio, quæ fuerat Adami anima, eam in corpus Servatoris multis post sæculis transisse. Unde & Theophilus Origenem dixisse ait, hominem crebrius mori; quod non aliter intelligo, quam animas sæpenumero è corporibus in corpora transire, & μετενσωματώσεις. D

XVIII. Verum priorem quoque μετεμψύχωσιν, quæ Pythagorica est, tenuisse illum Veteres multi vociferantur. Crimini id ipsi datum fuisse narrant Pamphilus in Apologia, & sæpe laudatus Anonymus Photii. Hieronymus cujus verba supra recitavimus ex Epist. 59. ad Avit. cap. 1. 2. & 4. & libr. 2. Apolog. adv. Rufin. cap. 4. Origenem incessit erroris ejusdem nomine, quem lib. 1. περὶ ἀρχῶν haberi dicit. Loca ipsa Origenis descripsit Justinianus ad calcem Epistolæ ad Menam, quæ cum in his libris hodie non compareant, verisimile est à Rufino fuisse suppressa. Pepercit nomini Origenis Philastrius, rem ipsam tetigit, atque hoc argumento confutavit, quod anima postquam corpore soluta est, in locum statutum deducatur ab Angelo, ut pro meritis suis exornetur.

XIX. Recte quidem accusationi suæ consuluit Justinianus, cum Origenis verba ipsa de- E
scripsit, quibus absurdum illud & impium dogma continetur; tam frequentibus quippe & apertis testimoniis alibi repudiavit illud Adamantius, & damnavit, vix ut in animum inducere possim, hominem, non jam dico summa florentem eruditione & ingenio, sed non væ eordem omnino & insanum, tam repugnantia sibi & contraria uno eodemque ore pronuntiasse. In hoc ipso quippe, quod laudat Justinianus, opere de principiis, lib. 1. cap. ultimo, ita disserit: *Illa sane nos nequaquam recipienda censemus, quæ & à quibusdam superfluo vel requiri vel adstrui solent, id est, quod animæ in tantum sui decessum veniant, ut naturæ rationalis ac dignitatis oblitæ etiam in ordinem irrationabilium animalium, vel bestiarum, vel pecudum devolvantur.* Reliqua studio brevitatis prætermitto, quæ tamen ad rem faciunt. Et libr. 1. de resurrectione, quem locum exhibet Pamphilus: *Sed sicut,* inquit, *non est putandum, quod animalium corpus* F
accepturus sit peccator, aut volucrum, aut piscium; sic neque Solis, aut Lunæ, aut stellarum formam sperandum est accipere eos qui resurgent in gloria: sed exempli causa dicta hæc ab Apostolo sentiendum est, ut designetur per hæc, quod alii pro meritis suis honorabiliores & clariores erunt, beatiora quæque habitacula sorturi: aliorum vero indignissimus & abjectissimus progestorum scelere erit status, qui etiam mutis animalibus dignus sit comparari. Quæ si quis à Rufino vel perversa vel inserta caussetur, quid adversus illud excipiet è libr. 4. contr. Cels. εἰ δὲ λῷ ὀννοήσας (κέλσος) τί ἀκολουθεῖ ψυχῇ ἐν αἰωνίῳ ἐσομένῃ ζωῇ, καὶ τί χρὴ φρονεῖν περὶ τῆς ἀρχῆς αὐτῆς, καὶ περὶ τῆς ἀρχῆν αὐτῆς, ἐν ἄν ἄτῳ διέσυρε τὸ ἀθάνατον εἰς θνητὸν ἐρχόμενον σῶμα. ὃ κ᾽ πλάτωνος μετενσωματωσιν, ἀλλὰ κατ᾽ ἄλλο τινὰ ὑψηλοτέρην θεωρίαν. *Quod si intellexisset* (Celsus) *quid sequatur animam in æterna futuram vita, & quid sit sentiendum de ejus substantia & principiis, non ita suggillasset immortalem in mortale* venien-

A *venientem corpus, non juxta Platonis* μετενσωμάτωσιν, *sed juxta aliam quandam sublimiorem contemplationem.* Scriptionis ejusdem contra Celsum libr. 5. Christianos rejicere tradit; πυθαγόρᾳ τ' ὧδε ψυχῆς μετενσωματωμένης μῦθον. Sed asseverantius libr. 8. ὐδαμῶς μέντοι γε λέγοντες μετενσωματωσιν εἶ ψυχῆς, ϗ κατάπλωσιν 'αυτῆς μίχει τῦ ἀλόγων ζώων, ὅτι ὐδ' ὁμοίως πυθαγόρᾳ, καθ' ἀπεχώμεθά ποτε ζώων, ὐ χρησόμεθα αὐτ ταῖς σαρξί. *Nullo modo scilicet dicentes migrationem animæ fieri de corpore in corpus, & descensum ipsius usque ad brutas pecudes; nimirum non ita ut Pythagoras, etiamsi abstineamus aliquando ab animalibus, ipsorum carnibus non utemur.* Et libr. 5. in Epist. ad Rom. *Sed hæc Basilides non advertens de lege naturali debere intelligi, ad ineptas & impias fabulas sermonem Apostolicum traxit in Pythagoricum dogma, id est, quod animæ in alia atq; alia corpora transfundantur, ex hoc Apostoli dicto conatur adstruere. Dixit enim, inquit, Apostolus, quia ego vivebam sine lege aliquando;* & cætera, quæ Lectori diligenti consulenda relinquo. Paulini hujus loci pravam interpretationem, & ad Pythagoricæ μετενσωματώσεως confirmationem accommodatam damnat iterum libr. 6. in Epist. ad Rom. Idem libro de Proverbiis Salomonis, & Tom. 7. in Matth. (quæ testimonia jacent in Apologia Pamphili) & Tom. 11. in Matth. pag. 228. & 259. Scripturis sanctis & Ecclesiasticæ fidei contrariam esse asserit μετενσωμάτωσιν. Fuse quoque id argumentum prosequitur Tom. 6. in Johan. pag. 104. disquirens, an in Johannis corpus Eliæ anima migraverit; eoque etiam copiosius Tom. 13. in Matth. p. 303. 304. & sequentibus, eandem ventilans quæstionem, hac ratione μετενσωμάτωσιν oppugnat, mundum nusquam interiturum, si animæ propter peccata corpora subeant: id enim si fit, cum semper pro arbitrii sui libertate peccare possint animæ, semper corpora subi-

C turas; semper igitur adfutura corpora; mundum ergo nunquam periturum: quod si prodeuntibus sæculis animæ subinde aliquæ peccato immunes, corporeis vinculis amplius non egent, post diuturnum annorum curriculum, imminuto magis magisque animarum numero, ad perpaucas animas redactum iri mundum; quibus perfectionem consecutis, desiturum tandem, præ animarum quæ corpora subeant inopia; quod refragatur Scripturæ docenti plurimos in mundo futuros mortales, cum Filius hominis adveniet. Pari utitur ratiocinatione Homil. 2. in Cantic. Cant. Nunc æquus Lector existimet, tot tamque claris testimoniis μετενσωμάτωσιν obterentibus, majorne adhibenda sit fides, an iis quæ allegant Hieronymus & Justinianus eandem adstruentibus.

D Verumtamen aliis quoque præsidiis Adamantii caussam fulcire possumus, velut ea sunt quæ nobis Pamphilus subministrat, verba hæc Origeni falso adscripta fuisse dicens, quæ non ex sua, sed ex adversarii persona protulerat, & dissertationem præterea suam his verbis concluisse: *Sed hæc quantum ad nos pertinet, non sunt dogmata, sed discussionis gratia dicta sint, & abjiciantur. Pro eo autem solo dicta sunt, ne videatur quæstio mota non esse discussa.* Quæ repetit etiam Hieronymus & agnoscit Epist. 59. ad Avit. cap. 1. Prodest illud insuper ad defensionem Origenis, quod scriptum ab eo est Tom. 11. in Matth. pag. 259. admittendam μετενσωμάτωσιν, si per eam anima ita intelligatur mutari & converti, ut vel depravatis moribus, & voluntate, non natura pecudi similis evadat; vel virtutibus ac pietate rursum rationis compos fieri videatur. Eadem inest sententia loco alteri è libro de Proverbiis Salomonis, quem Pamphi-

E lus Apologiæ suæ intexuit. Id puncto suo & assensu comprobat Philastrius Hær. 120. Quod ipsum prolixius & elegantius edisserit Gregorius Nyssenus in commemorata superius disputatione, quam Epistolæ suæ ad Menam Justinianus inseruit. Nec aliter de hac Metensomatosi, qua animæ in belluarum corpora transire dicuntur, sensisse Origenem eo mihi fit verisimilius, quod hæc ipsa fuit Platonicorum nonnullorum Metempsychosis. Auctorem damus Nemesium, cap. 2. εἰπόλ☉ γδ, inquit, πλάτων☉ τὰς μὲν θυμικὰς, καὶ ὀργίλας, ϗ ἀρπακτικὰς ψυχὰς, λύκων ☾ λεόντων σώματα μεταμφιέννυσθ, τὰς δ' ἐπὶ τ' ἀκολασίαν ἠχαλκευμένας, ὄνων ϗ τῦ ζιάτων 'αναλαμβάνειν σώματα, ὁι μὲν κυείως ἤκουσαν τὰς λέοντας ϗ τὰς λύκας, καὶ τὰς ὄνους. ὁι δ τροπικῶς 'αυτὸν εἰρηκέναι διέγνωσαν, ☾ ὡδὶ δέ☉ τῦ ζώων παρεμφαίνοντ☾ Et mox: ἰάμβλιχ☉ δὲ τ ἐναντίαν τάξις ὁραμὼν, κατ' εἶδ☉ ζώων ψυχῆς εἶδος εἶ λέγ, ἤγουν εἶδη διάφορα· γέγραπ☉ γοῦν μὴπῶ μονόβιβλον ἐπίγραφον, ὅτι ὡς ἀπ' ἀνθρώπων εἰς ἄλογα, ὡδὲ ἀπὸ ζώων ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους αἱ μετενσωματώσεις γίνον☉), ἀλλὰ ἀπὸ ζώων εἰς ζῶα, καὶ

F ἀπὸ ἀνθρώπων εἰς ἀνθρώπους· καί μοι δοκεῖ μᾶλλον διὰ τ ἕνεκα τότε καλῶς κατεσχάδ☉ μὴ μόνον τ πλάτων☉ γνώμης, ἀλλὰ καὶ τ ἀληθείας αὐτῆς. *Cum enim dixerit Plato iracundas, & furiosas, & rapaces animas, luporum & leonum corpora induere, quæ vero intemperanter vixissent, asinorum, aut aliorum ejusmodi corpora assumere; nonnulli proprie intellexerunt leones, & lupos, & asinos: alii vero figurate hæc ipsum dixisse judicarunt, mores per animalia indicantem.* Et mox: *Iamblichus vero his contrariam decurrens viam, pro animalium specie, animæ speciem esse dicit, species nimirum differentes. Ab eo ergo scriptus est liber singularis ita inscriptus: Migrationes animarum non fieri ex hominibus in bruta, neque à brutis animalibus in homines; sed ab animalibus in animalia, & ab hominibus in homines. Ac mihi videtur ille præ reliquis optime assecutus non Platonis sententiam modo, sed & ipsam veritatem.*

XX. Animarum itaque προϋπαρξιν cum à Platone accepisset Origenes, ipsarum quo-

que

que μετενσωμάτωσιν ab eodem accepit. Ab humanis autem corporibus in humana corpora A
transire animas affirmavit Plato; à cœlestibus vero in humana, ab his in dæmonica migrare animas dixit Origenes: & ut hominum animas eatenus animas pecudum fieri dixit Plato, quatenus nequitiæ addictæ pecudum similes fiunt, ita id ipsum Origenes pronuntiavit. Præiverat Platoni Pythagoras, sed non animorum solum ex humanis corporibus in humana, verum etiam ex his in ferina veras commeationes admiserat. Aliud quoque Pythagoricam inter & Platonicam doctrinam intercessisse discrimen affirmat Servius in illud Virgil. Æn. 3. *Animamque sepulchro condimus. Plato*, inquit, *perpetuam dicit animam, & ad diversa corpora transitum facere statim pro meritis vitæ prioris. Pythagoras vero non* μετεμψύχωσιν, *sed* παλιγγενεσίαν *esse dicit, hoc est redire, sed post tempus.* In quo Platonem quoque, dimisso Pythagora, Adamantius sequitur. At Paganinus Gaudentius cap. 31. in libello de comparatione Dogmatum B
Origenis cum Philosophia Platonis, de Origenis Metempsichosi disserens, in eo differre ait opinionem ipsius à Pythagorica, quod ille pœnas in subterraneis locis luendas ob scelera agnoscat; Pythagoras vero Inferos, Inferorumque pœnas sustulerit, quod falsum est: ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ γραφῇ φησι δι' ἑπτὰ καὶ διακοσίων ἐτέων ἐξ ἅιδεω πᾶσιν ἀνθρώπους. *At ipse etiam in scriptis ait post septem & ducentos annos se ex Inferis ad homines venire*, inquit Laërtius in Pythagora. Ab Ægyptiis autem magistris væsana hac Metempsychoseos doctrina imbuti fuerant Pythagoras & Plato; hinc enim manasse illam commemorat ibidem Servius, & Clemens Alexandrinus libr. 6. Stromat. Hanc hodieque pertinacissime retinent Americani nonnulli, retinent Sinenses plerique, & ex Indis quotquot Muhammedo nomen non dederunt; itaque ab animatorum esu caute abstinent. An ab Indis vero ad Ægyptios C
transierit, an ab his ad illos, res est non parvæ disquisitionis. His fata auctoribus Simonianorum, Basilidianorum, Valentinianorum, Marcionistarum, Gnosticorum, & Manichæorum mentes infecit, in iisque cum ab aliis, tum ab Origene sæpe confossa est. Placuit ea
Cæs. de bell. Gall. libr. 6. quoque veteribus Gallis, ut à Cæsare proditum est. Ne postremis quidem hisce temporibus temperavit sibi Hieronymus Cardanus, vir immoderati ingenii, quin iteratam quandam & repetitam παλιγγενεσίαν introduceret in Dialogo de morte.

QUAESTIO SEPTIMA.

DE LIBERO ARBITRIO, GRATIA, ET PRÆDESTINATIONE. D

I. *Sententia Origenis de libero arbitrio naturæ rationalis, & gratia Dei summatim proponitur.* II. *Eadem fusius explanatur.* III. *In quo positam arbitrii libertatem voluerit.* IV. *Statum naturæ integræ à statu naturæ lapsæ non distinxit.* V. *Utrum & quomodo liberum arbitrium regere putaverit bonos & pravos motus in animo suscitatos.* VI. *Ecquisnam sit ille spiritus adversus quem Paulus carnem ait concupiscere.* VII. *Utrum anima media inter spiritum & carnem dici possit.* VIII. *Quæritur utrum affectus aliqui* E
boni ex carne naturaliter prodeant; & de lege naturæ. IX. *Patres multi ex vi naturæ boni aliquid oriri posse senserunt.* X. *Origenes legi naturæ nimium tribuit:* XI. *quemadmodum & legi Moysis.* XII. *Investigatur ejus sententia de gratiæ auxilio, quam hominibus à Deo impertiri censuit, propter recte ante vitam gesta;* XIII. *& in hac vita mortali.* XIV. *Gratiam excitantem non agnovit.* XV. *Perperam interpretatis quibusdam Scripturæ locis in eam sententiam adductus est,* XVI. *quæ merito reprehenditur.* XVII. *Pauxilla quædam in Origenis favorem colliguntur.* XVIII. *Utrum & quomodo perfectos homines posse non peccare ratus sit.* XIX. *Hujus dogmatis caussa vapulat.* XX. *Utrum post acceptam gratiam iteratæ pœnitentiæ locum non superesse autumarit.* XXI. F
Utrum præceptis divinis morem geri non posse senserit. XXII. *Suppetiæ feruntur Origeni* XXIII. *Utrum affirmaverit homines sola fide justos effici.* XXIV. *Investigatur ejus dogma de peccato originis, & fine Baptismi.* XXV. *Quid ipsi de prædestinatione placuerit, disputatur.* XXVI. *Hic quoque nonnullis pœnas dat, sed in aliquibus juvatur.*

I. NUNC vero de libero arbitrio, quod animæ ipsi innatum est; deque gratia Dei, quæ in animam infunditur, quid Origeni placuerit, explorandum est; nec eam enim quæstionem inoffenso decurrit pede, mentis rationalis arbitrio nimium tribuens,

A buens, gratiæ vero divinæ infringens auxilium ; adeo ut ex ejus scriptis hæresim suam hausisse dicti sint Pelagiani, eorumque fraterculi Massilienses. Hinc Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, cap. 2. Pelagii doctrinam Origenis ramusculum esse pronuntiat ; & libr. 1. adv. Pelagium, cap. 7. Pelagianorum magistrum esse dicit Ὠριγενιστὴν, auctorem nempe operis περὶ ἀρχῶν. & libr. 3. lucubrationis ejusdem, in fine postremi capitis, Pelagianorum amasium Origenem appellat. Hinc etiam Theodorus Beza, capitalis Origenis adversarius, in Annot. ad Roman. 1. 1. neminem ait Origene gratiam Dei, secundum Pelagium, magis esse adversatum. Quod totis subinde capitibus comprobare aggressus est Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus, Origeniana verba ac decreta cum Pelagianis & Semipelagianis accurate confligens, & utrorumque connexionem inter se copiose demonstrans.

B II. Atque hæc priusquam ad trutinam revocemus nostram, ante omnia repetendum hic est quippiam, leviter à nobis supra perstrictum : Mentes nempe cum à Deo procrearentur, libero fuisse instructas arbitrio, facultate videlicet quadam, vel prosequendi vitii, vel amplectendæ virtutis ; qua prout usæ sunt, ita vel ad superiores evasisse ordines, vel ad inferiores esse deturbatas ; quemcunque autem adeptæ sint statum, nihilo secius eadem fruentes potestate, vel recte vel male pro libitu agere, ac novis proinde vel remunerationibus vel pœnis esse obnoxias ; nec futurum unquam ut vel facultas illa, vel facultatis usus in animis intercidat, licet vel charitate vel pertinacia à malis bonisve nonnunquam abstrahantur.

Quæ cum perfunctorie supra delibaverimus, nunc enucleatius resecanda veniunt, &
C attentis oculis introspicienda ; quærendumque utrum libertatem naturæ rationalis integram, an imminutam ; utrum ullis divinæ gratiæ auxiliis indigere illam, & juvari ; quoque modo contingere hoc arbitratus sit. Sensit ille itaque arbitrii libertatem in indifferenti quadam bene vel male agendi facultate sitam, & Mentibus, mox ut crearentur à Deo, inditam, integram semper & vegetam perseverare ; nec ulla re fuisse imminutam, plenumque ejus usum in Beatis vel Damnatis superesse ; impelli quidem animam à bonis malisve Potestatibus ad virtutes vel ad vitia ; cogi vero neutiquam, vel necessitati alicui subjici. Sparsa hæc reperies dogmata compluribus locis, sed capite præsertim priore libri 3. De princip. in quo præcipua doctrinæ suæ de libertate arbitrii fundamenta collocavit. Ibi quippe causis quidem externis varie impelli nos & concitari docet ; assensum vero à ratio-
D ne nostra ac voluntate pendere. Id postquam naturæ ipsius auctoritate demonstravit, Scripturæ sanctæ locorum congerie multiplici confirmat. Tum petita indidem ac impugnandam arbitrii libertatem testimonia solvit, explosis Valentinianorum, Basilidianorum, & Marcionistarum deliriis, qui diversas hominum naturas, alias vitæ, alias morti destinatas, ac Deum mundi opificem, durum ac severum, alium bonum Christi patrem comminiscebantur : & gratiæ demum divinæ operationem fuse describit, qua de post dicturi sumus. Capite vero sequenti ostendit mala nobis suggerentibus Potestatibus contrariis, vel ad rectum inclinante nos virtute divina, vigere nihilominus liberam arbitrii potestatem. Quæ alibi repetit sæpe & inculcat. Quibus autem probat locis animas in quemcunque devenerint statum, arbitrii sui libertate uti, præter illa quæ attulimus supra, cum de Angelo-
E rum libertate ageremus, quæque iterum consuli velim, ea præcipue sunt. Libr. 2. περὶ ἀρχῶν, c. 3. *Possibile enim videtur, ut rationabiles naturæ, à quibus nunquam aufertur liberi facultas arbitrii, possint iterum aliquibus motibus subjacere, indulgente hoc ipsum Domino, ne forte si immobilem semper teneant statum, ignorent se Dei & non sua virtute in illo fine beatitudinis constituisse* : & libr. 3. c. 1. *Ex quo opinamur, quoniam quidem (sicut frequenter diximus) immortalis est anima & æterna, quon in multis & sine fine spatiis per immensa & diversa sæcula possibile est, ut à summo bono ad infima mala descendat, & ab ultimis malis ad summa bona raperetur* ; & c. 3. libri ejusdem : *Liberi namque arbitrii semper est anima, etiam cum in corpore hoc, etiam cum extra corpus est, & libertas arbitrii vel ad bona vel ad mala movetur ; nec unquam rationabilis sensus, id est mens vel anima*
F *sine motu aliquo vel bono vel malo esse potest*. Homilia præterea 13. in Num. Dæmonibus permissum liberi arbitrii sui usum verbis conceptis tradit, quo si diminutus esset à Deo, hoc ipso vero jam damnatum illum foret ; at id nondum contigisse existimabat, ut vidimus. Atque hæc Origenianæ de libertate doctrinæ principia suis laborant vitiis, quæ nos collocabimus in propatulo, sed & impactas ab aliis proponemus criminationes, & si ita res feret, diluemus, ut æquo jure in omnibus cum Adamantio agamus nostro, ne plus vel favori, vel malevolentiæ, quam veritati tribuere videamur. Sed Lectorem moneamus interim, quotiescunque de Origeniana libertate memorabimus, non eam duntaxat debere intelligi, qua gaudent homines, sed illam etiam qua Angeli & Dæmones fruuntur : nam par esse apud omnes illos liberi jus & usum arbitrii sexcenties asseveravit.

III. Cornelius Jansenius, in libro, cui titulus Augustinus, postquam libro secundo To-

mi prioris ex Pelagii, Pelagianorumque verbis sic ipsos decreviſſe multis probavit, arbitrii humani libertatem indifferenti quadam poteſtate conſtare, aſciſcendæ & eligendæ rei unius de pluribus, quam uno verbo *Poſſibilitatem* appellarunt; libro deinde ſexto ſequenti, cap. 13. & 15. Pelagianam hæreſim ab Origene præformatam fuiſſe ac delineatam ſcribit; hancque adeo libertatis definitionem ex ejus fontibus in Pelagii lacunas profluxiſſe, atque inde totam Pelagii hæreſim pendere. Veri quidem ſimile illud eſſet, ſi ante Pelagium unus hujus opinionis architectus fuiſſet & propugnator Origenes; verum ut claram naturæ vocem prætermittam, quæ tum nos liberos eſſe ſuadet, cum vel agere vel non agere, & quæ optima de multis animo decrevimus, amplecti poſſumus; ut priſcorum Philoſophorum auctoritatem negligam, qui diligenter exquiſita libertatis natura, hanc in eo ipſo, quod diximus, poſitam declararunt; Origenianæ ſententiæ poterat eſſe præſidio, non Gregorii ſolum Nazianzeni conſenſus, non Ambroſii & Hilarii, aliorumque Patrum, quorum teſtimonia collegerunt alii, non Arauſicani Concilii, non Tridentini Canones; ſed is etiam, quem unum eſſe vult Janſenius concertationis hujus arbitrum, Auguſtinus, quemque nulla opinionis hujus veſtigia reliquiſſe diſertis verbis aſſerit Tom. 3. libr. 6. cap. 8. & 9. Nam quotieſcunque vel Pelagium oppugnat, vel cum Juliano pedem confert, neque ab iis ſeſe de liberi arbitrii natura diſſentire dicit; neque prolata ipſorum verba, quibus in boni malive eligendi poteſtate poſitum illud eſſe demonſtrant, hanc carpit ob cauſſam, licet ob alias vehementer exagitet & refellat. Paſſim quoque neceſſitati libertatem opponit: ſed abſque ulla circuitione, quia bene vel male vivere poteſt homo, idcirco ſui juris eſſe, ac libertate pollere ſtatuit libr. 2. contr. Fauſtum Manich. c. 5. *Et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Nec minus ad id facit quod habet c. 2. libri de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, ubi poſtquam adſtruendæ hominis libertati, inſignem hunc attulit Eccleſiaſtici locum: *Ipſe ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam: ad quodcunque volueris, extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors; & quodcunque placuerit, dabitur ei:* continuo hæc ſubnectit: *Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Longam deinde ad idem comprobandum depromit è Novo ac Veteri Teſtamento teſtimoniorum ſeriem, in quibus homini edicit Deus, ut nolit ad vitia converti; atque ea demum his verbis claudit: *Nempe ubi dicitur, Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum, & non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.*

Ianſen. Tom. 3. lib. 6 c. 12.

Mirari porro ſubit quomodo oblitus ſuperiorum Janſenius ejusdem Origenis auctoritate probare contenderit neceſitatem libertati non repugnare, ſed ſolam coactionem. Eo nempe utitur loco è Proœmio librorum περὶ ἀρχῶν· *Eſt & illud in Eccleſiaſtica prædicatione, omnem animam rationalem eſſe liberi arbitrii & voluntatis: eſſe quoque ei certamen adverſus Diabolum, & Angelos ejus, contrariasque Virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant: nos vero ſi recte conſulteque vivamus, ab hujusmodi nos exuere conemur. Unde & conſequens eſt intelligere, non nos neceſſitati eſſe ſubjectos, ut omni modo etiamſi nolimus, vel mala vel bona agere cogamur. Si enim noſtri arbitrii ſumus, inſtigare fortaſſe poſſunt aliquæ Virtutes ad peccatum, & aliæ juvare ad ſalutem, non tamen neceſſitate cogimur, vel agere recte, vel male; quod fieri arbitrantur, qui ſtellarum curſum, & motus, cauſam dicunt humanorum eſſe geſtorum, non eorum quæ extra arbitrii accidunt libertatem, ſed eorum quæ in noſtra ſunt poſita poteſtate.* Hac neceſitatis cogentis voce ſignificari putat Janſenius vim illam, quæ ſola libertatem infringat, cum eam tamen intellexerit Origenes neceſitatem, quam tuentur *qui ſtellarum curſum & motus cauſſam dicunt humanorum eſſe geſtorum*: non cogentem autem neceſitatem, ſed ſimplicem & voluntariam actibus humanis inferebant Aſtrologi; neceſitatem ergo ſimplicem & voluntariam hoc loco Origenes libertati oppoſuit. Pari reſponſione parem Origenis locum cum præcedenti objectum ſuſtinebis. En illum è libr. 6. in Epiſt. ad Rom. *Conſtat ergo ex his eſſe ſervos, quibus Paulus dicit: Quia cui exhibetis vos ſervos ad obedientiam, ſervi eſtis cui obediſtis, ſive peccati, ſive juſtitiæ, quia ſponte. Nam ipſi nos exhibemus nullo cogente vel peccato ſervire, vel juſtitiæ per obedientiam noſtram, & ideo ſemper horum meminiſſe debemus, ne inanes querelas in peccati excuſationem proferamus, quod Diabolus fecit, ut peccatorem aut naturæ neceſſitas, aut fatalis conditio, aut curſus aſtrorum efficiat.* Coactio itidem ea intelligenda hic eſt, quam fatalis conditio, aſtrorumve curſus efficit, quæ nihil ſane aliud eſt, quam neceſitas ſimplex, & voluntate conjuncta. Hanc reſponſionem à Dionyſio Petavio adverſus Janſenii petitiones oppoſitam eo libentius uſurpamus, quod quæcunque fere de libero arbitrio ſparſim tradidit Origenes, ea fere adverſus Valentinianos, Marcioniſtas, aliosque Hæreticos, fatum, aptamq; ex ſideribus neceſitatem propugnantes propoſuerit. In ſuam quoque ſententiam trahere poterat Janſenius illud Origenis è libr. 1. in Epiſt. ad Rom. ubi poſita anima quaſi in bivio carnem inter & ſpi-

Libr. 3. de opific. 6. dier.

A spiritum, & utriusque viæ fautores Angelos, ait: *Non enim vires agitur, neque necessitate in alteram partem anima declinatur*: sed pulchre intelligebat Jansenius ex sequentibus explicationem suam labefactatum iri. Talia hæc sunt: *alioquin nec culpa ejus, nec virtus posset adscribi, nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur: sed servatur ei in omnibus libertas arbitrii, ut in quodcunque voluerit ipsa declinet, sicut scriptum est: Ecce posui ante faciem tuam vitam & mortem, & ignem & aquam.* Nam si alterutram eligere potest partem anima, neutri certe ulla necessitate addicitur. Responsionis suæ confirmandæ, & Origenianæ sententiæ apertius etiam declarandæ gratia, aliquot addit Petavius ejus testimonia ex Hom. 20. in Num. quibus vocante licet, & pelliciente interiore gratia nullam nobis imponi necessitatem, sed in contraria ferri voluntatem posse perspicuum sit: addit & aliud è libr. 6. in Epist. ad Rom. Quibus annexemus & illud è libr. 3. περὶ ἀρχῶν, c. 3. *Boni vero spiritus recipit* (anima) *energiam, id est*
B *inoperationem, cum & provocatur ad bona, & inspiratur ad cœlestia vel divina: sicut sancti Angeli, & ipse Deus operatus est in Prophetis suggestionibus sanctis ad meliora provocans & cohortans: ita sane ut maneret in arbitrio hominis ac judicio, si sequi velit aut nolit ad cœlestia & divina provocantem.* Sed quid his colligendis immoramur, cum plura etiam congesserit Jansenius Tom 1. lib. 6. c. 13. ut ostenderet in indifferentia ad bonum & malum, citra ullam necessitatem, liberi arbitrii naturam ab Origene fuisse collatam. *Gravissime*, inquit, *fuisse reprehensos ab Augustino Pelagianos propter illam inamissibilem & quasi essentialem in omni statu liberi arbitrii indifferentiam ad bonum & malum, exclusamque alterius partis necessitatem, ex iis quæ libro secundo diximus intelligi potest: hæc est enim totius Pelagianæ structuræ basis pene præcipua. Sed illam Origenes omnibus numeris absolutam tradidit. Usque adeo namque Philosophicæ istius libertatis admirator, & indiffe-*
C *rentiæ ad bonum & malum patronus fuit, ut illa sublata brutis aut lapidibus hominem accensendum esse decerneret.* Idem quoque Origeni superius exprobraverat Tom. 1. libr. 2. c. 4. & 5. Quod si igitur ab eo profecta est hæc opinio de natura libertatis posita in indifferentia ad bonum vel malum, excluſa alterius partis necessitate, quomodo idem ille Origenes necessitatem voluntariam & simplicem cum libertate conjungere potuit?

IV. Verum ut in definienda arbitrii humani libertate rectum iter tenuit Origenes, non itidem in distinguenda naturæ integræ, ac naturæ lapsæ libertate satis adhibuit examinis & cautionis; nullibi quippe discrimen ullum inter utramque libertatem ab eo adhibitum reperias, & sæpe naturæ cuilibet, quæ rationis compos sit, quemcunque demum ordinem adepta sit, æqualem tribuit liberi arbitrii facultatem, & usum, ut supra dictum est. Atque is unus fuit
D è præcipuis Pelagianorum erroribus, paribus liberi arbitrii viribus pollentem finxisse hominem hodie nascentem, parique justitia, sapientia, aliisque instructum dotibus, qualis à Deo conditus fuit Adamus. Attamen si perfricare velimus frontem, & Origenem periculo quovis defendere, hanc adhibere poterimus exceptionem: quamvis humanæ vires libertatis per Adami lapsum infractæ ac debilitatæ sint, naturam tamen ipsam libertatis illius suam servasse integritatem; nec ullam proinde signatam esse ab Origene distinctionem inter libertatem quæ Adami præcessit lapsum, & quæ consecuta est, quod ad puram respiceret libertatis naturam, non ad robur ipsius & potestatem.

V. Ex hac Origenis sententia de indifferenti hominis ad bonum vel malum propen-
E sione aptum illud est & consequens, hominem hac instructum facultate, gratiæ modo ponatur auxilium, pravis cupiditatibus posse obsistere, vel parere, & virtutem vel respuere, vel amplecti. *Evidens igitur ratio est*, inquit libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. *quia sicut in rebus humanum propositum solum per seipsum imperfectum est ad consummationem boni; adjutorio namque divino ad perfecta quæque perducitur: ita etiam in contrariis initia quædam, & velut quædam semina peccatorum ab his rebus quæ in usu naturaliter habentur, accipimus*, &c. Tum sub finem capitis: *Nihil aliud putandum est accidere nobis ex ipsis quæ cordi nostro suggeruntur bonis vel malis, nisi commotionem solam, & incitamentum provocans nos ad bona vel mala. Possibile autem nobis est, cum in aliquo virtus nos ceperit ad malum incitare, abjicere à nobis pravas suggestiones, & resistere suasionibus, & nihil prorsus culpabiliter gerere. Et rursum possibile est, ut cum nos divina virtus ad meliora provocaverit,*
F *non sequamur, liberi arbitrii potestate in utroque nobis servata.* In hæc acriter insurgit Iprensis Antistes libr. 2. de Pelag. hær. cap. 4. & libr. 4. cap. 7. & libr. 6. cap. 4. ubi queritur censuisse Origenem *animi motibus ad bonum malumve nos concitantibus nutu rationis nos adversari, atque eos ad bona vel mala gubernari*, merumque ait doctrinam hanc esse Pelagianismum. Si vel animum posse ad bonum per se moveri, absque prævio gratiæ Dei incitamento; vel impellenti nos ad malum libidini per se posse obsistere, etiam gratiæ juvantis ope destitutum voluit Origenes: damnandus quidem error ille est. Sin vero gratiæ impulsum adjunxit & auxilium, utrobique culpa caret; nam in motus animi malos, quos concupiscentia gignit, & bonos, quos educit gratia, imperium tenet libera voluntas, & vel malis obtemperat, propriis illuc & nativis inclinata nutibus, vel ad bonos se erigit, gratiæ divinæ adjumentis roborata. Utrũ vero senserit Origenes, si quis ex me quærat, bona fide respõderim gratiæ auxiliũ admi-

sisse illum, non vero prævium incitamentum, ut pluribus infra disseram: *In rebus*, inquit, *humanum propositum solum per seipsum imperfectum est ad consummationem boni; adjutorio namque divino ad perfecta quæque perducitur.* Addidisset, *& excitatur*, bene res haberet: cum ex liquido Synodi Tridentinæ decreto ratum sit excitanti atque adjuvanti gratiæ Dei libere hominem assentiri & cooperari, nec ipsum nihil agere, cum inspirationem illam recipit, quippe qui illam & abjicere possit. A

Conc. Trid Sess. 6. c. 5. & Can. 4.

Orig. lib 1. in Rom. 1.

VI. Capite quoque quinto libri secundi de Pelag. hær. hæc Origenis impugnat Jansenius: *Frequenter in Scripturis invenimus, & à nobis sæpe dissertum est, quod homo spiritus, & corpus, & anima esse dicatur: verum cum dicitur, quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, media procul dubio ponitur anima, quæ vel desideriis spiritus acquiescat, vel ad carnis concupiscentias inclinetur.* Dolet Jansenio quod spiritum illum, adversus quem concupiscit caro, *vocet, non more Catholico Spiritum sanctum, sed Pelagiano legem naturæ, quam mentibus Spiritu Dei vivi ex institutione, ut ipse loqui solet, Creatoris impressam gerimus:* (verba ipsius sunt) & *quæ* (verba sunt Origenis) *in hominum cordibus scripta est, non atramento, sed Spiritu Dei vivi*; quæque hominibus suadet, *ne homicidium, ne adulterium faciant, ne furentur, ne falsum testimonium dicant, ut honorent patrem & matrem, & horum similia; fortassis & quod Deus unus creator sit omnium*; juxta illud Pauli Rom. 2, 14, 15. *Cum enim gentes quæ Legem non habent, naturaliter ea quæ Legis sunt, faciunt, ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex: Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Semina præterea illa bonitatis à natura hominum mentibus insita, quæ proxime allatis adstruit testimoniis Origenes, plane rejicit Jansenius locis supra indicatis, sed præcipue Tom. 1. libr. 4. c. 7. B C

Orig. lib. 2. in Epist. ad Rom. c 2. & libr. 6. in cap. 6.

Certum est hæc Pauli verba Gal. 5. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem*, ad Spiritum sanctum à Patribus plerisque referri: at certum quoque est plures etiam superiorem illam animæ partem, quam ἡγεμονικὸν appellant, spiritus appellatione hic significatam voluisse. Multos proferrem, si numero pugnandum esset, sed unus omni exceptione major adducetur Augustinus. Is libr. 2. De Genesi contra Manichæos, cap. 11. conjugium Adami & Evæ imaginem esse dicit spiritualis illius conjugii, quod rationalem hominis partem animali colligat; tum ait: *Deinde ut quisque huic suæ parti rectè dominetur, & fiat quasi conjugalis in seipso, ut caro non concupiscat adversus spiritum, sed spiritui subjugetur; id est concupiscentia carnalis non adversetur rationi, sed potius obtemperando desinat esse carnalis, opus habet perfecta sapientia.* Trahit hæc in eundem sensum libr. 1. De doctrina Christ. cap. 24. & libr. 10. De Genesi ad liter. cap. 12. Verba propter prolixitatem non repeto. Prorsus vero ἀενιγματικῶς, in LXXXIII. Quæstionib. Quæst. 70. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem sibi resistunt & adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Fuit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnis carnalis appetitus spiritui nostro illuminato, & vivificato, id est, bonæ voluntati subjiciatur.* D

Sed quid Augustini auctoritatem prætexamus, ut spiritum illum carnis adversarium sæpe pro animæ ἡγεμονικῷ, vel ipsa certe anima sumi probemus, cum id tot Scripturæ locis confici possit? velut illo Matth. 26, 41. *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma*; & illo 1. Cor. 5. 5. *Ego judicavi tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*: & illo 2. Cor. 7, 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*: & illo Eph. 4. 20, 21, 22, 23. *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem*: & illo 1. Thess. 5. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur*: & illo Ebr. 4, 12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* In quibus non aliter sumi spiritus potest, quam pro anima, vel animæ ἡγεμονικῷ quomodo Origenes intellexit. E F

VII. Ex his efficitur inferiorem animæ partem, quæ anima simpliciter appellatur, (ut superior, spiritus) mediam esse quodammodo spiritum inter & carnem; hoc est spiritus inter suasiones, & carnis incentiva. *Cum dicitur*, inquit Origenes, *quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, media procul dubio ponitur anima, quæ vel desideriis spiritus acquiescat, vel ad carnis concupiscentias inclinetur.* Quibus addit, ac variis Scripturæ locis probat, utriusque viæ, tum ejus quæ carnis est, tum ejus quæ spiritus, monstratores & fautores Angelos adsistere hominibus, Christumque ipsum viam spiritus hominibus quasi sternere: *Favet & ipse Dominus*, inquit, *qui etiam animam suam ponit pro ovibus suis. Sed utraque parte favoris disciplina servatur: non enim vi res agitur, neque necessitate in alteram partem anima declina-*

Orig. lib. 1 in Rom. 1.

A clinatur: alioquin nec culpa ejus, nec virtus posset adscribi; nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur; sed servatur ei in omnibus libertas arbitrii, ut in quodcunque voluerit, ipsa declinet, sicut scriptum est: *Ecce posui ante faciem tuam vitam & mortem, & ignem & aquam.* Nec minus clare idem exprimit lib. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 4.

Arguit hæc quoque erroris Jansenius: *Neque vero*, inquit, *Pelagii tantum, Cassiani, atque Origenis fuit ista de affectibus naturalibus bonis ac malis ex lege naturali atque carne prodeuntibus, ac de anima inter utrosq; media istius Apostolici loci expositio, sed omnium omnino Pelagianorum, quorum scripta videre potui.* Sic tamen Hieronymus in Epist. ad Gal. 5. 17. *Caro præsentibus delectatur & brevibus; spiritus perpetuis & futuris. Inter hoc jurgium media anima consistit, habens quidem in sua potestate bonum & malum; velle & nolle.* Et paulo post: *Quod ut manifestius fiat, aliquod sumamus exemplum: caro, terra; anima, aurum; spiritus, ignis vocetur. Quamdiu aurum fuerit in terra, perdit vocabulum suum, & à terra cui commixtum est, appellatur. Cum vero separatum ab humo, auri & speciem & nomen acceperit, aurum quidem dicitur, sed nec dum probatum. Si autem per ignem excoctum fuerit & probatum, tunc auri splendorem, & ornatus sui accipit dignitatem. Ita & anima inter & humum & ignem, hoc est inter carnem, spiritumq; consistens, quando se tradiderit carni, caro dicitur; quando spiritui, spiritus appellatur.* Sic & Augustinus lib. 10. de Genesi ad liter. cap. 12. animam tanquam in medio positam, nonnunquam à carne ad vitia deprimi, nonnunquam à spiritu ad virtutem erigi scribit. Sicut autem ad utramque partem, virtutem & vitium, allicere nos bonos ac malos Angelos, dixit Origenes lib. 1. in Epist. ad Rom. hunc interpretans Pauli locum qui habetur Gal. 5. 17. ita postquam in eadem Pauli verba Augustinus ea disseruit quæ supra attulimus è LXXXIII. Quæstionibus, Quæst. 70. addit deinde: *Nunc quamdiu est in nobis quod resistat bonæ voluntati, auxilio Dei per bonos homines & bonos Angelos indigemus, ut donec sanetur vulnus nostrum, non ita molestet, ut perimat etiam bonam voluntatem.* Atque hæc tam diserte apud Augustinum expressa cur in Origene Pelagianismi insimulaverit Jansenius, tot annos in Augustini lectione tractatus, mirum sane est.

Ianſ. Tom. 1. lib. 2. c. 5.

VIII. Nunc vero propter assertos affectus bonos & malos ex carne naturaliter prodeuntes, jurene venerit in crimen Origenes, anquiramus. Ac de malis quidem controversia nulla est; de bonis tantum contenditur. Quod antequam disputare ordiamur, dicendum est Jansenium, non hoc solum loco quem diximus, sed signantius etiam Tom. 1. libr. 6. cap. 14. vim illam, sive ut ipse loquitur, sufficientiam legis naturalis impugnare; quam ut ab Origene creditam & defensam fuisse clarius probet, hæc ejus verba recitat è libr. 2. in Epist. ad Rom. *Potest fieri, ut vel ex his qui in Lege sunt, si quis persuasione quidem communitus Christo non credit, operetur tamen quod bonum est, justitiam teneat, misericordiam diligat, castitatem & continentiam servet, modestiam lenitatemque custodiat, atque omne bonum operetur; hic etiam si vitam non habet æternam, quia credens soli vero Deo non credidit, & Filio ejus Jesu Christo, quem misit; tamen gloria operum ejus, & pax, & honor poterit non perire.* Atque ea sane nuspiam ad eos referuntur, qui sunt sub lege naturæ, sed ad Judæos qui regebantur Mosaicis legibus, à quibus absterrebantur à vitiis, ad virtutem incendebantur. Sequentia vero ad Ethnicos naturæ solum legem servantes pertinent: *Sed & Græcus, id est Gentilis, qui cum legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus Legis in corde suo, & naturali ratione immotus, sicut videmus nonnullos in Gentibus, vel justitiam teneat, vel castitatem servet, vel prudentiam, temperantiam, modestiamque custodiat; iste licet alienus à vita videatur æterna, quia non credit Christo, & intrare non possit in regnum cælorum, quia renatus non est ex aqua & spiritu, videtur quod per hæc quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam, & honorem, & pacem perdere penitus non possit.* Pluribus deinde argumentum idem expendit. Refellit quoque Jansenius cum superioribus alterum locum Adamantii, qui non sine cautione sane tractandus est. *Invenitur quidem Deus*, inquit Origenes lib. 3. in Epist. ad Rom. *dedisse homini omnes affectus, omnesque motus quibus ad virtutem niti possit & progredi, insuper etiam vim rationis inseruisse, quo agnosceret quid deberet agere, quid cavere. Hæc ergo invenitur Deus communiter omnibus hominibus præstitisse. Sed si his acceptis homo neglexit iter virtutis incedere, cui ex Deo nihil defuit, invenitur ipse defuisse iis quæ à Deo data sunt sibi.* Hæc quamvis Pelagianismum sapiant, geminam tamen expositionem, eamque orthodoxam recipere possunt, vel intelligendo gratiam homini datam à Deo, quæ gratia ad salutem adipiscendam sufficiat; vel intelligendo legem naturæ, cujus ope etiam Ethnici ad virtutes morales niti possunt; non ad eas quæ quicquam conferant ad salutem: hic enim gravis esset error, cui sine crimine patrocinari non liceret.

IX. Certe aliquod boni genus ex vi naturæ oriri posse sanctorum Patrum maga pars opinata est, sed Augustinus præsertim, cujus in hujusmodi quæstionibus præcipua auctoritas est. Sic ille libro de spiritu & litera, cap. 27. *Si autem hi qui naturaliter quæ Legis sunt, faciunt, non-dum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum*

etiam meritò rectèque laudamus: quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ ju- A *stitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Capite deinde sequenti scribit non usque adeo terrenorum affectuum labem animæ humanæ incubuisse, ut non impressa supersint imaginis Dei vestigia, unde præcepta aliqua Legis in ipsa etiam impietate exequi vel sapere merito dici possit. Addit postea Legem Dei non penitus per peccatum è cordibus nostris erasam, renovari per gratiam. Et postmodum: *Nam & ipsi* (Judæi) *homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit.* Tum paulo post, ait parum profuturum in die judicii his naturæ legibus paruisse, nisi forte ad mitiganda supplicia: *Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Et iterum: *Quid ergo hinc Apostolus efficere* B *voluit, quod jactantiam cohibens Iudæorum, cum dixisset: Non auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur, continuo subjecit de his qui Legem non habentes naturaliter quæ Legis sunt faciunt, si non illi sunt intelligendi qui pertinent ad gratiam mediatoris, sed illi potius, qui cum Deum verum vera pietate non colant, habent tamen quædam opera bona in vita impia?* Quibus accinit Fulgentius in libr. de Incarnat. & gratia Christi, cap. 26. *Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo potuerunt hi justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus atq; operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei, charitatisque non referant? quibus aliqua quidem bona, quæ* C *ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt; sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt.* Hieronymus quoque in Isaiæ 24. 5. scribit præmia adepturos, quicunque Legem naturalem observaverint: & in Ezech. 29. 17. ait *condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos scripta negligimus.* Prætermitti vero non decet locum ipsius alterum in Gal. 3. 2. ad hoc spectans argumentum, & circumspecte attingendum. *Nos respondebimus,* inquit, *accepisse quidem eum* (Cornelium Centurionem) *spiritum, sed ex auditu fidei, & naturali lege, quæ loquitur in cordibus nostris, bona quæque facienda, & vitanda mala, per quam dudum quoque Abraham, Mosen, & cæteros Sanctos justificatos retulimus: quam augere deinceps potest operum observatio, Legis quoque justitia, non tamen carnalis legis quæ præteriit, sed spiritualis, quia Lex spiritualis est.*

X. Quæ quum ita sint, fatendum est tamen nimio plus aliquando tribuisse Origenem legi naturæ; & quæ peculiari Dei auxilio debebantur, in generale auxilium transscripsisse: D quod omnino Pelagianum est: velut actus singulos voluntatis, quos *volitiones* appellant: hos enim ita nos habere à Deo censebat, quatenus virtutem volendi sive facultatem voluntatis à Deo habemus. Ita exponit illud Pauli, Philipp. 2. 13. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate:* cum ex hoc enim loco concluderent nonnulli libero nos carere arbitrio, siquidem ex Deo penderent voluntatis nostræ motus, sic re-

Orig. Philocal. c. 24. spondet Origenes: καὶ πρὸς τοῦτο δὲ λεκτέον ὅτι ὁ τῆ ἀποστόλῳ λέξις ὅ φησι τὸ θέλειν τὰ καλὰ ἐν τῷ θεῷ εἶναι· ὁμοίως τὸ ἐνεργεῖν τὰ κρείττονα καὶ τὰ χείρονα. ἀλλὰ τὸ καθόλου θέλειν, ἢ τὸ καθόλου τρέχειν. ὡς γὰρ δόντος θεοῦ ἔχομεν τὸ εἶναι ζῶα, καὶ τὸ εἶναι ἄνθρωποι. οὕτω καὶ τὸ καθόλου θέλειν, ὡς εἰ ἔλεγον, καὶ τὸ καθόλου κινεῖσθαι· ὥσπερ ὃ ἔχοντες τὸ ζῶα εἶναι, τὸ κινεῖσθαι, καὶ φέρ' εἰπεῖν τὰ σὺ τὰ μέλη κινεῖν, χεῖρας ἢ πόδας, ὧν ἂν εὐλόγως λέγοιμεν δόσει θεοῦ τὸ εἰδικὸν τόδε, ἤτοι τὸ κινεῖσθαι πρὸς τὸ τύπτειν ἢ ἀναιρεῖν, ἢ ἀφαιρεῖσθαι τὰ ἀλλότρια· ἀλλὰ E τὸ μὴν ῥυθμικὸν τὸ κινεῖσθαι ἐλάβομεν ἀπὸ θεοῦ· ἡμεῖς δὲ χρώμεθα τῷ κινεῖσθαι ὅπῃ τὰ χείρονα, ἢ ἐπὶ τὰ βελτίονα. οὕτω τὸ μὴν ὑγιὲς ἐνεργεῖν ἢ ζῶά ἐσμεν, εἰλήφαμεν δόσει τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ θέλειν ἐλάβομεν δόσει τοῦ δημιουργοῦ. ἡμεῖς ὃ τῷ θέλειν ἐπὶ τὰ κάλλιστα, ἢ ἐναντία χρώμεθα, ὁμοίως ὃ τῷ ἐνεργεῖν. Quorum sententiam satis fideliter præter morem suum retulit Rufinus; quia scilicet Pelagiana erant. Notavit autem illa S. Thomas libr. 3. contra Gentes, cap. 89. & variis Scripturæ locis obtrivit. Notavit & Jansenius, & tanquam gratiæ Christi contraria merito repudiavit. Quem vero in calce decimi tertii capitis, lib. 6. Tom. 1. recitat locum, qui in fine capitis 1. libr. 3. περὶ ἀρχῶν reperitur, de sua Pelagianissimi officina largitus est Rufinus; in Græco siquidem exemplari non comparet.

Observet interim Lector æquus, ecquid fidei possimus adjungere tot locis qui è libris à Rufino Latine redditis depromti adversus Origenem jactari solent: cujusmodi est ille, F quem libro 6. Tom. 1. cap. 13. adducit Jansenius è libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. ut plus æquo legem naturæ Origenem extulisse probet: *Non enim idem est habere vincendi virtutem, & vincere, sicut ipse Apostolus cautissimo sermone signavit, dicens quia dabit Deus exitum ut sustinere possitis, non ut sustineatis. Multi enim sustinent, sed in tentatione vincuntur. A Deo datur, non ut sustineamus, alioqui nullum jam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus. Ea autem virtute, quæ nobis data est ut vincere possimus, secundum liberi arbitrii facultatem, aut industriâ utimur, & vincimus; aut segniter, & superamur, &c.* & iste è libro 10. in Epist. ad Rom. *Gratia Dei, & gratia Domini nostri Iesu Christi, una atque eadem gratia accipienda est. Sicut enim Pater quos vult, vivificat; & Filius quos vult, vivificat: & sicut Pater habet vitam in se, & Filio dedit habere in semetipso vitam; ita & gratiam quam dat Pater, hanc & Filius dat. Sciendum sane est, quod omne*

quod

A *quod habent homines à Deo, gratia est; nihil enim ex debito habent. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Gratia ergo est quidquid habet is qui non fuit, & est accipiens ab eo qui semper fuit:* atq; ille è libr. 4. in Epist. ad Rom. *Sed ego cum considero sermonis eminentiam, quo dicit operanti secundum debitum reddi, vix mihi suadeo quod possit ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat, cum etiam hoc ipsum quod agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus. Quod ergo erit debitum illius, cujus gratia nos præcessit?* & hic è libr. 5. in eandem Epistolam: *Quod ergo dixit post dies, hoc ostendit, quia primis quidem vitæ suæ diebus paternæ prævaricationis institutionibus tenebatur* (Abel:) *post illos vero dies ubi respuit, ubi respexit ad Deum, naturæ lege commonitus, dicitur tunc obtulisse hostiam Deo.*

XI. Postquam de lege naturæ male sensisse Origenem demonstravit Jansenius, non sa- *Ians. Tom. 1 lib. 6. c. 14.*
B niora opinatum fuisse de lege Mosis conatur ostendere: cui comprobando affert illud è libr. 4. in Epist. ad Rom. *Initium namque justificari à Deo, fides est quæ credit in justificantem. Et hæc fides cum justificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto hæret in animæ solo, ut cum per legem Dei excoli cœperit, surgant in ea rami, qui fructus operum ferant.* Subjungit Jansenius: *Ecce dogma Pelagii de operanda per Legem justitia, dummodo remissio peccatorum per fidem data præcesserit.* At non hæc ad Legem Mosis peculiariter pertinent, sed ad opera tantum bona sive Judæorum, sive Ethnicorum, quæ sine fide inania sunt. Ait ergo initium justificationis fidem esse quæ credit in Deum; quæ fides, quasi dispositio ad justificationem acquirendam, cum justitiam apprehenderit, ut loquuntur, atque ita justificata fuerit à Deo; cumque justitiæ imbre, sic tanquam radix aliqua, perpluta fuerit, tunc ipsa fides atque ipsa justitia animæ solo inhæ-
C rent; sic tamen ut divinæ legis observatione foveri illam & excoli necesse sit ad ferendos operum fructus, qui velut radicis hujus surculi efflorescant. Quæ fidei Catholicæ decretis usquequaque consonant, si modo prævium gratiæ excitantis & juvantis subsidium agnoscatur. Verum non id queritur Jansenius: at latere hic caussatur dogma Pelagii de operanda per Legem justitia, dummodo remissio peccatorum per fidem data præcesserit. Debere quidem a fide justificationem ducere exordium; eandemque peccata delere, & hic dixisse fatemur Origenem, & recte dixisse pertendimus: nec in eo opinor Pelagianum illud placitum Jansenius positum esse voluit, sed in dogmate de operanda per Legem justitia, quod Pelagianum esse agnoscimus, sed ab hoc Origenis loco longe procul abesse pugnamus. Quomodo enim operandam sensit per Legem justitiam, qui justificationem Legis obser-
D vationi prævertere debere dixit? Per legem Dei, hoc est bona opera, justitiam quidem excolendam sanxit, neutiquam vero per Legem justitiam comparari credidit. Hæc licet per- *Orig. lib. 4. in Epist. ad Rom.*
spicua, aliis tamen Origenis ejusdem testimoniis firmari possunt. *Ex quibus omnibus,* inquit, *claret, quod recte arbitratur Apostolus justificari hominem per fidem sine operibus Legis. Sed fortassis hæc aliquis audiens resolvatur, & bene agendi negligentiam capiat, siquidem ad justificandum fides sola sufficiat. Ad quem dicemus quia post justificationem si injuste quis agat, sine dubio justificationis gratiam spernit.* Non opera ipsi justitiæ, sed justitiam operibus præposuit. Clarius etiam quod jacet paulo inferius: *Vbi vero fides non est quæ credentem justificet, etiam si opera quis habeat ex Lege, tamen quia non sunt ædificata supra fundamentum fidei, quamvis videantur esse bona opera, operatorem suum justificare non possunt, si eis deest fides, quæ est signaculum eorum qui justificantur à*
E *Deo:* & quod libro sequente: *Propterea ergo & in alio loco Scripturæ dicitur de Abraham, quod ex operibus fidei justificatus sit; quia certum est eum qui vere credit, opus fidei & justitiæ operari, & totius bonitatis.* Caute vero ista legenda sunt, quæ disserit in 1. Rom. 3. 30. *Quod si requirat aliquis curiosius, ii qui ex fide justificantur, per quem justificentur; & rursum ii qui per fidem justificantur, in quo justificentur: licet fortassis multa in hoc curiositas videatur, tamen convenienter dicere possumus quod qui ex fide justificantur, initio ex fide sumto, per adimpletionem bonorum operum consummantur; & qui per fidem justificantur, à bonis operibus exorsi per fidem summam perfectionem accipiunt.* Quæ tamen ferri poterunt, si ita intelligantur, justificationi præire quidem posse opera bona, sed non ejusmodi, quæ ad hanc apprehendendam conferant quicquam; qualia sunt opera illa quæ lege naturali suadente perficiuntur.

F Pergit ostendere Jansenius parum sana fuisse Origenis de lege Moysis placita, ut qui *Ians. Tom. 1 lib. 6. c. 14.*
per eam peccatum fuisse imminutum ac restrictum crediderit, contra hoc Apostoli pronuntiatum: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum*: atque hæc placita Pelagii & Juliani *Rom. 5. 20.*
doctrinæ scribit esse consentanea, in iisque fuisse ab Augustino profligata & confossa. Non ego sane usque adeo Origenis caussæ faveo, ut naturalis legis vires præter æquum prædicatas ab eo fuisse negem; ac illas itidem Mosaicæ Legis, quas ita extulit, ac si non peccatum duntaxat prohibuerit ea Lex, sed gratiam etiam hominibus ad vincendum illud contulerit; ac si per illam non cognitio solum peccati, sed etiam sanatio contigerit; ac si non ad priora peccatorum genera, quæ precesserant Legem, prævaricatio præterea accesserit, quæ prævaricatio nisi lege lata esse non potest; ac si non nitentibus in vetitum hominibus, concupiscentia Lege frænata creverit; ac si non apparere tantum cœperit, & deputari

pecca-

peccatum, sed etiam ablatum fuerit. Dici tamen potest in gratiam Origenis, non peccata per A
Legem absolute dimissa ipsum pronuntiasse, sed *ex parte aliqua*; quia Moyses *ex præcepto Regis primi sacrificia instituit, quibus certa solennitate oblatis diceret: Et remittetur ei peccatum.* Verba sunt Origenis libr. 5. in Epist. ad Rom. ex eo ipso loco quem profert Jansenius. Hæc autem remissio peccatorum quoniam imperfecta erat, & illius umbra quæ merito sanguinis Christi impetratur, idcirco non plene & perfecte, sed ex parte aliqua tyrannidi mortis ac peccati per Legem obsisti dixit. Id ipse perspicue significat, cum addit obsistente quantumlibet Lege prævaluisse peccatum, nec Legi succenturiatos Prophetas vim peccati cohibere potuisse, sed affuisse tandem Christum, ac de morte & peccato triumphasse. Præterea Lege lata aliquo sensu compressa fuisse dici potest peccati vis; non quod hanc re ipsa Lex compresserit, sed quod ad eam comprimendam lata sit; spectato consilio, non eventu: nam, se- B
cundum Ambrosium, *Apostolus ostendit quid provenerit data Lege, non quid Lex fecerit. Non enim*, ut habet S. Thomas in Rom. 5. 20. *ad hoc fuit data Lex, ut peccatum abundaret; quin potius Lex, quantum in se fuit, peccatum prohibuit, secundum illud Psalm. 118. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Sed nec aliter per Legem incrementum accepisse peccatum tradunt Patres nonnulli, quam quia per Legis promulgationem cognitum est id esse peccatum, quod antea vulgo ignorabatur; unde prævaricatio & transgressio, juxta illud Rom. 3. 20. *Per Legem enim cognitio peccati.* Chrysostomus Homil. 10. in Epist. ad Rom. ἐπειδὴ γὰρ βάναυσοί τινες ἦσαν ἰουδαῖοι καὶ ἐκλελυμένοι, καὶ πρὸς ἅπαντας τὰς ἡδονὰς ἀκαπεπωκότες. τοῦτο χάριν ὁ νόμος ἐδόθη, ἵνα ἅπαντες ἐλέγξῃ μειζόνως, καὶ διδάξῃ σαφῶς ἐν οἷς εἰσι, καὶ τὴν κατηγορίαν αὐξήσας, ὅπως φείγῃ μᾶλλον αὐτούς. *Quoniam enim illiberales erant Judæi, & dissoluti, & ad ipsa dona supini, idcirco Lex data est, ut illos videlicet vehementius coargueret, aperteque doceret, quo in statu essent, atque accusationem augens ipsos magis constringeret.* Hieronymus in Epist. ad Galat. 3. 21, 22. *Nec vero æstimandum Scripturam auctorem esse peccati, quia omnia sub peccato concluserit dicatur: cum mandatum quod ex jure præcipitur, ostendat potius, arguatque peccatum, quam sit causa peccati.* Augustinus libr. 2. contr. Julianum, cap. 22. *Originale peccatum non quidem post Legem crevit, sed tamen Lex etiam ipsum, cujus abolitionem circumcisione infantis significaret, invenit; sicut invenit etiam peccata ignorantiæ, quæ nec ipsa data Lege creverunt: quandoquidem potius ipsa ignorantia diminuta est, quia scientia Legis accessit: sed peccatum sine quo nemo nascitur, crevit voluntatis accessu, originali concupiscentia trahente peccantes assensu. Abundavit autem peccatum, id est, nimis crevit, posteaquam per Legem facta est cognitio peccati, & cœpit etiam prævaricatione peccare.* S. Thomas in Rom. 5. 20. *Secundo autem potest responderi, ut dicatur quod ly, ut, teneatur causaliter, ita tamen quod loquatur Apostolus de abundantia delicti, secundum quod est in nostra cognitione; ut sit sensus, Lex subintravit, ut abundaret delictum, id est, ut abundantius delictum cognosceretur, secundum modum loquendi quo dicitur aliquid fieri, cum innotescit. Unde supra dictum est, quod per Legem est cognitio peccati.* Juvat quoque Origenem qnod habet ibidem S. Thomas, post Legis promulgationem ruentibus nonnullis in vetitum nefas, quosdam ad meliorem frugem evasisse, in iisque repressum fuisse peccatum. *Sciendum tamen*, inquit, *quod sicut Philosophus dicit in 10. Ethic. prohibitio Legis, licet illos qui sunt male dispositi cohibeat ab exterioribus peccatis solo pœnæ timore, quosdam tamen bene dispositos inducit per amorem virtutis, sed ista bona dispositio quantum ad aliquid potest esse à natura, sed ejus perfectio non est nisi per gratiam, ex qua contingit quod etiam Lege veteri data, non in omnibus peccatum abundat, sed in pluribus. Quidam vero Lege prohibente, & gratia ulterius adjuvante, ad perfectionem virtutum tandem pervenerunt, secundum illud Eccles. 44. Laudemus viros gloriosos, &c. & infra: Homines magnos virtute.* Suffragatur & illud Thomæ, nostro Adamantio, ex 1. 2. q. 98. a. 1. *Lex vetus rationi consonabat, quia concupiscentiam reprimebat, quæ rationi adversatur, ut patet in illo mandato: Non concupisces rem proximi tui, quod ponitur Exod. 20. Ipsa etiam omnia peccata prohibebat, quæ sunt contra rationem.* Et articulo sequente docet Legem veterem *homines ordinasse ad Christum per modum cujusdam dispositionis, dum retrahens homines à cultu idololatriæ, concludebat eos sub cultu unius Dei, à quo salvandum erat humanum genus per Christum.*

XII. Atque utinam commodis æque expositionibus Origeniana de gratiæ divinæ au- F
xiliis dogmata lenire possemus: verum tam aperte adversus eam grassatus est, frustra ut omnis color adhiberi posse videatur. Manifesto quippe ab humana voluntate, ejusque arbitrio divini modum mensuramque auxilii pendere voluit, licet ad operis perfectionem cœlesti hominem carere non posse subsidio fuerit opinatus; refragante Apostolo qui non *perficere* solum, sed *velle* etiam à Deo esse scisit: prorsus ut, non Pelagianis, sed Massilienfibus seu Semipelagianis hac in parte Origenes præluisse dici possit. Hæc ut repetantur altius, sciendum est Basilidem, Valentinum, Marcionem, aliosque prisci ævi Hæreticos, ipsoque vetustiores Origene, causam persecutantes, quamobrem alios Deus ad gloriam destinet, alios perire sinat, nullis ipsorum præcedentibus meritis, Jacobumque adhuc in uteri claustris absconditum dilexerit, Esau vero ibidem delitescentem odio habuerit; præclarum

A clarum istud invexisse delirium, homines non unius esse ejusdemque inter se naturæ, sed alios esse πνευματικούς, alios ψυχικούς, σαρκικούς alios seu χοϊκούς· atque ita ad vitam destinatos esse πνευματικούς, ita ad interitum σαρκικούς, ut quodcunque tandem amplectantur vitæ genus, quibuscunque tradant se vel virtutibus vel vitiis, necessario salutem illi, hi consequantur mortem; ψυχικοὺς vero pro meritis alterutro donatum iri. Quæ commenta cum Scripturæ sacræ decretis adversari probe intelligeret Adamantius, eaque jure exhorresceret, fumum fugiens, quod dici solet, in ignem incidit; absurdioremque sententiam amplexus est, quæ animarum statuit προϋπαρξιν, quamque supra exagitavimus. Animas itaque censuit longis annorum curriculis recte vel male traditas sibi à Deo provincias administrasse, ac juxta meritorum suorum mensuram varios variosque à Deo recepisse gratiæ modos; hincque omnem extitisse diversitatem, quæ homines, ut Apostoli more loB quar, discernit, antequam boni quicquam vel mali egerint. Doctrinæ hujus assertiones & argumenta extant libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 7. & libr. 3. cap. 1. (Philocal. cap. 20.) Item libri ejusdem tertii cap. 3. & libr. 7. in Epist. ad Rom. & libr. 9. Quæ quoniam fuse jam supra exposuimus quæst. 6. iterum referre nihil attinet. Nonum modo secundi libri De principiis caput relegi velim, in quod dispersas alibi doctrinæ hujus particulas plena manu congessit: nam postquam diversas illas naturas ab Hæreticis supra nominatis confictas, collectasque eorum rationes confutavit; tum dogma explicat suum, diversitatemque animarum ratione præditarum ex arbitrii libertate proficisci docet, ex qua diversitate eximia illa totius mundi consonantia diversis constans partibus exorta sit. Hinc injustitiæ nota absolvere Deum putat, inhæsura alioquin illi, si non pro meritis unumquemque, sed pro C libitu suo exornet, quæ confirmat deinde exemplo Jacobi & Esau, aliaque in eam sententiam colligit.

Adversum hæc aspere, pro eo ac debuit, sese commovit Jansenius Tom. 1. libr. 6. cap. 15. & ut divinæ gratiæ penitus contraria merito rejecit. Rejecit & multo ante S. Thomas libr. 2. contr. Gentil. cap. 44. Pamphilus tamen in Apologia pro Origene, in eadem fere causa est qua Origenes, si nos Rufini interpretamenta non fallunt; nam ut Origenianam defendat animarum προϋπαρξιν, reliquas de animæ origine opiniones absurditatis insimulans, & eam quoque carpit, quam nunc Ecclesia propugnat, quæque formatis in utero corporibus animas recens creatas inseri decernit: id si fit, injustum fore Deum ait Pamphilus, qui nullius culpæ insontes animas vel cæcis vel debilibus corporibus infundat, vel aD pud barbaras Gentes vitam ducere jubeat. Vides labefactatum ac peremtum gratiæ cœlestis auxilium.

XIII. At non pro iis duntaxat, quæ recte vel male egerunt animæ, priusquam corporibus nostris illaberentur, diversa eas à Deo gratiæ dona consequi opinatus est Origenes, sed prout etiam sese in hac vita gesserint, novis gratiæ incrementis cumulari censuit; adeo ut quidquid nobis gratiæ largitur Deus, id libero nostræ voluntatis arbitrio acceptum referendum sit, per quod talibus donis digni effecti sumus; nihil autem soli & absoluto Dei consilio relinquatur, atque ita nobis, ut ita dicam, obnoxiam Dei gratiam efficit. Itaque liberi arbitrii vires quasi nullo egentes gratiæ adminiculo ita deprædicat Hom. 10. in Levit. *Sive ergo spiritalis effectus unus cum Domino spiritus fiat: sive per resurrectionis gloriam in Angelorum* E *ordinem transeat, recte jam non erit homo: sed unusquisque ipse sibi hoc præstat, ut vel excedat hominis appellationem, vel intra conditionem hujus vocabuli censeatur*: & Homil. 1. in Ezech. *Tu vero, Homo, quare non vis arbitrio te tuo derelictum? Quare ægre fers niti, laborare, contendere, & per bona opera te ipsum causam tuæ fieri salutis? An magis te delectabit dormientem, & in otio constitutum æterna prosperitate requiescere? Pater meus, inquit Dominus Jesus Christus, usque modo operatur, & ego operor: & tibi displicet operari, qui ad opera natus es? Non vis opus tuum fieri justitiam, sapientiam, castitatem? Non vis opus tuum esse fortitudinem, aliasque virtutes?* Manifesta quoque illa sunt libr. 1. περὶ ἀρχῶν, c. 5. *Per hoc consequens est in nobis esse, atque in nostris motibus, ut vel beati & sancti simus, vel per desidiam ac negligentiam à beatitudine in malitiam & perditionem vergamus*: atque itidem ista Homil. 35. in Luc. *Da ergo operam ut libereris à principe ad quem te trahit* F *adversarius. Da operam ut habeas sapientiam, justitiam, fortitudinem, atque temperantiam: & tunc complebitur: Ecce homo, opera ejus ante faciem suam*: & hoc quoque libr. 7. in Epist. ad Rom. *Vt boni enim aut mali simus, nostræ voluntatis est: malus autem ad cujusmodi verbera, & bonus ad cujusmodi gloriam destinetur, voluntatis est Dei.* Plenius vero buccis eadem illa deblaterat, c. 1. libr. 3. περὶ ἀρχῶν, quo capite libertatem arbitrii asserendam & propugnandam suscepit: ibi quippe tentationibus obsequi, vel obsistere, in nostra positum esse potestate dicit, nec necessarium ad id gratiæ subsidium agnoscit; sed quadam tantum eruditione, quæ salubria nobis exempla & sanctioris doctrinæ præcepta pro tempore suggerat.

XIV. Quod si gratiæ nos egere auxiliis agnoscat aliquando, gratiam solum voluntatis nostræ pedisequam, ad ejusque nutum compositam, & pro meritis à Deo in homines ero-

gatam ; non excitantem , non gratis datam admittit. Velut in cap. 8. libr. 2. περὶ ἀρχῶν, A ait *voluntarios & liberos motus à se conditis mentibus Creatorem indulsisse , quo scilicet bonum in eis propositum fieret , cum id voluntate propria servaretur* : & capite priore libr. 3. Paulinum illud exponens : *Ergo cujus vult miseretur , & quem vult indurat* , minime id quidem Deo propositum esse docet , ut quemquam induret , sed per bonum propositum indurare eum dici qui induratur , quia ex hoc ipsius proposito sequitur , ut per inhærentem sibi malitiam ille induretur ; quæ sic pro sua consuetudine dilatavit Rufinus : *Vno eodemque tempore Deus alterius quidem miseretur , & alium indurat , non agens neque volens ut induretur ille qui induratur : sed dum ipse benignitate sua & patientia utitur , his quidem qui ejus benignitatem & patientiam ad contemtum atque insolentiam ducunt , induratur cor , dum ad terminum pœna differtur : hi vero qui benignitatem & patientiam ejus ad occasionem pœnitentiæ & emen-* B *dationis accipiunt , misericordiam consequuntur.* Gemino deinde exemplo luculentius id demonstrat ; priore quidem petito ex Ebr. 6. vers. 7. 8. ait enim divinam gratiam similem esse imbri terras irriganti , quarum aliæ spinas dant & tribulos ; segetem illæ & fructus ferunt ; pro varia scilicet cultura , quamvis ejusdem sint naturæ. Terras itaque , hoc est animas , ad voluntatis arbitrium excoli & parari putat ; imbrem vero postmodum à Deo infundi. Idem probat exemplo Solis , qui una eademque luce & calore limum indurat , & ceram liquefacit : *non quod virtus ejus* , addit Rufinus , *aliter in limo , & aliter operetur in cera , sed quod limi alia , alia quoque ceræ sit qualitas , cum utique secundum naturam unum sit , quia utrumque de terra est.* Exponit deinde quomodo auferat à nobis Deus cor la- C pideum , & immittat carneum : nempe subversum iri censet libertatem arbitrii , si po- testati divinæ cordis mutationem tribuamus : tum sententiæ suæ explanandæ caussa , in- doctum aliquem sumit in exemplum , qui vel aliorum adhortationibus , vel aliunde im- peritiam suam intelligens , erudiendi caussa accedit ad Doctorem , Doctor vero voluntate ejus perspecta doctrinæ suæ præcepta traditurum se polliceatur : ἕτως, inquit , ὁ θεῖος λόγος ἐπαγγέλλεται τὴν προσιόντων τὴ παιδίαν ἐξαιρεῖν , ἵνα ὠνόμασε καρδίαν λιθίνην , ἐκ ἐκείνων μὴ βουλομένων , ἀλλ' ἑαυτὸς τῷ ἰατρῷ τῷ καμιόντων παρεσχηκότων. Quasi non à Deo habeamus hoc ipsum , ut ac- cedere , ut sanari velimus. Similia sunt quæ sequuntur : καὶ ἔστι , φέρ' εἰπεῖν , τὸ τὰς τύφλας ἀναβλέψαι , ἔργον , κ' μὴν τὸ ἀξιωκῆναι , τῶν πιστευόντων δύνασις θεραπεύεσις , κ' δὲ τῶ ἀποκατάστασιν τ ὑράσεως , τ σωτῆρος ἡμῶν. Reliqua pari vitio laborant. Nihilo saniora sunt quæ leguntur li- bri ejusdem capite 6. in quibus hominem divinæ imaginis dignitatem , cum procrearetur à D Deo , accepisse ait ; similitudinis vero perfectionem in consummatione servatam : *Scilicet* , inquit , *ut ipse sibi eam propriæ industriæ studiis ex Dei imitatione conscisceret , cum possibilitatem sibi perfectionis divinitus datam per imaginis dignitatem , in fine demum per operum expletionem perfectam sibi ipse similitudinem consummaret.* Addit deinde , *similitudinem Dei sperandam , quæ pro meritorum perfectione præstabitur.* Nec ista tolerabiliora ; quæ legimus Homil. 11. in Num. *Omnia enim apud Deum ratione & judicio fiunt , nec ad gratiam sed pro merito* , &c. penitus nempe gratiæ beneficium hæc perimunt ; quemadmodum & illa è Tom. 11. in Matth. pag. 214. ἐνταῦθα δὲ ἡμεῖς ἐσμεν ὁι αἴτιοι τ ἔχ καλὰ καὶ ἄξια τῶν λεγομένων ἁγίων ἡμῖν , ἢ σαφρὰ καὶ ἄξια τ ἔξω βληθῆναι· ἐ γὰ φύσις ἐν ἡμῖν αἰτία τ πονηρίας , ἀλλὰ προαίρεσις ἐκύσι θ ὅσα κακοποιητική· ὕτως δὲ E ἐδὲ φύσις αἰτία δικαιοσύνης , ὡς ἀνεπίδεκτ θ ἀδικίας , ἀλλὰ λόγ θ ὃν παρειλήφαμεν , ὁ κατασκευάζων δι- καίως· & ista è Tomo sequente , pag. 299, 300. μὴ σωόντ θ τῶν ἀρκουμένω πνεύματ θ ἐχθρὸς τῶν διδομένω πνεύματι καὶ σοφίᾳ ζῶς πρὸς τὸ ὁμολογεῖν καλά τινα ἄξιαν αὐτῶν ὑπὸ θεῦ βουλομένοις· & hæc quoque è Tom. 16. pag. 415. ὁ δὲ σωτὴρ διελέγχων καὶ τ τηλικαύτην μεγαλόφωνον μητέρα τ ἰακώβου καὶ ἰωάννου , ὡς ἀγνοῦ- σαν τίνες ὁι ὑπερέχοντες, καὶ ὅτι ἡ τηλικαύτη δωρεὰ χάεις ἔστ τ ὅλη πᾶσι θεῦ συμπνέοντ θ καὶ συνεργοῦντ θ, κ' ἰσρύοντ θ· ἐν τῇ τοιαύτῃ ὑπεροχῇ ὡς ὐδεὶς ἐπιτηδείως , &c. nec non & illa è Tomo 13. in Johann. pag. 199. τάχα γὰ δόγμα τί ἐστ, μηδένα λαμβάνειν δωρεὰν , τῶν μὴ αἰχμητῶν αὐτοῦ· Manifeste quoque hunc Apo- stoli locum in suam trahens sententiam pervertit libr. 3. in Epist. ad Rom. *Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes , sive prophetiam secundum rationem fidei* , &c. hinc quippe colligit donari gratiam à Deo secundum rationem fidei : tum ex eo- dem loco & ex alio Epistolæ prioris ad Corinth. sic concludit : *Vnde mihi videtur tam ad Romanos quam ad Corinthios scribens , tres capiendæ gratiæ modos docere , ut ex nobis in eo agi* F *aliquid ostendat , plurimum vero in Dei largitione consistere. Ponit ergo & mensuram fidei esse , per quam quis gratiam capit ; ponit & ad id quod expedit ; & Spiritum dividere prout vult. Vt ergo in nobis tanta fides inveniatur , quanta posset sublimiorem gratiam* (sic enim legendum) *pro- mereri , nostri operis videtur & studii : ut autem ad id detur quod expedit , & utile sic accipienti , Dei judicium est ; vel omnino si dari velit , in ipso est.* Pari insania corrumpit ibidem hoc alte- rum è 1. ad Cor. 12. v. 18. *Nunc autem posuit Deus membra , unumquodque eorum in corpore , sic- cut voluit. Voluit autem* , inquit , *Deus secundum fidei mensuram quæ est in nobis , vel voluit ad id quod expedit. Nisi forte & ita aliquis hoc velit intelligere : Deus posuit in corpore unumquodque membrum prout voluit , ut , voluit , ad membrum magis referatur , hoc est , prout voluit , prout elegit , prout operam dedit , ne videatur de homine arbitrii potestas auferri.* Denique in Catenis in Psalmos

talia

A talia refertur effutiisse ad Psalm. 120. 3. μὴ δῴης εἰς σάλον τὸν πόδα σου· μὴ νυστάξαιτις, φησὶ, μηδὲ σκανδαλισθῇς. καὶ ὅτε ἔχεις θεὸν χεῖρα ὀρέγοντα. ὥστε παρ' ἡμῶν δεῖ τὰς ἀρχὰς, καὶ ὁ θεὸς τὰ ὑπέρ ἡμᾶς χαρίσασθαι ἐθέλει.

Ut magis etiam pateant doctrinæ hujus adyta, observandum est, duplicem in nobis ab Origene constitui fidem, aliam humanam, quam viribus propriis nullo præsidio firmatis habere possimus; divinam aliam, quæ nobis Dei gratia infundatur. Nec duplicem solum fidem, sed virtutes etiam reliquas in nobis duplices esse putat, quarum aliæ sint à nobis, aliæ à Deo: illas autem ad salutem consequendam nihil prodesse, nisi harum consortio roborentur. Panduntur hæc oracula Tract. 33. in Matth. *Ut puta*, inquit, *fidem habenti quæ est ex nobis, dabitur gratia fidei, quæ est per spiritum fidei, & abundabit: & quidquid habuerit quis ex natu-*
B *rali creatione, cum exercuerit eum, accipit idipsum & ex gratia Dei, ut abundet, & firmior sit in eo ipso quod habet*; quod de omni itidem virtute intelligendum esse scribit. Demum concludit: *Propterea si volumus ut detur nobis virtus perfectior, & abundet in nobis quod perfectum est inter homines, per diligentiam omni modo acquiramus, & postquam acquisierimus quasi intelligentes, quoniam in nihilum hæc reputantur sine gratia Dei, humiliemus nosmetipsos sub manu valida Dei, & oremus sine ira & disceptatione levantes puras manus, ut omnium bonorum quæ sunt in nobis perfectio detur ex Deo, & faciat nos perfectos & acceptabiles Deo, quasi Filios Dei.* Eandem recoquit cramben libr. 4. in Epist. ad Rom. atque ita accipi vult vocem hanc Apostolorum ad Christum: *Auge nobis fidem: Quia*, inquit, *etiam fides ipsa, qua credere videmur Deo, dono in nobis gratiæ con-*
C *firmatur.* Atque idem subinde replicat libr. 9. idque comprobare satagit Apostolico isto: *Alteri fides in eodem spiritu: Quod fides*, inquit, *quæ speret & credat, & absq; ulla dubitatione confidat, in nobis est; ratio vero fidei ipsius, & scientia, & perfectus eorum intellectus quæ credimus, donatur à Deo.* Ac tandem: *Sicut est fides quam docuimus esse in nobis, & rursus est fides quæ per gratiam datur, sicut supra dixtimus scriptum esse: Alii fides in eodem spiritu; ita etiam in unoquoq; horum quæ supra enumeravimus à Deo per gratiam dari, erit & in nobis aliquid, ad cujus unusquisque mensuram vel rationem, gratiam promeretur.* Hæc eo scilicet commentus est, ut aggressionem boni operis à voluntate nostra suspenderet; successum vero & perfectionem à Deo.

Jam vero genuinum Origenis sensum odorari promtum est in multis, quibus legitimam gratiæ vim visus est prædicasse: ut cum libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. optime dici asserit, ædificium non ædificantis, sed Dei opus esse; & urbis tutelam, non custodibus & vigiliis militum, sed
D Deo recte adscribi: sic enim rem intelligendam esse vult, operis susceptorem fuisse hominem, Deum perfectorem; nec sufficere voluntatem humanam ad consequendum finem, nisi Deus ad id opituletur; quod eo probari putat: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* In quem locum repetit eadem & extendit libr. 7. in Epist. ad Rom. ex eoque demonstrari ait, *quod homo quidem laborem impendat & sollicitudinem; Deus autem successum operi tribuat & effectum*; ideoque operis summam Deo potius quam homini esse deputandam. Confirmat illud Pauli verbis, 1. Corinth. 3. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*: tum ait: *Certum est Deum non solum scire uniuscujusque propositum ac voluntatem, sed & præscire. Sciens autem & prænoscens, tanquam bonus dispensator & justus, uniuscujusque motibus & proposito utitur ad ea opera perficienda, quæ unituscujusque animus ac voluntas eligit*: & po-
E stremo, *ut boni enim*, inquit, *aut mali simus nostræ voluntatis est; malus autem ad cujusmodi verbera, & bonus ad cujusmodi gloriam destinetur, voluntatis est Dei.* Non aliud sonant verba hæc è lib. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. *Evidens igitur ratio est, quia sicut in rebus humanum propositum solum per seipsum imperfectum est ad consummationem boni; adjutorio namque divino ad perfecta quæque perducitur, &c.* In his Origenes splendide ἡμιπελαγιαίζει, inceptionem, hoc est, *velle*, homini tribuens; Deo vero duntaxat, *perficere*. Rufinus vero quasi parum his erroris inesset, novis ea deliriorum suorum accessionibus infuscavit. Sed Origenis insanias revelare pergamus. Is in fine prioris capitis libri 3. περὶ ἀρχῶν, postquam pulchre visus est Dei scientiam cum libertate conciliasse, omnia conclusione pessima depravat, cum ait, nullum ad honorem vel ignominiam à Deo parari, ἐὰν μὴ ὕλαι τινὰ διαφορᾶς ᾖ ἢ ἡμετέραν προαίρεσιν, πλύνουσαν ὅτι τὰ
F χείρονα, ἢ ἐπὶ τὰ κρείττονα· quod iterat libr. 2. c. 9. Libro quoque Operis ejusdem priore, cap. 3. dicit *in illis solis esse opus Spiritus sancti, qui jam se ad meliora convertunt, & per vias Christi Jesu incedunt, id est, sunt in bonis actibus, & in Deo permanent*: quasi aliquis ad meliora converti queat, absque opere & gratia Spiritus sancti. Nec patrocinantur ei sequentia, cum ait, *Spiritum sanctum extinctis peccatoribus & indignis, ipsum sibi novum populum creare, & renovare faciem terræ, cum per gratiam Spiritus deponentes veterem hominem cum actibus suis, in novitate vitæ cœperint ambulare*: quo sensu quippe hæc pronunciaverit, ipse paulo post patefecit, docens *Deum Spiritu oris sui quæ digna sunt sanctificatione sanctificare*: deinde subnectit: *Est & alia quoq; etiam Spiritus sancti gratia quæ dignis præstatur, ministrata quidem per Christum, inoperata autem à Patre, secundum meritum eorum, qui capaces efficiuntur.* Nec quemquam fallant illa ex Homil. 1. in Genes. ubi Christi gratiam solaribus radiis comparat, eaque mentes nostras illu-

strari asserit, nisi cæcitas illarum impediat; quemadmodum oculis nostris Solis lumen ad- A
mittimus, nisi nostra cæcitate prohibeamur. Recte id quidem, nam & ad explicandos gratiæ effectus eamdem usurpat comparationem Augustinus. Verum in sequentibus semipelagianizat, cum significans eo nos majori luce collustratum iri, quo propius ad eum accesserimus, *Non similiter tamen*, inquit, *venimus ad eum omnes, sed unusquisque secundum propriam suam virtutem*: nempe accedere ad Christum, vel ab eo recedere, in nostra ponit potestate. Scribit idem Tom. 13. in Matth. p. 241, 242. Discipulis naviculam conscendentibus, & deinde mari ac vento jactatis, homines adversis tentationibus oppugnatos signari, qui eas quidem sustinere, & in medium mare propria virtute pervenire queant; superiores vero evadere, & oppositam ripam attingere non valeant, nisi Christi ope subleventur: id est, boni quidem initium à nobis esse, finem ac consummationem à Deo. Denique libr. 6. in B
Epistol. ad Rom. *Quamvis enim* (libertas arbitrii) *sit etiam virtus & maneat in natura, tamen tanta charitatis vis est, ut ad se omnia trahat, omnesque sibi societ, vindicetque virtutes, maxime cum charitatis causas prior nobis dederit Deus, qui unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum illo omnia nobis donavit.* Quæ ita quidem sonant, quasi Deum per Filii mortem charitatis gratiam nobis largitum fuisse velit ante omnem voluntatis motum. At alia longe hic latet sententia, nimirum Deum per mortem Filii causas nobis priorem dedisse, quare ipsum charitate & amore prosequeremur; hanc autem charitatem & amorem à nobis pendere.

XV. Unde porro in has opinationes adductus sit, neutiquam ipse dissimulat, sed cap. C
1. libr. 3. περὶ ἀρχῶν, varios recitat Scripturæ locos, aliosque multos ait silentio sese præterire, unde causam suam confirmari putat. Persuadent illi quidem hominem vitium inter & virtutem, tamquam in bivio positum, ad utrumlibet ferri posse, sed ita tamen ut gratiæ non juvantis solum, sed excitantis etiam subsidium non excludant; quod ab Origene factum ostendimus. Illo vero præcipue Pauli videtur abusus, qui est 2. Tim. 20, 21. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.* Id ita accipit, quasi solis voluntatis nostræ viribus, omni destitutis auxilio, peccatorum sordes pœnitentia eluere possimus. Quod Pelagianum prorsus est.

Magdeb. Cent. 3. c. 10. XVI. Adversus ea excandescunt Magdeburgenses, excandescit & Iprensis Præsul, D
in eaque itidem ut in superiora, stylum suum distrinxit Tom. 1. libr. 6. cap. 15. demonstravitque opinionem istam Origenis, ipsum hunc esse errorem Masilienſium, gratiæ Christi capitalem. Quod ut verum esse concedimus, & jure reprehensum hoc nomine fatemur Origenem; ita præter æquum fuisse culpatum pertendimus, quod de gratia divina differens, *ei provocationes libertatis ac suasiones tribuat*: puta libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 9. *Per gratiam misericordiæ suæ omnibus providet* (Deus) *atque omnes quibuscunque curari possunt remediis hortatur, quia provocat ad salutem*: & libr. 3. cap. 2. *Nihil aliud putandum est accidere nobis ex ipsis quæ cordi nostro suggeruntur, bonis vel malis, nisi commotionem solum & incitamentum, provocans nos ad bona vel mala.* His addere poterat & illum è libr. 1. Operis ejusdem, cap. 8. *Benignitas enim Dei secundum quod se dignum est, provocat omnia, & attrahit ad beatum finem illum, ubi perit & aufugit* E
omnis dolor & tristitiæ gemitus. Verum ecquænam vocum illarum suasionis, incitamenti, provocationis, hortationis invidia est, quas iisve adsimiles Augustinus usurpavit? Verbi gratia in libro de spiritu & litera, c. 34. *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut et credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat: profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Ubi notanda obiter potestas illa voluntatis ad consentiendum vel dissentiendum, quam supra tuebamur. Item capite eodem: *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur; illi autem non ita duo sola occurrunt interim,* &c. Quæ pauca de multis seligere satis habuimus. F

XVII. Modum tandem ponemus huic dissertationi, in Origenis favorem illud iterantes quod supra attigimus, quæcunque ad declarandam ejus opinionem adduximus è libris à Rufino interpretatis, parum ipsi præjudicare. Interpolare enim omnia Rufinus, quæcunque suscepit interpretanda, eaque præter Auctorum sententiam detorta, ad sua dogmata accommodare solenne habuit; male autem de libertate arbitrii sensisse ipsum fidem facit Concilium Romanum LXX. Episcoporum: *Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros; nonnullas etiam Scripturas interpretatus est: sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de libertate arbitrii notavit, illa sentimus quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus.* Recordandum præterea est ante Pelagii tempora leviter ac perfunctorie quæstiones illas de libertate arbitrii, deque gratia Christi, & prædestinatione fuisse tracta-

tas

A tas; proindeque in re obscura, neque satis Ecclesiæ definitionibus illustrata cespitare promtum fuisse. Addemus & illud, purum putum Semipelagianismum de gratiæ divinæ auxilio differentem Origenem prodidisse quidem; à Pelagianismo vero, qui tum boni susceptionem operis, tum etiam perfectionem, liberi arbitrii ac naturæ viribus tribuit, fuisse alienum; eoque in aliquibus tantum, non in omnibus fuisse infectum; nimiumque videri, quod tam sæpe jactavit in eum Iprensis Episcopus, *nihil perniciosum Pelagianorum scripta præferre, quod non Origenes luculentius præformaverit, audaciusq; protulerit.*

Quod si Semipelagianæ doctrinæ leviora sparsisset semina Origenes, prodesse illi forsitan posset animadversio hæc, Patrum auctoritate suffulta; etiamsi gratia recte factis hominum promerita quandoque dicatur, non semper tamen excludi aliam gratiam antecedentem,
B cujus auxilio homines recte egerunt; sed minus spectari priorem illam, quod à salutis impetratione remotior sit quam posterior altera, licet ad eam consequendam necessaria sit. Facile solutio hæc plurimis Adamantii sententiis accommodaretur, in quibus gratiam ex præcedentibus meritis derivat. Cujusmodi illud est, quod mox adduximus: *Deum quæ digna sunt sanctificatione sanctificare, Spiritus sancti gratiam dignis præstari*, respondere quippe promtum esset, eos Spiritus sancti gratia & sanctificatione esse dignos, qui per antecedentem gratiam digni facti sunt. Tale est hoc Augustini Epistol. 49. ad Deogratias Quæst. 2. *Salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit*: & illud Chrysostomi Homil. 16. in Epist. ad Rom. τὸς ἀξίους ὁ θεὸς οἶδε μόνος. *Solus Deus novit qui digni sunt.* Sed Patrum illorum do-
C ctrinæ textura responsionem hujusmodi facile patitur, quam Origenianæ contextus omnino respuit.

Atque id obstat quo minus ad tutelam Origenis quicquam conducant selecta quædam loca, in quibus gratiæ divinæ meritum ac dignitatem præclare videtur propugnare: cujusmodi ille est è libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. ubi fontem esse totius sanctitatis Spiritum sanctum asserit, ex eoque sanctitatem accepisse quidquid sanctum est: *Similiter quoque*, inquit, *& natura Spiritus sancti quæ sancta est, non recipit pollutionem; naturaliter enim vel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumtione hac, vel inspiratione Spiritus sancti habet ut sanctificetur, non ex sua natura hoc possidens, sed accidens; propter quod & decidere potest quod accidit.* Insigne etiam est quod ait libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. naturam humanam contrariis Po-
D testatibus obniti propria vi neutiquam posse, at Dei subnixam auxilio impetus illarum facile exsufflare. Non minus pie de gratia divina disserit Tom. in Psalm. 4. ὁ μόνον τοίνυν εἰς τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἡμᾶς χρεία καὶ ἡ προαιρέσεως ἡμετέρας, καὶ ἡ θείας συμπνοίας, ἥτις ἐστὶν ὡς πρὸς ἡμᾶς ἀποροήτων. ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ ἡμύμμων καλὸν ἢ ἀγαθὸν, διαμεῖναι ἐν τῇ ἀρετῇ. Ubi non ad retinendam solum virtutem, sed ad capessendam etiam, divinam opem requiri docet. Et Homil. 4. in Psalm. 36. *Vides ergo quia Domini semper auxilio indigemus, primo ne cadamus; tum deinde etiam si ceciderimus, ut resurgamus.* Item Tom. 11. in Matth. p. 210. docet eos qui dimissis facultatibus suis Christum sequuntur, hoc consilium auxiliante Deo suscepisse. Sic vero scribit Tract. 35. in Matth. *Per hoc autem instruimur, ut nunquam sine consideratione aliquid promittamus super habitudinem nostram humanam, quasi qui valeamus Christi implere confessionem ex nobis,*
E *aut aliquid præceptorum Dei*; tum ait debuisse Petrum postulare à Deo gratiam, ut offensionem passis Christi discipulis, ipse non pateretur. At credidisse Origenem scimus ex reliquorum ipsius decretorum connexione, Petrum proprio voluntatis motu gratiam hanc postulasse, cum ne gratiam quidem absque præviæ gratiæ adjumento postulare possimus. Quod autem legitur libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. *Non dissimulatio divinæ providentiæ, sed humanæ mentis arbitrium caussa sibi perditionis existit: contulit etiam indignis & incredulis gratiam benefactorum suorum, ut vero omne os obstruatur; totumque à se, nihil à Deo esse sibi mens humana cognoscat*; id Rufinus de suo intrusit, quippe quod abest à vigesimo Philocaliæ capite, quo fragmentum illud operis περὶ ἀρχῶν, ita ut ab Origene scriptum est, Græce continetur.

XVIII. Diximus Origenem aliquibus duntaxat infectum fuisse erroribus, ex iis qui à
F Pelagio multis post annis propugnati sunt. Quo de genere dogma illud est, quod perfectos homines vim quandam adipisci definit, qua roborati peccatorum illecebris ac lenociniis obniti per se possint, tandemque ad id ascendant perfectionis culmen, ut ne levi quidem tentationum aura percellantur, planeque sint ἀπαθεῖς. Optime vero conjunctum illud est cum superiore ejus doctrina: nam qui ex se potest bene agere, sane ex se male non agere potest. Hanc, præter alias, suggillandi Origenis caussam habet Hieronymus: nam in Epistola ad Ctesiphontem, cap. 2. consimilem Pelagii, sed nequiorem etiam sententiam refellens, sicipsum alloquitur: *Vis adhuc & alium nosse tui erroris principem? doctrina tua Origenis ramusculus est. In eo enim Psalmo, ubi scriptum est, (ut de cæteris taceam:) Insuper & usq; ad noctem erudierunt me renes mei: asserit virum sanctum, de quorum videlicet & tu numero es, tum ad virtutum venerit summitatem, ne in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt, nec cogitatione*

vitiorum aliqua titillari: & in Procœmio Dialogorum adversus Pelagianos: *Illud autem Origenis proprium est, impossibile esse humanam à principio usque ad mortem non peccare naturam; & rursum esse possibile cum se aliquis ad meliora converterit, ad tantā fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit*: & in Procœmio libri 4. Comment. in Jerem. *Hæresis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας & ἀναμαρτησίας, id est, impossibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in discipulis ejus Grunnio* (Rufinum intellige) *Evagrioque Ponticо, & Iovinіano jugulata est, cœpit revivіscere.* Multos erroris hujus affines fuisse notat in libro sequente, in Jerem. 22. Palladius quoque Helenopolitanus Episcopus, quem Origenis disciplina imbutum fuisse constat, in hac ἀπαθείας hæresi versatus est; nam Sect. 8. Lausiacæ Historiæ, Amonis, ipsiusque uxoris scribens vitam, sic ait: *Cum hæc sic fierent, & pervenisset uterque ad impatibilitatem, vim & efficaciam habuere preces Amonis*: & Sect. 12. de Ammonio agens, ejusque sororibus ac fratribus, quos eosdem esse censeo, qui fratres Longi dicti sunt, & à Theophilo Nitria, & Ægypto expulsi ad Iohannem Chrysostomum confugerunt: de Ammonio, inquam, ita scribit: *Hoc ei suo suffragio tribuebat Evagrius, qui erat vir discernendi vi præditus* (nempe Ponticus ille Hyperborita) *se nullum hominem vidisse, qui esset magis impatibilis, & alienus ab omnibus animi perturbationibus.* Hinc Hieronymus Procœm. in Dialogos adv. Pelagianos, ἀπαθείας assertores exagitans: *Palladius*, inquit, *servilis nequitiæ eandem hæresim instaurare conatus est.*

In iis certe quæ supersunt Origenianorum operum reliquiis non frequentes occurrunt hujus opinionis notæ: nam quod extat in 1. Homil. in Ierem. prout ab Hieronymo conversa est: *Impossibile est enim quod semel vivificavit Deus, aut ab eo ipso, aut ab alio occidi*; ad vitam æternam, sanctosque ea fruentes referendum esse ostendimus in Observationibus; & ab Hieronymo præterea intrusum est. Tomo quidem 13. in Matth. p. 333. parvulos illos, quorum similes vult nos effici Christus, & quibus scandalum à nobis præberi vetat, quosque Patrem cœlestem perire velle negat, homines perfectionem consecutos significare conjicit Origenes; deinde subjungit ejusmodi parvulos neque perire, neque offensionem pati posse, quia *Pax multa diligentibus nomen Dei, & non est illis scandalum*, meritoque eos dicere posse: *Quis nos separabit à charitate?* Sed Ezechielis tamen auctoritate probat justi animam esse mutationi obnoxiam, & à Dei mandatis posse discedere, ita ut prioris ejus justitiæ nulla habeatur ratio; atque idcirco quo minus offensio eis à nobis præbeatur, Servatorem mandato suo prohibere. Libro quoque in Epistolam ad Romanos quinto, de morte peccati loquens: *Hic ergo homo*, inquit, *qui jam reformatur & reparatur ad imaginem Dei, neque terrenus, neq; in hoc mundo est, sed in cœlis dicitur esse conversatio ejus: & ideo secundum eum qui dicit: Vos autem non estis de hoc mundo, mors in eum non potest pertransire*: & deinde: *Quod si peccatum & mors in hunc mundum introivit, & in hoc mundo habitat, certum est alienos à morte, & à peccato esse eos, qui per Christum, vel cum Christo mortui sunt huic mundo, & cum ipso resuscitati, cum ipso etiam in cœlestibus sedere meruerunt, conversationem non in hoc mundo, sed in cœlis habentes.* Item alio libri ejusdem loco hæc habentur: *Si in id anima perfectionis ascenderit, ut ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis diligat Deum, & proximum suum tanquam seipsum, ubi erit peccati locus?* atque hunc ait perfectionis gradum assecutum fuisse Apostolum, cum dicebat: *Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu?* tum subnectitur: *Ex quibus omnibus evidenter ostenditur, quia si hæc omnia, quæ enumeravit Apostolus, separare nos non possunt à charitate Dei, cum in illud quis culmen perfectionis ascenderit, multo magis libertas arbitrii nos ab ejus charitate separare non poterit.* Verum hæc ab interprete Rufino, quem à Pelagiano fermento sibi satis non cavisse nemo nescit, inquinata fuisse possumus suspicari. Quemadmodum autem reprehensi ab Hieronymo erroris Origenem loci hi non satis liquido coarguunt, ita neque satis purgat ille qui extat Tom. 13. in Matth. p. 328. ἀνένδεκτον γάρ ἐστιν ἄνθρωπον εὑρεθῆναι πάντα ἀναμάρτητον, ἢ χωρὶς ἁμαρτίας ἀνειληφότα τὴν ἀρετήν· neque sanctiorum illa Patriarcharum enumeratio, quæ est libr. 5. in Epist. ad Rom. quorum neminem peccato immunem vixisse probat; (cui enumerationi contrariam à Pelagio institutam, eorum scilicet, *qui non modo non peccasse, sed etiam juste vixisse referuntur*, exhibet Augustinus in libr. de natura & gratia, cap. 55. de qua consuli velim Pelagii ipsius Epistolam ad Demetriadem, & Hieronymi librum 1. adv. Pelagian.) vitam enim ab hominibus perfectis actam intelligit, antequam ad summam perfectionem erepsissent.

At vix ullam admittit excusationem, quod ab eo scriptum est Tom. 12. in Matth. p. 286. ubi hoc Christi ad Petrum exponens: *Scandalum mihi es*, quærit quomodo stare illud possit cum isto Prophetæ: *Pax multa diligentibus nomen Dei, & non est illis scandalum*; & isto Apostoli: *Charitas nunquam excidit*: respondetque non Servatorem modo, sed & eum qui in charitate perfectionem adeptus est, scandalo obnoxium non esse; sed eum tamen qui peccat, quantum in se est, scandalum huic præbere. Præterea Tom. 15. in idem Evangelium, pag. 373. tradit pueros quibus manus imposuit Iesus, jam amplius Dæmonum assultibus, vel peccati illecebris percelli non posse: & pag. 385. ἔτος δὴ ὁ ἀνθυπαλλαττόμενος ἀντὶ πλάτος πείρας ὑπέρ

Psalm. 118. 165. *1. Cor. 13. 8.*

A ὑπὲρ τὸ τέλειον ἡμᾶς, πειθοῖς τοῖς ἁγίοις λόγοις, ἀθρόως ἂν ἐνθυμηθεῖν, ὡς οἱ ἀπόστολοι τῷ χριστῷ. πρὸς τὸ ἡμᾶς σοφοὺς ἐν χριστῷ, καὶ ἀνδρείους, καὶ δικαίους, καὶ σώφρονας, καὶ ἐκτὸς παντὸς πάθους φύσει ὄντως λελογισμένους. ὅτι καὶ ἀναγκαῖον τοῦτο νοεῖν· αὐτοῖς ἡμέρας ἀπαιτοῦσα τῷ ἀποδεδομένῳ τὰ ὑπάρχοντα, καὶ διδόντι πλουσίως, ἀλλ' ἴσως πᾶσαν τὴν ἀρετήν.

XIX. Sed nec fugit diligentiam Iprenſis Epiſcopi iſthoc Origenis deliramentum jam ante notatum à Magdeburgenſibus, quod luculenter exagitat Tom. 1. libr. 6. cap. 12. & 15. & præcipue libr. 4. Tomi ejusdem, cap. 19. ubi hanc ἀπαθείαν è Pythagoreorum, Stoicorum, Diogenis, Pyrrhonis, aliorumque Philoſophorum Scholis manaſſe demonſtrat. In quo miror hoc ei excidiſſe: *Quanquam nec Origenes hujus impaſſibilitatis primus auctor fuit.* B *Nam ut nihil de Manichæo dicam ..... jam olim Stoici putantur fuiſſe illius ἀπαθείας auctores.* Quaſi Origenem Manichæus tempore præceſſerit, quem certum eſt annis poſt Origenis obitum circiter viginti & uno hæreſim ſuam promulgaſſe. Tum hoc loco, & libr. 6. cap. 12. Tomi ejusdem, Priſcillianum, Manichæum, Gnoſticos, Evagrium Hyperboritam, Jovinianum, Pelagium, totiusque pæne Syriæ Hæreticos doctrinam hanc ab Origene ſumſiſſe auctore docet Hieronymo; interque eos Evagrium librum edidiſſe περὶ ἀπαθείας, qui à Rufino Latine converſus eſt. Solerter deinde obſervat, non ſatis caute Hieronymum diſtinxiſſe illa duo, facultatem habere non peccandi, & non habere facultatem peccandi; hoc eſt, *poſſe non peccare*, & *non poſſe peccare*. Quorum alterum è libero pendet arbitrio, quo fit ut poſſimus peccare, vel non peccare, gratiæ modo ad id poſtremum ſuppetat auxilium; alte- C rum vero arbitrii humani libertatem tollit, & à Valentinianis propugnabatur, qui homines πνευματικοὺς ejus eſſe volebant naturæ, quæ peccatum nullo modo reciperet: quod dogma, dogmatisque auctores perpetuis velitationibus Origenes urgebat; nunquam non hoc inculcans, nullam eſſe naturam quæ non ſit boni & mali capax, adeo ut ne ipſi quidem Angeli à peccato, peccatique pœnis eſſent immunes. Perperam ergo Hieronymus ἀναμάρτητον, idem eſſe retur, quod, *ſine peccato*; nam, ἀναμάρτητον, eſt, *incapax peccati*: perfectos autem non incapaces peccati volebat Origenes, neque Pelagius, ſed peccato carere poſſe; imo vero prædicabat Pelagius non id agi, utrum aliquis peccati per totam vitam fuiſſet exors, ſed utrum homines peccati exortes eſſe queant, quod per arbitrii liberi vires fieri poſſe affirmabat; & Adamantius quoque neminem ſine peccato vixiſſe putabat, ut ſupra dixi. Atqui D fieri poſſe non negabat Auguſtinus ut eſſe poſſet homo in hac vita ſine peccato, id modo gratiæ auxilio, non naturæ viribus referretur acceptum: *Nam qui dicunt*, inquit, *eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato, non eſt eis continuo incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* Nec ſatis proprie idem Hieronymus ἀναμαρτησίαν reddidiſſe videtur, *impeccantiam*, id eſt, *non peccare*; quod reddendum erat, *impeccabilitatem*, id eſt, *non poſſe peccare*. Perperam quoque ſcriptum ab eo eſt: *Illud autem Origenis proprium eſt, eſſe poſſibile, cum ſe aliquis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem* E *pervenire, ut ultra peccare non poſſit*, pro eo quod ſcribere debuit, *ut ultra non peccare poſſit*. Genuina ergo ea fuit Origenis ſententia, homines omnes peccatis eſſe obnoxios; qui vero acquirendæ virtuti, & delictis expurgandis dederit operam, & ad perfectionem conſcenderit, vitiorum incitamenta propriis viribus peſſundare poſſe ſi velit, ab iisque neutiquam tentari. In quo geminus eſt error, quod virum perfectum ad calcandas peccati blanditias gratiæ præſidio non egere velit, & quod tentationibus eum minime percelli cenſeat; cum certum ſit, vitam hominis certamen eſſe perpetuum, & Paulo ipſi datum fuiſſe ſtimulum catnis.

Magd. Cent. 3. cap. 10.

Hieron. in Epiſtol. ad Cteſiph. contr. Pelag. c. 2. & in Proœm. ad Dialog. contr. Pelag. & in Proœm. Comment. in Ierem. libr. 4. Hieron. in Epiſtol. ad Cteſiph. c. 1

XX. Quemadmodum evectos ad ſummum virtutis apicem homines peccatis obnoxios non eſſe definivit Adamantius; ita aſſeruiſſe viſus eſt non poſſe eos emergere à vitiis, & ad virtutem regredi, ac renovari per pœnitentiam eos, qui poſt acceptum à Deo gratiæ divinæ lumen iterum ſeſe peccatis obſtrinxerint: Petrum quidem cum Chriſtum ejurando F peccavit, nondum accepiſſe Spiritum ſanctum; nobis vero ſi eo accepto peccaverimus, neque in hoc ſæculo, neque in futuro veniam iri conceſſum. *Hoc attende*, inquit, Tractat. 35. in Matth. *quoniam ante galli cantum, & ante Spiritus ſanctum, in tempore noctis profundæ, etiamſi frequenter denegaverit quis, vivere poteſt: quod manifeſtum eſt ex eo, quod ter denegavit Petrus. Si autem poſt galli cantum, vel ſemel in quocunque periculo conſtitutus denegaverit quis, impoſſibile eſt eum renovari in pœnitentiam, ut iterum crucifigat ſibi Filium Dei.* Clemens quidem Alexandrinus Stromat. libr. 2. iteratam hanc pœnitudinem, qua poſt converſionem homo peccatis deditus tangitur, eſſe affirmat quaſi quandam novi peccati meditationem; minime vero ita inſanit, ut homini poſt illam pœnitentiam peccanti nullum ad virtutem regreſſum patere putet, nec ullum alteri pœnitentiæ locum ſupereſſe velit. Nempe eo impulerunt utrumque perperam accepta iſthæc ex Epiſtolæ ad Ebræos cap. 6. v. 4. 5. 6.

Impoſſi-

Hieron. in Epiſtol. ad Auguſtin. lib. de pecc. mer. libr. 2. cap. 6.

Hieron. in Proœm. l. 4 Comment. in Ierem. Hier. Proœmio Dial. adv. Pelag

Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti A
sunt Spiritus sancti. Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutes q. sæculi venturi, & pro-
lapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui
habentes. nec non & ista è cap. 10. v. 26, 27. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam noti-*
tiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; Terribilis autem quædam expectatio judicii.
Inde & Novatus in hæresim inductus est. Quam autem his Pauli locis expositionem adhibuit
Philastr. cap. 88. Philastrius, eandem Origeniano illi possumus adhibere. Sic illa se habet: *Pœnitudinem etiam*
non excludit docendo, sed diversum gradum dignitatis ostendit inter hunc qui integrum custodivit,
& illum qui peccavit. Dignitatis est igitur detrimentum in eo qui peccavit, non damnum salutis. Nam
si fortiter quis pugnaverit per martyrium, recipiet pristinam dignitatem; aut si condigne in hoc sæ-
culo vixerit, impetrat quod desiderat adipisci. Nam in ipsa Epistola rebaptizatores excludit, non Ba- B
ptismum pœnitentiæ abnegat. Cæterum consuli velim Sixtum Senensem libr. 5. Biblioth.
Annot. 119. & lib. 7. Hær. 8. qui hæc, aliaque, cum explicandæ huic Pauli sententiæ, tum ad-
versus adductum Origenis testimonium collegit.

XXI. Mirum porro sentientem Origenem perfectos homines posse non peccare, dixisse
tamen præceptis divinis morem geri non posse. Cui contrarium Pelagius decrevit in suis
Sententiis, teste Hieronymo, qui lib. 1. contr. Pelag. hæc scribit: *Centesimus titulus est, posse*
hominem sine peccato esse, & Dei mandata facile custodire, si velit. Sic autem Origenes lib. 2. in Ep.
ad Rom. *Nos vero qui hæc omnia spiritaliter intelligenda sentimus, idcirco non auditores, sed facto-*
res Legis justificandos credimus, non Legis secundum literam, quæ utiq. pro sui impossibilitate non pot-
est habere factorem, sed secundum spiritum, per quem solum Lex impleri poterit: & deinde: *Licet* C
non crediderint quidam Judæorum, de infidelitate tamen eorum dicendum est, quod Deus quidem so-
lus sit verax, omnis autem homo sit mendax: qui etiam si quid justum est, necesse est tamen ut in aliquo
à veritate decidat, quam in omnibus servare humanæ naturæ pæne impossibile est Graviora sunt etiam & magis expressa quæ extant Tract. 35. in Matth. ubi quærit, utrum posito Christi vaticinio hoc, scandalum in se passuros esse Apostolos omnes, fieri potuerit ut scandalum Petrus
non pateretur: quod duplici solvit responsione; prima, *quoniam necesse erat, ore verissimo præ-*
dicente, quia omnes vos scandalizabimini, fieri quod prædictum erat ab Jesu: altera, *quoniam qui ex-*
oratus à Ninivitis, quæ prædixerat per Jonam non fecit propter pœnitentiam Ninivitarum, sic possi-
bile fuit, ut repelleret etiam à Petro scandalum deprecante. Vera est posterior responsio, prior fal-
sa: posito enim Christi vaticinio, certo effectus consecutus est, non necessario. Disputat D
postea, an postquam prædixit Christus futurum ut ante gallicinium ter à Petro negetur, precibus impetrare potuerit Petrus, quo minus vaticinium illud impleretur; respondetque precibus prohiberi potuisse vaticinii hujus effectum, si illud Christus juramento non firmasset; sed quia jurejurando firmatum fuerat à Christo, cum dixit: *Amen dico tibi,* fieri non potuisse ut non denegaret. Falsum id quoque, nam etiamsi certo negaturus fuerit, potuit tamen non negare. Ibidem Petrum *derelictum* fuisse scisit: *Vt quoniam,* inquit, *non solum inconsiderate,*
sed pæne etiam impie dixit: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor, nec cogitans
lubricam naturam humanam, magnum protulit verbum: ideo nec ad modicum est derelictus, ut sci-
licet denegaret, vel semel denegaret, sed abundantius derelinquitur, ut ter denegaret. Subjungit
postmodum melius sibi consulturum fuisse Petrum, si perspecta naturæ humanæ imbecilli- E
tate, quæ suapte vi & industria Christi nomen profiteri nequaquam potest, eum orasset, ut
necessariam ad id gratiam sibi conferret. Optime id quidem, sed vitiosa sunt quæ sequuntur: *Nec enim,* inquit, *poterat fieri ut facta interrogatione potuisset dicere Dominum Jesum in Spiri-*
tu sancto, aut confessus fuisset, cum Spiritus sanctus nondum fuisset datus. Atque hæc ἀνυπόπτως repetit inferius, & novum insuper dogma congerit: *Abundantius considerantes Petri negationem,*
dicimus quoniam nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, sicut Paulus nos docet: &
nondum erat tunc in hominibus Spiritus sanctus, quoniam Jesus nondum fuerat honorificatus, sicut
dicit Johannes. Propterea non erat possibile, neq. illum talem Petrum tunc Jesum confiteri, nec tamen
erat reprehendendus non confitens Jesum. Quoniam ad confitentes dicitur: Non estis vos qui loquimi-
ni, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Non autem, cum sit potens Spiritus ille Patris nostri F
loqui in nobis, & cum in nostra sit potestate locum dare in nobis Spiritui sancto, & non Diabolo, si de-
negaverimus, excusationem ullam habemus. Ac primum, quod ait derelictum fuisse Petrum, non
uno modo intelligi potest; nam vel omni gratiæ cujuslibet auxilio destitutum fuisse vult, cujus gratiæ ope, spreto mortis terrore Christum aperte confiteri potuisset: atque huic sententiæ cum solenni sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis decreto temeritatis, impietatis & hæreseos nota inusta sit, anno MDCLVI. temerarium quoque esset & impium ulla eam cavillatione & argumento tueri: vel ei defuisse censet non vehementem solum illam Dei aspirationem, & divinam ἔρμπτα, qua impulsus in medios sese fluctus præcipitaverat, & satellitum turmam stricto gladio pro Christo certaturus invaserat, sed gratiæ etiam efficacis auxilium; atque id recte & Catholice dici potest, Ex eo autem quod nondum datus

erat

A erat Spiritus, falso concludit neminem potuisse dicere Dominum Jesum in Spiritu sancto; quamvis enim nondum datus fuisset Spiritus sanctus larga illa & mirabili missione, qua Apostolis infusus est in Pentecoste, datus tamen fuerat alio modo viris justis ante Christi ortum, & dum inter homines ageret, & postquam in cœlum se recepit. Præclara est Augustini de ea re dissertatio Tract. 32. in Joh. ubi ostendit quid postremam hanc inter Spiritus sancti missionem, aliasq; superiorum temporum interfit. Igitur quum Christum negavit Petrus, etsi nondum datus fuisset Spiritus sanctus solenni illa & aspectabili missione quæ in Pentecoste contigit, suppetebat ipsi tamen gratia divina, per Spiritum sanctum erogata, qua Christum neglecto mortis periculo poterat profiteri. Ferri ergo non potest quod subjicit Origenes: *Propterea non erat possibile, neque illum talem Petrum tunc Jesum confiteri, nec tamen reprehendendus erat non*
B *confitens Jesum.* Nec à Petro solum tunc abfuisse putat Spiritum sanctum, sed adfuisse etiam Spiritum, Spiritus hujus inimicum quem iis impertiturDeus, quos ope sua sublevare vult, docet idem Tom. 12. in Matth. p. 299, 300.

XXII. Verumtamen licet aliquando divinis non posse mandatis obtemperari definire visus sit, contrarium tamen occinit Hom. 9. in Josue: *Annon*, inquit, *tibi videtur inter mulieres existimandus ille vir, qui dicit: Non possum observare quæ scripta sunt, vendere quæ habeo, & dare pauperibus non possum ..... cætera similia quæ mandantur, qui dicit implere non possum, quid tibi videtur aliud, quam inter mulieres, quæ nihil virile possunt, esse numerandus?* & Tom. 14. in Matth. pag. 365, 366, & 371. unumquemque dicit impetrare posse à Deo donum castitatis, quamvis unicuique concessum non sit. Repugnat præterea supra à nobis expensum do-
C gma, quo justos ἀπαθεῖς esse tradit; nam cum ex variis testimoniis, ipsiusque etiam Hieronymi auctoritate probaverimus in hoc errore versatum Origenem, quomodo alteri huic, quem investigamus, adhærere potuit, mandata Dei omnia ne vix quidem servari posse? nam si servari mandata non possunt, nemo potest mandatis non refragari, ac nemo proinde potest non peccare. Quæ cum ex adverso opposita esse videantur, sic conciliata ab illo fuisse suspicor, ἀπαθεῖς quidem esse justos homines ac perfectos, posse eos non peccare, divinis legibus parere posse; reliquos vero homines præcepta omnia servare non posse: nam *illud Origenis proprium* fuisse tradidit Hieronymus, *impossibile esse humanam à principio usque ad mortem non peccare naturam: & rursum esse possibile, cum se aliquis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit.* Petrum autem vel nondum fuisse perfe- *Hieronym. Proœm. Dial. adv. Pelag.*
D ctum censuit, cum Christum negavit, accepto autem sancto Spiritu fuisse perfectum & ἀπαθῆ, vel propter firmatam jurejurando Christi vaticinationem de futuro ipsius peccato, peccatum vitare non potuisse. Quod autem ait: *Quoniam necesse erat fieri quod prædictum erat à Jesu*, ab Interprete profectum fuisse putem, nam Origenes Tom. 3. Comment. in Genes. aliter sentit. Verba ejus sunt: ἐγὼ γὰρ ἐπεὶ ἔγνωσαι, γίνεσθ' ἀλλ' ἐπεὶ γίνεσθε ἐμέλλετε ἐγνωσαι ἐξαγορεύσειν δὲ δεῖ· εἰ μὴ γὰρ τὸ, πάντως ἔσαι, οὕτω τις ἐρμηνεύει, ὡς ἀναγκαίως ἂν γενέσθαι τὸ προειρημένον, ἀ διέφαμεν αὐτὸν ἐγὼ ἐροῦμεν, ἐπεὶ προέγνωσαι ἰσάκις προσόντων γενέσθαι, ὅτι πᾶσα ἀνάγκη ἐὰν ἰσάκις προσόντων γενέσθαι. Sequentia quoque eodem faciunt. Commodam etiam admittunt explicationem quæ subnexa sunt in eodem Commentario in Matthæum, fieri non potuisse ut Petrus non peccaret, postquam vaticinium suum jurejurando, *Amen*, Christus confirmavit.
E Nam τὸ *fieri posse*, duplici modo enuntiare Græce potuit Origenes: ἐνδέχεσθαι, & δυνατὸν εἶναι, quorum prior excludit necessitatem, & cum libertate ad opposita, ut loquuntur, consentit; posterior vero necessitatem includit, & libertatem excludit. Distinctionis hujus argumentum arcesso è libr. 2. contra Celsum; ubi sic de ejusdem Judæ proditione, & Christi vaticinio loquitur: οὐχ ἐνδέχεται τε ἐὰν ὅτε τὰ ἐγνωσμένον ὡς προδώσοντα, μὴ προδοθῆναι, ὅτε τὰ ἐλεγχθέντα ἀρνήσασθαι, μὴ ἀρνήσασθαι. Quasi dicas: *nullo modo futurum erat.* At paulo inferius sic habet: καὶ ὅλον γε τοῦτο ἐν τῇ προγνώσει τῶ δεσπόζοντος αὐτὸ τυγχάνει, δυνατὸν ὄντος τοῦδέ τινος γενέσθαι, ἕξαι τὸ ἕτερον αὐτῷ τόδε τι· καὶ φαμὲν ὅτι ὁ προγινώσκων ὑφελὼν τὸ δυνατὸν ἐνδέχεσθαι γενέσθαι καὶ μὴ γενέσθαι, οἴεται ἀληθῆ τι λέγειν, τόδε πάντως ἔσαι, καὶ ἀδύνατον ἑτέρως γενέσθαι· & libr. 7. Commentar. in Ep. ad Rom. *Non ergo quia Prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Judas: sed quia futurus esset proditor, ea quæ ille ex pro-*
F *posito sui nequitia gesturus erat prædixerunt Prophetæ, cum utique Judas in potestate habuisset, ut esset similis Petro & Johanni si voluisset.* Hinc adeo *Legis possibilitatem asseruisse* Origenem Magde- *Magdeb. Cent. 3. cap. 10.*
burgenses conquesti sunt.

XXIII. Patet etiam reprehensionibus locus Origenis è libr. 3. in Epistol. ad Rom. in quo exemplis & rationibus demonstrare nititur sola fide, absque ullis operibus Legis, hominem justum effici, juxta illud Apostoli Rom. 3. v. 27. 28. *Ubi est ergo gloriatio? exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus Legis.* At certum est tamen de justificationis initiis ibi differere Origenem, non de progressu ejus & augmento, cum sine operibus otiosa est fides; adeo ut ita sit intelligendus, posse aliquando hominem, qualis latro fuit, Christi in extremo supplicio socius, sola fide justificari, nullo etiam accedente opere bono, quando scilicet faciendi ejus data

non est facultas, vel occasio: *Initium namque justificari à Deo*, ait Origenes libr. 4. sequente, *si-* A
des est quæ credit in justificantem: & hæc fides cum justificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto hæ-
ret in animæ solo, ut cum per Legem Dei excoli cœperit, surgant in ea rami qui fructus operum ferant.
Non ergo ex operibus radix justitiæ, sed ex radice justitiæ fructus operum crescit: & paulo superius:
Iam sane considerabis, si ut de fide dictum est, quia reputatum est ei ad justitiam, ita & de aliis virtu-
tibus dici possit, quia verbi gratia misericordia unicuique reputari potest ad justitiam, aut sapientia,
aut scientia, aut mansuetudo, & humilitas, vel certe si omni credenti fides ad justitiam reputetur.
Tum in Rom. 4, 18. *Puto quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta, fides est: profectus vero &*
augmenta ædificii, spes est: perfectio autem & culmen totius operis, charitas. Idem Tom. 16. in Matt.
p. 448. fidem absque operibus similem esse dicit ficui à Christo arefactæ, quæ solia tantum
absque fructibus ostentabat. Itaque postquam probare conatus est sola fide hominem effici B
justum, absque operibus Legis, priore loco libri 3. in Epist. ad Rom. statim subjicit; *Sed fortas-*
sis hæc aliquis audiens resolvatur, & bene agendi negligentiam capiat, siquidem ad justificandum fides
sola sufficiat. Ad quem dicemus quia post justificationem si injuste quis agat, sine dubio justificationis
gratiam sprevit: & postmodum: *Quod si requirat aliquis curiosius, ut qui ex fide justificantur, per*
quem justificentur, licet fortassis multa in hoc curiositas videatur, tamen convenienter dicere possu-
mus quod qui ex fide justificantur, initio ex fide sumpto per adimpletionem bonorum operum consum-
mantur, & qui per fidem justificantur, à bonis operibus exorsi, per fidem summam perfectionem accipi-
unt. Quanam ergo fide scripserunt Magdeburgenses Origenem *justificationis fontem fecisse*
bona opera?

Magdeb. Cent. 3. cap. 10.

XXIV. De peccato originis ab Adamo in homines propagato non una est Iprensis C
Episcopi adversus Adamantium querela. Is Tom. 1. libr. 6. cap. 17. postquam Origenem
fassus est de peccato originis à Catholica Ecclesia dissentire neutiquam videri, Pelagianis
tamen, ut de ea re falsa opinarentur, portam aperuisse dicit. Mox è libro 5. Commenta-
riorum ipsius in Epist. ad Rom. præcipua colligit capita, quibus doctrinam ejus super hoc
argumento contineri putat; quæ singulatim, sed paucis examinabimus. Primum hoc est;
Rom. 5. v. 12. Mundum, in quem peccatum intrasse docet Apostolus per peccatum Adami, terrenos esse
homines: 2. Mortem quæ in omnes pertransiit, mortem esse animæ, non corporis: 3. Mor-
tem illam non pertransisse in omnes, sed in multos, qui nempe actu peccaverunt: 4. Non
in omnes regnasse mortem, sed in eos duntaxat qui peccaverunt in similitudinem præva-
ricationis Adæ: 5. Non omnes homines, sed multos unius delicto peccatores fuisse effe- D
ctos: 6. Christum plures ad vitam reduxisse, quam Adamum ad mortem: 7. Adamum esse
formam futuri, quia peccati ipsius exemplar imitantes, peccatores effecti sunt. Obser-
vatum autem velim ante omnia, ab Origene hæc ἀλληγορικῶς fuisse proposita, non δογματικῶς
definita, antequam enim ad ea accedat, explicato literæ sensu; *Videmus nunc*, inquit, *quid*
etiam interior habeat intellectus. Quod ex ipsius opinationum inconstantia & diversitate
clarius etiam sese prodet. Nam primum quod attinet, postquam terrenos homines &
rebus terrenis deditos, allegorice Mundum esse dixit, in quem peccatum intravit, Mundum
deinde aliter exponit, eoque significari docet *terrenum hunc locum, in quo homines habitant,*
vel terrenam & corporalem vitam, in qua mors habet locum, cui mundo, hoc est terrenæ vitæ cruci-
fixos se dicunt Sancti & mortuos. Non multo autem inferius alia habet: *Videtur mihi*, inquit, E
quod illam ætatem quæ nondum ad capacitatem rationis accessit, non tam homines quam Mundum ap-
pellaverit. Altera querela hæc est, dixisse Origenem mortem quæ in omnes homines per-
transiit, mortem esse animæ, non corporis. Fateor mortem illam passim accipi ab eo pro
morte peccati, sed, ut reliqua, allegorico sensu: cujus mortis mortem corpoream umbram
appellat, quia *quocunque illa incesserit, hanc necesse est subsequi, velut umbram corpus*, atque idcir-
co mortuum fuisse Christum, quia pro nobis tactus est peccatum. At mortem illam, quam
regnasse ab Adam usque ad Moysen ait Apostolus Rom. 5. v. 14. mortem corporis, & de-
scensum ad inferos non semel interpretatur Origenes libr. 5. in Epist. ad Rom. puta cum
ait: *Quomodo sane, vel quæ condemnatio in omnes homines venerit videndum est: & sufficere for-* F
tan potest, secundum simplicem expositionem, ut dicamus condemnationem esse communem hanc mor-
tem quæ omnibus venit, & veniet, etiamsi justi videantur. Existimavit ergo Origenes non pec-
catum solum, quod mors est animæ, sed mortem etiam corpoream in omne genus huma-

Conc. Trid. Sess. 5. Can. 2.

num per Adami lapsum fuisse transmissam, quod Synodi Tridentinæ Decreto penitus
consentaneum est. Id Jansenius, veluti à se dissentiens, minime dissimulat Tom. 1. libr. 3.
cap. 15. Tertia criminatio talis est, censuisse Adamantium; Mortem illam quæ in omnes,
juxta Paulum Rom. 5. v. 12. pertransiit, in multos tantum pertransisse, qui nempe actu pec-
caverunt. Cui criminationi quarta connexa est, visum fuisse ipsi, mortem illam de qua
Paulus Rom. 5. v. 14. non in omnes regnasse, sed in eos duntaxat, qui peccaverunt in simi-
litudinem prævaricationis Adæ. Utrobique mortem peccati intelligit: ac proinde pendet
hinc quoque quinta accusatio, affirmasse ipsum; Non omnes homines, sed multos unius
delicto

A delicto peccatores esse effectos. Distinguit autem Origenes transitum mortis à regno mortis: *Peccatum enim*, inquit, *pertransiit etiam justos, & levi quadam eos contagione perstrinxit: in prævaricatoribus vero, id est his qui se ei totamente ac devotione subjiciunt, regnum tenet, & omni potestate dominatur.* At mortem illam super eos tantum regnum tenuisse vult, qui simili sese, ut Adam, crimine inquinaverunt. Quanquam alibi peccatum originis super omnes regnasse ait: *Tunc ergo*, inquit, *nihil peccantibus nobis mors regnavit in nobis*: & mox: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Videsne ut à peccato nullum Paulus excusei?* Pertransisse autem mortem in omnes iteratis locis diserte asserit: ut cum corporis mortem umbram esse dicit mortis peccati; ac proinde nullum morte peccati esse immunem, quia corpoream mortem nemo vitare potest. Id probat deinde commemoratis priorum temporum viris sanctitate nobilibus, quos omnes peccato ob-
B noxios fuisse demonstrat. Idem non multo post confirmat, Apostolicum illud explanans Rom. 5. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, &c. *Sufficere*, inquit, *forsitan potest secundum simplicem expositionem, ut dicamus condemnationem esse delicti communem hanc mortem quæ omnibus venit, & veniet, etiamsi justi videantur*: atque hanc esse dicit simplicem, non allegoricam expositionem. Nec superioribus repugnat, quod ait: *Non omnes homines, sicut solet, in cæteris ponit* (Apostolus) *sed multos, qui unius delicto peccatores constituti sunt*: nam omnes multos esse fatetur, consultoque vocem *omnes* ab Apostolo fuisse omissam, *ne forte si dixisset per unius inobedientiam peccatores factos esse omnes, & necessario subjunxisset; Ita & per unius obedientiam justi constituentur omnes, videretur ex hujusmodi promissionis securitate resolvere animos eorum quibus expedit esse sub metu.* Deinde aliud esse docet peccare,
C aliud peccatorem esse; peccare omnes etiam justos, peccatores esse qui sæpe peccando usum peccandi ac consuetudinem contraxerunt; peccatores igitur esse multos, non omnes; peccare autem universos. Perspicua vero ea sunt: *Et ut evidentius ostenderet omnes homines & multos homines idem esse, addidit his: Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi. Et quod superius omnes dixerat homines, hic eodem sensu multos nominavit*: & ista: *Mortem tamen istam communem suscepit* (Christus) *cum illam peccati quæ regnabat in omnibus non receperit.* Et sane neminem vacare peccato persuasum Origeni fuisse jam satis supra demonstravimus. Sextum hoc ei crimen objicitur, decreviisse ipsum, Christum plures ad vitam reduxisse, quam Adamum ad mortem. Quod facile ex superioribus refellitur, nam si in omnes mortem sive animæ, sive corporis ab
D Adamo profluxisse ratus est Origenes, non plures certe quam omnes ad vitam Christum reduxisse opinari potuit. Præterea exponens illud Apostoli Rom. 5, 15. *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit*: opponit gratiam Christi peccato Adami, & quidquid utrimque hominibus boni vel mali fuit importatum, invicem accurate contendit, nec plures gratia Christi sublevatos fuisse observat, quam peccato Adami affectos & in deterius commutatos. Præclare vero Paulinam sententiam his verbis enarrat: *Ostendere vult quod multo sit fortior vita quam mors, & justitia quam peccatum, & per hoc edocere, quia si ita per peccatum mors regnare in omnibus potuit, accipiens ex unius hominis inobedientia initium, quanto potentius & dignius per justitiam vita regnabit, initium accipiens per unius obedientiam Christi?* Sed & *simplictore intellectu* dici posse
E censet plures vita fuisse donatos à Christo, quam morte affectos ab Adamo; quia Adamus homines tantum à se oriundos letho dedit; Christus autem non illos tantum, sed ipsum etiam Adamum vitæ reddidit. *Sic ergo*, inquit, *plures Christus reducit ad vitam, quam Adam duxit ad mortem, quia etiam ipsum Adam qui cæteris causa extitit mortis, Christus revocavit ad vitam.* Postremo tandem id in Origene culpat Jansenius, quod affirmaverit, Adamum esse formam futuri, quia peccati ipsius exemplar imitantes, peccatores effecti sunt. Extat illud quidem cum aliis libri hujus quinti in Epistolam ad Romanos locis, tum præsertim versus finem his verbis: *Dedit ergo Adam peccatoribus formam per inobedientiam; Christus vero è contrario justis formam per obedientiam posuit..... Propterea enim & ipse obediens factus est usque ad mortem, ut qui inobedientiæ formam sequentes constituti sunt peccatores, obedientiam Christi imitantes salvi*
F *fiant.* Verum repetitis quoque libri ejusdem testimoniis Adamum ideirco formam futuri dictum pronuntiat, quod Christi typum præferret. Quod adjicit autem per prævaricationem hominibus formam peccandi præbuisse Adamum, atque ita peccatores constitutos fuisse multos, peccatum aliud originis ex traduce in homines propagatum neutiquam excludit: *Aut magis simpliciter*, inquit, *accipiendum videtur, & similitudo prævaricationis Adæ absque aliqua discussione recipienda, ut hoc sermone omnes qui ex Adam prævaricatore nati sunt, indicari videantur, & habere in semetipsis similitudinem prævaricationis ejus, non solum ex semine, sed ex institutione susceptæ.* Ubi peccatum originis semine transmissum, & peccatum, uti appellant, actuale, institutione susceptum agnoscit. Nec multo post doctrinam eandem inculcat, docens homines *non tam natura urgeri in mortem peccati, quam discipulatu*, & peccatum *non solum nativita-*

tis, sed & doctrinæ esse, & Christum contraria contrariis oppositisse, vitiumque illud per generationem contractum, per regenerationem abolevisse; & peccatum per malam institutionem admissum, salubri doctrina coërcuisse : atque idcirco Discipulis suis non dixisse : *Ite, baptizate omnes gentes* : sed : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Tum ita concludit : *Sciens ergo utrumque esse in culpa, utrumque remedium dedit, ut generatio mortalis regeneratione baptismi mutaretur, & impietatem doctrina pietatis excluderet.* Plus prodest ad oppugnandum Origenem, quod ex illo referunt Catenæ in Psalmos, ad Ps. 48. v. 6. μηδὲ ἔτας ὁ ἐπὶ τῷ ἁδάμ παραπολὺ φοβεῖ· τοῦτον γὰρ ὑπονοίζομεν πλέονα ἀνομίας ἔχ· ἐν ἁμαρτίαις γὰρ ἐν ἄλλῃ κακίαν κατεδικάζει· Quibus originis peccatum, debitaque ipsi supplicia penitus tolluntur. Sed præter subtestam Catenarum fidem, faciunt pro Origene sanæ ipsius super hoc argumento, & orthodoxæ sententiæ variis sparsæ locis, velut Homil. 8. in Levit. ubi homines in iniquitatibus concipi, & in peccatis nasci asserit, atque idcirco scriptum esse : *Nemo mundus à sorde, nec si unius diei sit vita ejus* : (quamquam Homil. 12. in Levit. & 14. in Luc. sordes illas quas nascentes contrahimus, à peccato distinguit, & conceptionis atque ortus spurcitiem & fœditatem significari putat) alioqui baptismum parvulis in remissionem peccatorum conferri solitum, supervacaneum fore & inutilem. Paria replicat Tom 15. in Matth. pag. 391. & baptismo decernit abstergi sordes, quas nascentes contrahimus; videlicet peccatum, juxta illud Davidis Psalm. 50. v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Unde solvitur, ut id obiter dicam, impactum Origenistis crimen alterum, censuisse ipsos peccata non tolli per baptismum, sed tegi. Hinc ipse Jansenius Origenem de peccato originis non videri à Catholica doctrina dissidere confessus est : hinc ipsum sana docuisse de effectu baptismi, per eum nempe deponi peccati sordes, & omne noxarum genus auferri prædicant Magdeburgenses. Si quid in illis tamen Commentariis in Epistolam ad Romanos orthodoxæ fidei parum consentaneum occurret, meminerit eruditus Lector non tam illorum auctorem existimandum esse Origenem, quam Rufinum, à quo non tam interpretati, quam recusi & interpolati sunt; Rufinum autem tam prave de peccato originis sensisse, ut apud Carthaginense Concilium professus sit Cælestius se ab eo accepisse nefarium illud dogma, traducem peccati non esse, ut refert Augustinus lib. 2. de peccat. original. c. 3.

Magdeb. Cent. 3. cap. 10.

Notetur interim capitalis Hieronymi adversus Origenem insimulatio, in qua desinit liber ipsius tertius adversus Pelagianos. *Quod si injusta*, inquit, *vobis* (Pelagianis) *videtur alienorum remissio peccatorum*, quæ fit per baptismum, *qua non indiget qui peccare non potuit : transite ad Amasium vestrum, qui præterita in cœlis & antiqua delicta solvi dicit in baptismo, ut cujus in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini.* Amasium illum, Origenem intelligo, quasi ab adamando diceretur Adamantius, sic ab amando dictum Amasium. Quem cum peccata in cœlo ab animis admissa credidisse fassi simus, eodem baptismo ablui potasse non negamus : si modo concedatur peccatum quoque propaginis ab Adamo derivatum, eodem baptismo deleri censuisse etiam ipsum, quod unum in præsentia propugnandum suscepimus.

XXV. Superest jam ut de suis circa prædestinationem placitis Origenes causam dicat. Meminisse ergo oportet toties jam à nobis decantati dogmatis, quo Mentes antequam illaberentur corporibus duxisse vitam in cœlo asseveravit, & pro acta ibi vel recte vel male vita, partim Angelicum ordinem adeptas, partim in terram fuisse detrusas; nec varia solum corpora, variamque vivendi in terris sortem nactas esse, sed varium etiam gratiæ divinæ modum fuisse promeritas, vasaque fictilia vel aurea, contumeliæ vel honoris fuisse effectas, ita tamen ut eadem arbitrii libertate utentes, nova gratiæ incrementa capessere, & ad superiores iterum revehi gradus, vel ad inferiores relabi possint. Ac totum in hoc argumento libri secundi περὶ ἀρχῶν nonum caput contrivit. Sed & idem aperte tradit, illud Paulinum enarrans : *Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Libr. 7. in Epist. ad Rom.

Quemadmodum autem arbitratus est Adamantius, quæ à nobis gesta sunt olim, antequam corpora subiremus, causam dedisse Deo, cur mentes nostras terrenis hisce molibus implicaret, adeo ut ad hanc in terris agendam vitam Deus nos prædestinaverit, ex prævisis ab omni retro ævo meritis vitæ illius in cœlo traductæ; ita ex prævisis meritis terrestris hujus vitæ quam nunc agimus, prædestinasse nos Deum ad nobilia quædam in terris obeunda munia, deinde vero post obitum ad gloriam, existimavit. Id duobus præcipue locis asserit, quorum prior est libr. 1. in Epist. ad Rom. Paulum ibi à ventre matris suæ propterea segregatum fuisse dicit in Evangelium Dei, quia *causas in eo & merita, quibus in hoc segregari debuerit, vidit ille quem non latet mens. Prævidit enim quod abundantius quam cæteri omnes laboraturus esset in Evangelio..... Hæc ergo & his similia, & alia multa in eo de ventre matris prævidens Jesus pro his segregavit eum in Evangelium.* Et mox : *Quos præscivit Deus tales futuros, ut*

Chri-

A *Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis ejus prædestinavit & gloriæ. Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur qui in se labores & virtutes habituri sint, & ita prædestinatio sequitur, nec tamen rursus prædestinationis causa putabitur præscientia. Quod enim apud homines uniuscujusque meritum pensatur ex præteritis gestis, hoc apud Deum judicatur ex futuris.* Habetur locus alter libr. 7. Comment. in Epistol. ad Rom. ubi hoc Apostoli explanans: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit*, primum aliter accipiendum docet illud, *Quos præscivit*, superiore commemoratum versiculo, quam vulgo accipi solet: quia si ii tantum prænoscuntur, qui prædestinantur, qui non prædestinantur, utique non prænoscuntur: cognitionem ergo illam pro amoris nexu, & affectus vinculo sumendam probat multis Scripturæ testimoniis, pu- Rom. 8, 30.

B taisto: *Cognovit Dominus eos qui sunt ejus*, id est diligit, cum tamen nec eos qui non sunt ejus ignoret: præcognosci ergo eos à Deo vult, *in quibus sciens quales essent, amorem suum Deus affectumque posuisset.* Quærit postmodum, quo sensu interpretandum sit illud Apostoli: *Quos vocavit, hos & justificavit*: cum multi vocati sint, pauci electi. Respondet duplex esse vocationis genus; aliud secundum propositum, non vocantis Dei, sed vocati hominis, quo virtutem amplectitur; quicunque autem vocatione ejusmodi vocati sint, hos & justificatos esse: aliud esse vocationis genus, non secundum bonum propositum, quo vocantur etiam reprobi, ne meritis afficiendi pœnis hoc utantur obtentu, idcirco sese fuisse à virtute alienos, quia defuerit sibi vocatio. Si quis autem propositum illud, secundum quod vocari nos à Deo dixit Apostolus, ad Deum referri velit, futurum illud quoque posterius recto humanæ volun-

C tatis proposito, ac religiosa mente, & salutis desiderio. Demum id subnectit: *Hoc ergo pacto neque in præscientia Dei, vel salutis, vel perditionis nostræ causa consistit, neque justificatio ex sola voluntate pendebit, neque glorificari de nostra penitus voluntate sublatum est*: & paulo inferius: *Ut autem scias non in præscientia Dei unicuique salutis causam poni, sed in proposito & actibus suis, vide Paulum verentem ne forte cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur, macerare corpus suum, & subjicere servituti hoc.*

XXVI. Dolet Iprensi Episcopo dixisse Origenem, prædestinationem pendere ex prævisis meritis: vocationem fieri secundum propositum hominis, non Dei: vocationem secundum propositum Dei, ex bonis hominum desideriis aptam esse & connexam: causam eandem esse salutis & damnationis, nempe religiosæ mentis desideria. Quæ omnia in idem fere reci-

E dunt. Offendit quoque ipsum perperam expositus Apostoli locus: *Posuit Deus membra, unum quodque eorum in corpore, sicut voluit*, quasi voluntas illa ad membrum, non ad Deum pertineat. 1. Cor. 12. 18. Locus habetur libr. 9. Comment. in Epist. ad Rom. *Voluit autem*, inquit, *Deus secundum fidei mensuram quæ est in nobis, vel voluit ad id quod expedit. Nisi forte & ita aliquis hos velit intelligere: Deus posuit in corpore unumquodque membrum, prout voluit, prout elegit, prout operam dedit, ne videatur de homine arbitrii potestas auferri.*

Prædestinationem prævisis meritis postposuisse Origenem, minime mirum est, cum quæstionem illam leviter tantum & perfunctorie delibarint vetusti Patres Pelagianis temporibus antiquiores, ut discimus ex Epistolis Prosperi & Hilarii Arelatensis ad. Augustinum, præfigi solitis ipsius libris de Prædestinatione Sanctorum, & dono Perseverantiæ, &

D ex prioris illius Augustini libri capite 14. & posterioris capite 20. In ea quippe fuisse sententia Irenæum, & Chrysostomum, sed & post Pelagianam ætatem, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, aliosque complures tralatitium est. Cum & eandem hodiè que à viris Catholicis propugnatam videamus; & hanc, alteramve illi oppositam persequi summorum auctoritate Pontificum liceat. Nec adeo tamen sententiæ huic patrocinatus est Adamantius, ut non contrariam etiam aliquando sectari visus sit. Nam in Rom. 9. v. 11. 12. hæc scribit: *Sed hæc omnia eo spectant, ut illud probet Apostolus, quod si vel Isaac, vel Iacob pro his meritis electi fuissent ad ea quæ in carne positi quæsierant, & per opera carnis justificari meruissent, posset utique meriti eorum gratia ad posteritatem carnis quoque & sanguinis pertinere. Nunc vero cum electio eorum, non ex operibus facta sit, sed ex proposito Dei, ex vocantis arbitrio, promis-*

F *sionis gratia non in filiis carnis impletur, sed in filiis Dei: hoc est, qui similiter ut ipsi ex proposito eligantur, & adoptentur in filios.* Verum, ut sæpe dixi, parum huic libro adjungendum est fidei, quem Rufinianis opinationibus aspersum & inquinatum scimus. Vocationem quoque illam secundum propositum hominis, quam revera Pelagianis tribuit Augustinus libr. 2. contra duas Epist. Pelagianorum, non ita tuetur Origenes, ut non etiam vocationem secundum propositum Dei hic intelligi posse fateatur, nam proponit utramque & sententiæ suæ accommodat. Quamvis autem unam illam priorem defenderet, adstipulatorem haberet Chrysostomum, sic in Rom. 18. v. 28. differentem: προθέσιν δὲ ἐνταῦθά φησιν, ἵνα μὴ τὸ πᾶν τῇ κλήσει δῷ, ἐπεὶ ἔτους ἔμελλον καὶ ἕλλως ἀντιλέγειν, καὶ ἰουδαῖοι. οἱ γὰρ ἡ κλῆσις ἤρκει μόνον, τίνος ἕνεκεν ἅπαντες ἐσώθησαν, φησὶ τοῦτό φησιν, οὐχ' ἡ κλῆσις μόνον, ἀλλ' καὶ ἡ πρόθεσις τῆς καλεμένων ἦ σωτηρίαν ἠργάσατο, ἡ γὰρ ἰδίαν κατασκευὴν ἔχουσιν ἡ κλῆσις, οὐδὲ βιάζεται· πάντες γοῦν ἐκλήθησαν, ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν·

Propositum autem hic dicit, ne totum vocationi tribuat: sic enim contradicturi erant & Græci & Iudæi. Nam si sufficeret sola vocatio, qua de causa non omnes salvi facti sunt? Propterea, inquit, non sola vocatio, sed & propositum eorum qui vocantur, salutem operatum est: nec enim coacta facta est vocatio, neque violenta. Omnes ergo vocati sunt, sed omnes obedierunt. A Assentientem quoque haberet Theodoretum, & perpetuos Chrysostomi asseclas Theophylactum, & Oecumenium, & alios nonnullos. Vocatio autem secundum propositum Dei, quod propositum ex perspectis animæ piis desideriis pendeat, quatenus cum reliquis Adamantii dogmatis cohæret, merito à Jansenio explodituri; nam pia desideria ab hominum sola voluntate derivat; quibus perspectis desideriis proponat Deus ipsos vocare, tumque primum gratiam ad id opportunam largiatur. Huic affine quiddam carpit in Origene Jansenius Tom. 1. libr. 8. cap. 4. quod scilicet dixerit salutaris doctrinæ præcepta Christum hominibus tradidisse, prout affectos eos esse novit, fidemque sibi adhibituros præsensit. B Equidem non dubito, uti supra dixi, opinatum fuisse Origenem, ex hac prænotione motum fuisse Christum ad primam illis gratiam impertiendam: propterea nullam Semipelagiano huic errori defensionem obtendimus. Sin ita sensisset Origenes, doctrina sua illos imbuisse Christum, quos ipsi per gratiæ suæ mere gratuitæ auxilium assensuros prænoverat; vel futurum & prævisum consensum occasionem Christo impertiendæ suæ doctrinæ & gratiæ præbuisse, non ut præberetur promeritum fuisse; hoc est gratiam suam & doctrinam non ex futuris eorum meritis, sed hac consensus oblata occasione Christum fuisse largitum, magnis utique patronis sese tueretur; puta Augustino, qui, ut habet Jansenius supra laudato loco, in Epistola 49. ad Deogratias, quæst. 2. docet *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse qui in eam fuerant credituri:* C & aliquanto post: *Quid ergo mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis apparere, vel prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* & Chrysostomo, qui Serm. 4. in Epist. ad Colossenses ad vers. 25. sic habet: ὁ γὰρ Θεὸς οὐκ ἀθρόως πάντα ποιεῖ, ἀλλὰ κέχρηται συγκαταβάσει διὰ τὴν πολλὴν αὐτοῦ φιλανθρωπίαν. καὶ τοῦτο αἴτιον τῆς τοῦ παραυτίκα τῆς χρείας, ἀλλὰ μὴ πάλαι. *Deus enim non repente facit omnia, sed propter summam suam humanitatem sese rebus accommodat. Et hæc caussa est, cur nunc advenerit Servator, non olim;* quod fusius disserit in fine Homiliæ ejusdem: & Sedulio, qui in Roman. 8. 28. propositum illud Dei ibi intelligendum esse dicit, *secundum quod proposuit salvare sola fide, quos præscierat credituros.* Ferri etiam posset, quod addit Origenes, non ex sola Dei voluntate justificationem D nostram pendere, neque salutem de nostra penitus esse potestate sublatam; nam gratiæ justificationis libere consentit homo, à qua dissentire potest; & salutem æternam dissentiendo potest amittere, juxta Tridentina placita. Verum commodam omnem interpretationem excludunt quæ apponit Origenes, *non in præscientia Dei unicuique salutis causssam poni, sed in proposito & actibus suis:* excludunt & reliqua Adamantii præscripta, unde hæc profiscuntur. Jure quoque Paulini loci, qui extat 1. Cor. 12, 18. proposita ab Origene, non asserta tamen ab eo, neque omnino probata explicatio, utpote absurda & violenta refellitur.

Trid. Conc. Sess. 6. cap. 5. & Can. 4.

QUAESTIO OCTAVA. E

DE ASTRIS.

I. *Utrum astra animata esse, Deum cognoscere & precari, peccare posse, judicatum iri, ac salutem sperare & posse consequi Origenes affirmaverit.* II. *A multis hic arguitur:* III. *nec defensione tamen caret.* IV. *Viam ipsi ad id credendum straverunt antiqui.* V. *Utrum sideribus futurorum significationem à Deo impressam putaverit.* VI. *An tres priores creationis dies sine Sole, Luna, & stellis non fuisse decreverit.* F

I. QUID Origenes de Astris senserit exploraturis, animane ea & corpore constare sit arbitratus, an corpora esse inanima, rursum iteranda sunt quæ tam sæpe supra disseruimus: Mentes ante corpora conditas opinatum Adamantium, ac pro meritis in varia, variaque corpora detrusas; quasdam autem ex illis quæ non pessime sese gessissent, animandis Solis & Lunæ, aliorumque siderum corporibus, mundoque illustrando ac exornando, nobili scilicet muneri fuisse præfectas. Id supra jam delibatum nunc eo etiam amplius probandum est. Sic habetur quidem Tomo 1. Origenis in Johann. p. 17. καὶ γὰρ ἡ ψυχὴ τοῦ ἡλίου ἐν σώματι· Hoc est, *anima Solis*, non Eliæ, ut inepte vertit Interpres. Libro vero 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 9. postquam animas juxta virtutes ac merita diversis

A sanxit adnecti corporibus, ex eaque diversitate mundi consonantiam efflorescere, addit quasdam ex his quæ *melioribus meritis sunt, ad exornandum mundi statum* secerni, *& officium præbere inferioribus, quo per hoc participes existant pattentiæ Creatoris: secundum quod Apostolus ipse dicit: Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe.* Quo de Astris sine dubio intelligendum est.

Nec animam duntaxat sideribus additam esse, sed ea etiam ratione pollere, Deum cognoscere, laudare, ac precari ratus est. Nam Tom. 13. in Matth. pag. 326. hæc leguntur: ἄξιον γὰρ λέγειν τὸ ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ πᾶν ὃ ἐν αὐτοῖς σύστημα, ὡς εἰπεῖν ἂν ὅτι ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ ὁ χορὸς πᾶς ἀστέρων, καὶ οἱ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ τούτῳ ἄγγελοι ὡς ἔγνωσαν τὸ ἀληθινὸν φῶς, καὶ ἀγνοήσαντες αὐτὸ ἐτήρησαν ἢ ὑπατεταγμένῳ αὐτοῖς δοῦ θεοῦ τάξιν. At libro 5. contra Cels. Astra appellat ζῶα λογικὰ καὶ σοφὰ, καὶ φωτισθέντα τῷ φῶτι τῆς γνώσεως τοῦ τῆς σοφίας, ἥτις ἔστιν ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου. Eadem preces offerre Deo per Unigenitum ejus Filium, ipsumque laudare probat ex Davidis Psal. 148. 3, 4. *Laudate eum omnes stellæ & lumen: Laudate eum cœli cœlorum.* Quo & illud refert ex Epist. ad Rom. 8. 19, 20, 21. *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe: Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei:* & libr. 8. Operis ejusdem: εὐφημοῦμεν οὖν ἥλιον, inquit, ὡς καλὸν θεοῦ δημιούργημα καὶ τοὺς νόμους φυλάττον θεοῦ καὶ ἀκόλουθον τῷ· αἰνεῖτε τὸν κύριον ἥλιος καὶ σελήνη, καὶ ὅση δύναμις, ὑμνεῖν τε τὸν πατέρα, καὶ τὸν δημιουργὸν τῶν παντός· & paulo post: ὑμνήσω γε θεὸν, ὃς τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ, ὡς καὶ ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ ἄστρα, καὶ πᾶσα ἡ οὐρανία στρατιά. ὑμνοῦσι γὰρ πάντες θεοῦ, θεὸς ὄντες χορὸς μὴ τῶν ἀνθρώποις δικαίων τὸ εἶναι πᾶσι θεὸν, καὶ τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ.

C Eadem peccatis esse obnoxia; nec Astra modo, sed elementa etiam, ac proinde judicium Dei olim subitura fore, sententia ipsius est, his consignata verbis Homil. 4. in Ezech. *Futurum est ut in die judicii non solum homo, sed etiam universa conditio judicetur. Omnis quippe creatura congemiscit & condolet. Si omnis creatura congemiscit & condolet, est autem creaturarum pars terra & cœlum, & cætera quæq; quæ sub cœlo sunt, & quæ super cœlos, & liberabitur omnis creatura à servitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei, quis scit & de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est: si indiget auditione sermonis Prophetici dicentis: Attende cœlum & loquar, & audiat terra verba oris mei; & : Audi cœlum, & auribus percipe terra. . . . quare non terræ & aëris judicium sit futurum?* Id deinde probat variis Scripturæ testimoniis, tum addit: *Capax est, inquam,* (terra) *ut animal juxta partium qualitates, & bonorum actuum, & malorum, in quibus aut laudem mereatur aut pœnam.* Super eo præterea quod habetur Matth. 24. 35. *Cœlum & terra transibunt. Cur cœlum,* inquit, *prætergreditur, cum terra pertranseat, nisi quia transitus sui quædam digna fecerunt?* Atque hæc commentatur in illud Ezech. 14. 13. *Terra non peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis ejus.* Frustra vero dicta hæc ab Origene per prosopopœiam existimat Sixtus Senensis Biblioth libr. 5. Annot. 242. ut ex doctrinæ ipsius connexione manifestum est. Melius Origeni consuluit Genebrardus, respondens fuisse hæc inquirendo & disserendo pronunciata. Quin & spe futuri Astra duci asserit libr. 7. contr. Cels. nam postquam eundem Pauli locum ex Epistola ad Rom. ad sidera retulit, subjungit μὴ δεῖν τὰ ἐπὶ τῇ ἀληθείᾳ E ὑφορᾶς, ἢ ἐπὶ τῇ ματαιότητι ὑποτεταγμένα, καὶ ἐπ' ἐλπίδι κρείττονι ταῦτα φρόνοντα, ἐν χώρᾳ τιμᾷν θεοῦ. Spes autem hæc est libertatis & futuræ sejunctionis à corporibus quibus conjuncta sunt, & salutis.

At omne id argumentum exhausit libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 7. unde loca aliqua selegit Justinianus, & fidei comparandæ gratia in fine Epistolæ suæ quæ est ad Menam, retulit. Primum quidem stellas à peccati contage immunes non esse ostendit ex Jobi 25. 5. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Quod ut melius adstruat, eas esse probat animalia, quod mandata à Deo dicantur accipere; mandare autem ipsis Deum, ut statis moveantur temporibus; motus vero illos neque absolvi posse sine anima; neque sine motu esse posse quæ anima prædita sint: nec animam solum, sed & ratione pollere; ac proinde incrementa capere sine F dubio virtutis, vel decrementa: ad hæc animas antiquiores recentioribus siderum corporibus extrinsecus inseri probat primum ratione hac, quod cum humanæ animæ, quæ dum hominum animæ sunt, inferiores sunt siderum animis, corporibus hominum sint antiquiores, verisimile sit antiquiores esse quoque siderum animas siderum corporibus: probat idipsum deinde supra adducto Pauli loco è Roman. 8. 19, 20, 21, 22. vanitatem quippe appellari corpus illud æthereum, quod invita subit anima sideris, sperans futurum ut expleto hoc ministerio liberetur *à servitute corruptionis & vanitatis, cum redemptionis gloriæ filiorum Dei tempus advenerit:* cujus voti adeptionem dum expectat, gemere, & *utpote affectum habentem erga eos quibus ministrat, condolere:* demum autem servitute liberatum iri, & *cum tradiderit Christus regnum Deo & Patri, tunc etiam ista animantia cum prius regnum Christi fuerint effecta, simul cum omni regno etiam Patri regenda traditum iri; ut cum Deus erit in omnibus, etiam ista cum sint ex omnibus, sit & in istis Deus in omnibus.*

II. Op-

II. Opportuna fuit illa Origenis adversariis ad ipsum insimulandum occasio. Theophilus Alexandrinus Pasch. Epist. 1. & 2. inter damnosa ejus effata ponit illud. Ponit & Hieronymus in Epist. 59. ad Avitum, cap. 1. 2. & 3. & in Epist. 61. ad Pammach. cap. 5. atque id esse ait dogma Gentilium, & ex parte Platonicum. Orosius in Commonitorio ad Augustinum opinationem hanc Origenistis quibusdam suæ ætatis adscribit; eamque valide convellit Augustinus in libello contra Priscillianistas & Origenistas, cap. 8. 9. 10. & 11. duoque dogmatis hujus fundamenta labefactat, perversas nimirum interpolationes Paulinæ hujus sententiæ : *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe*; & istius quæ extat Jobi 15. 15. *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus*: cui adsonat illa cap. 25. v. 5. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Quamquam sine errore dici posse concedit ne Angelos quidem ratione divinæ justitiæ justos esse; ac proinde si detur sideribus inesse Angelos, perspicuum fore ait cur dixerit Jobus stellas non esse mundas in conspectu Dei. At utrum rationis compotes spiritus his insint lucidis corporibus nescire se fatetur, & caute indagandum monet. Utut est, ex Augustini auctoritate multis opinionem istam Origenis impugnat Remigius Rhemensis in Rom. 8. 20. Consurgit & adversus illam Justinianus in Epistola ad Menam, & Basilii auctoritatem ascisci, qui Homil. 3. in Hexaëm. Origenem carpit, quod aquas quæ supra & infra firmamentum sunt, Angelos tropice significare docuerit; nec idcirco sensu præditum animal firmamentum esse tradit, quod gloriam Dei enarret, alioquin animalia futura rorem, & pruinam, & abyssum, quod iis laudem Dei Propheta commendet. Sexto demum ex Anathematismis huic Justiniani Epistolæ subnexis eadem hæc Origenis sententia de sideribus animatis confoditur. In quo sane miror ecquid de sideribus peccato obnoxiis, de eorum spe & futura salute ne verbum quidem in Anathematismis Imperator illefecerit, cum ejus tamen verba ipsa è libr. 1. περὶ ἀρχῶν petita repræsentet, quibus verbis & anima sideribus tribuitur, & Sol inducitur dicens Præstare dissolvi & esse cum Christo, sed necessarium magis esse manere in corpore, propter revelationem filiorum Dei, & eadem acriter reprehendat in Epistola ad Quintum Concilium, quam refert Cedrenus; unum id culpandum ac damnandum susceperit, quod suis tamen non caret patronis ac defensoribus. Rufinus quoque Palæstinus in libello de fide, doctrinam hanc Adamantii gravibus argumentis elidit, fundamentumque subruit in hoc Scripturæ loco constitutum, Job. 25. 5. *Astra autem non sunt munda in conspectu ejus. Neque enim*, inquit, *ex eo quod non munda sunt in conspectu Dei, ideo dicuntur animalia, alioquin etiam menstrua mulierum ab ipsis animalia nuncupentur; & leprosa domus, quoniam ne ista quidem munda sunt apud Deum, secundum legem Moysi. Multa enim eorum quæ sine anima sunt, ratione quadam sæpe legimus immunda.* Ait etiam Rufinus hæc Scripturæ loca in sententiæ suæ tutelam Origenem convertere: *Sol cognovit occasum suum*; Psal. 103. 19. & illum: *Ego omnibus stellis mandavi*; Isaiæ 45. 12. Denique Nicephorus libr. 17. cap. 28. errorem hunc de animatis sideribus in Quinta Synodo damnatum fuisse narrat.

Rom. 8. 20.

III. At eum quamvis omni affirmatione asseverasse visus sit Origenes, hoc tamen pronuntiato Lectoris animum occupavit in Proœmio libri prioris Commentarii ejusdem περὶ ἀρχῶν: *De Sole autem, & Luna, & stellis, utrum animantia sint, an exanima manifeste non traditur*: quæ verba repetit Pamphilus in Apologia. Capite quoque 12. libri sequentis, velut incertus & titubans ait: *Cum ergo, verbi gratia, ad cælestia loca pervenerint Sancti, tunc jam rationem astrorum per singula pervidebunt, & sive animantia sunt, sive quidquid illud est comprehendent.* Et Tomo primo in Johannem pag. 38. 39. hyperbolice dictum suspicatur à Jobo, astra pura non esse coram Deo: καὶ γὰρ ἄτοπον ὑπὲρ ἀνθρωπίνων μὴ αὐτὸν φάσκειν ἁμαρτημάτων γεύσασθαι θανάτου, εἰ ἔτι ἢ ἡμῖν ὑπὲρ ἄλλων τινὸς ἀφορᾷ τὴν ἀνθρώπων ὂν ἁμαρτήμασι γεγυμνένα, ὅσον ὑπὲρ ἄστρων. εἰδὲ τὴν ἄστρων πάντως καθαρῶν ὄντων ἐνώπιον τῷ θεῷ, ὡς ἐν τῷ ἰὼβ ἀνέγνωμεν. ἄστρα ἢ ἃ καθαρὰ ἐνώπιον αὐτοῦ. εἰ μὴ ἄρα ὑπερβολικῶς τοῦτο εἴρηται. Homilia demum in Jeremiam decima, explanans illud Jerem. 12. 4. *Quousque lugebit terra*, terram corpus esse ait anima & sensu carens, sed terræ nomine appellari Angelum terræ adsistentem, ac itidem aquæ, elementis, & rebus singulis. Quæ inter Ecclesiasticos Doctores tritissima est opinio, animata esse sidera per forgulis. Quæ inter Ecclesiasticos Doctores tritissima est opinio, animata esse sidera per formam adsistentem & cohærentem, non intromissam & informantem. Atque ex his satis patet Origenis hæsitatio.

Ad hæc Pamphilus in responsione ad octavam criminationem, unicuique Christianorum fas esse dicit astra animata vel non animata censere; nec cuiquam opinionis alterutrius causfas esse dicit astra animata vel non animata censere; nec cuiquam opinionis alterutrius causfas esse notam, *propter hoc quod non ita aperte de his traditum est in Apostolica prædicatione.* Quod ipsum præ se tulit Adamantius in Proœmio librorum περὶ ἀρχῶν, uti supra ostendimus. Penitus vero origenizat Ambrosius, sic differens in Epist. 38. ad Horontianum: *Stellæ nebulis obductæ vanescunt, quæ sustinent ministerii hujus mundani usus, non sponte utique, sed in spe; quia sperant etiam hujus laboris gratiam ab eo qui subjecit eas. Ideoq.*

propter

A *propter eum sustinent, id est propter ejus voluntatem. Nec mirum si patienter sustinent, cum sciant Dominum suum & creatorem omnium, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra sunt, suscepisse nostri corporis fragilitatem.* Deinde: *Illius ergo imitantes bonitatem cœlestes creaturæ, licet ingemiscant, quod mundi hujus vanitati subjectæ sint, consolantur se tamen quod liberabuntur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ.* Augustinus quoque libr. 2. de Genes. ad liter. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 58. de eo, utpote re obscura & incerta, definire se nolle quicquam declarat. Hinc ipse Origenis reprehensor Hieronymus in Eccles. 1. v. 6. dubitat annon sideribus animam Salomon adesse putaverit: & in Ephes. 1. v. 22. ne sidera quidem ipsa munda esse coram Deo, eaque Servatoris adventum formidare scribit. Unde in Epistola 61. ad Pammach. cap. 5. de hoc agens dogmate, *Non est*, inquit, *istius temporis contra dogma gentilium, & ex parte*
B *Platonicum scribere, ante annos ferme decem in Commentariis Ecclesiastis, & exp anatione Epistolæ ad Ephesios arbitror sensum animi mei prudentibus explicatum.* Quæ cum ipsi fuissent à Rufino objecta Invectiv. 1. crimen diluit Apolog. lib. 1. c. 4. Quin etiam Pseudo-Clemens in Recognitionib. libr. 5. & R. Moses ben Maimon, animas Astris affingunt. Denique S. Thomas libr. 2. contr. Gent. c. 70. ad fidei doctrinam pertinere negat, Astra animata dicantur, an inanima, unde æstimare licet quo numero Justiniani anathematismos habuerit, qui affirmantem sententiam confodiunt.

IV. Viam Origeni ad id dogma præmonstravit Plato, qui in Timæo cœli animam rationis esse compotem ait, eaque nihil à Deo præstantius fuisse procreatum: & in Epinomi θεῶν prædicat ᾗ ἄστρον, σώματος μὴ τυχὸν καλλίστου, ψυχῆς ὃ εὐδαιμονεστάτης τε καὶ ἀρίστης. Præ-
C monstravit & Thales Jonicæ sectæ princeps, qui rebus universis animam tribuebat. Præmonstravit & Pythagoras qui Astra Deos esse censebat. Præmonstraverunt & Stoici, & ipse, si Plutarcho, Alexandro Aprodisæo, & aliis credimus, Aristoteles. Platonis sententiam ac ipsa propemodum verba pro more suo retulit Philo, nam in libro περὶ τῆς θεοπέμπτους εἶναι τοὺς ὀνείρους, & alibi, astra non animalia modo, sed mentes etiam purissimas esse asserit. In libro tamen de mundi opificio, & altero de gigantibus, ea esse vult διὰ ὅλου σπουδαῖα, (quam vocem usurpavit Origenes) καὶ παντὸς ἀνεπίδεκτα πάθους, καὶ ἀπήμαντα, quod Origeni non placuit. Huic quoque ad eam capessendam opinionem prævit Clemens Alexandrinus in Eclogis ἐκ τῆς προφητικῆς. Perseveravit autem ad nostram ætatem illud de animatis sideribus placitum, defensoresque habuit viros quantivis pretii Tychonem, & Kep-
E lerum.

V. Augustinus libro 5. de Civit. Dei, cap. 1. eorum confutans dogma qui *sine Dei voluntate decernere opinantur sidera quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorumve patiamur*, hæc subjungit: *Quod si dicuntur stellæ significare potius ista quam facere, ut quasi locutio quædam sit illa positio prædicens futura, non agens (non enim mediocriter doctorum hominum* (Origenem notat) *fuit ista sententia.) non quidem ita solent loqui Mathematici, ut verbi gratia dicant, Mars ita positus homicidam significat, sed homicidam facit.* His, inquam, Origenem designasse creditus est: nam in eo fragmento, quod è Commentariorum ipsius in Genesin Tomo 3. excerptum Eusebius Præparationis Evangelicæ libro sexto inseruit, astris futurorum inesse significationem affirmat, non etiam causam, quod faciunt Genethliaci; motum ergo iis à Deo &
D ordinem inditum, ut inde futurorum cognitionem Angeli hauriant, cujus quidem cognitionis adeptionem, cum vires superaret humanas, ab Angelis apostatis in homines aliqua ex parte fuisse transmissam, nullam autem libero arbitrio vim vel necessitatem hinc inferri. Præter Augustinum hæc vehementer castigant Rufinus Palæstinus in libello de fide, & Procopius Gazæus in Gen. 1. v. 14. qui ab Origene, quem in aliis ad verbum fere sequitur, hac in parte discessit.

Sane si futura multa non ab astris prænuntiari duntaxat, sed & effici dixisset Origenes, & siderum viribus corpora hæc terrena variis affici modis, & ad hæc illave commoveri & inclinari, in eadem esset causa ac Apotelesmatici omnes, & hodierni Astrologiæ patroni, quo-
F rum sententia, integra modo servetur humani libertas arbitrii, hæreseos nota immunis est. At cum significationem solum futurorum, itidem ut Synesius, non causam astris adscripserit, illæsa arbitrii libertate, eo minus etiam decretis Ecclesiæ adversatur illius opinio, quam manasse è Platonicorum scholis satis apparet ex Plotini Enn. 2. lib. c. 1. & 7. & Enn. 3. lib. 1. c. 6. quem secutus est Macrobius libr. 1. in Somn. Scip. c. 1. *Synes. libr. de insomn.*

Cum in eo autem, quod diximus, fragmento, & alibi quoque, causam futurorum sideribus neutiquam inesse magno conatu Origenes probaverit, miror id ei dogma affictum: ὅτι ποιητικὴ τῶν προαιτουμένων ἡ ἀστρονομία, quod inter alia eidem exprobrari solita decimo loco recenset Anonymus auctor Apologiæ pro Origene, apud Photium Cod. 117.

VI. Præter superiora, illud quoque reprehendendi causa è lib. 4. περὶ ἀρχῶν recitat Justinianus: τίς νῦν ἔχων δείξει πρώτην, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην ἡμέραν, ἑσπέραν τε καὶ πρωΐαν χωρὶς ἡλίου γεγενέναι, καὶ σελήνης, καὶ ἀστέρων: *Quis mentis compos statuat primum, & secundum, & tertium*

diem, & vesperam, ac matutinum tempus sine Sole fuisse, & Luna, & stellis? Cui & illud potest adjungi, quod libr. 6. contr. Celf. legitur, falli eos, qui vera dierum sex spatia Moysen in mundi narranda creatione significasse putant: quosqs se in suis ad Genesin Commentariis refelliss- A
Philo libr. 1. Allegor. ait. In quo Philonem secutus est, cujus hæc verba sunt: ἴσως δὲς πάντα τὸ ὅλον ἓξ ἡμέραις, ἢ καθόλα χρόνῳ κόσμον γεγονέναι. Nempe hæc tropice intelligenda, explicandaque censebat Origenes, ut alia pleraque, in quibus allegorico sensui nimium tribuens, nativum & literalem subvertebat. Qui quoniam error suum sibi postulat examen, verbum non addam.

QUAESTIO NONA.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM. B

I. *Status quæstionis proponitur.* II. *Doctrina Origenis de resurrectione enucleatur.* III. *Utrum resurrectionem absolute justulerit.* IV. *Hoc crimine purgatur.* V. *Utrum corporis resurrectionem admiserit, carnis inficiatus sit.* VI. *In eo etiam hæsitat, & multorum præterea assensu gaudet.* VII. *Utrum & quomodo corpora in resurrectione mutatum iri existimaverit.* VIII. *Hic quoque Patrum aliquot consensione se tuetur.* IX. *An corpora in resurrectione sphærica futura autumaverit.* X. *Utrum impios affirmaverit neutiquam* C *in vitam redituros.* XI. *Unde suam de resurrectione doctrinam hauserit, aperitur.* XII. *Nonnulla ad ejus excusationem præter superiora colliguntur.* XIII. *Quo sensu dixerit peccatorum causam ad corpus referri.*

I. *TRANSEAMUS hinc ad famosissimam de resurrectione carnis & corporis quæstionem.* Licet enim uti verbis Hieronymi, hoc argumentum adversus Origenem perse-
Hier. Ep. 61 ad Pamm. c. 7 quentis. Cohæret autem illa quoque cum superioribus, nam statu animarum ante hanc vitam exquisito, ipsarum quoque futura post hanc vitam sors exploranda est: nimirum solasne ac solitarias, an conjunctas corporibus quibus convixerunt postremum D subituras judicium, iisdemque deinceps adhæsuras autumaverit. Ac magnum profecto haberemus ad quæstionis illius tractationem compendium, si hujus argumenti & tituli libris ab eo conscriptis temporis diuturnitas pepercisset, & quæcunque in iis olim fuerunt reprehensa, Veterum monumenta præ se ferrent: de se quippe ipse narrat libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 10. publicatis suis de resurrectione lucubrationibus, *offensos quosdam in Ecclesiastica fide, quasi velut stulte, & penitus insipienter de resurrectione crederet, præcipue hæreticos.* Multum quoque prodessent ad hujus argumenti illustrationem Hammonis Hadrianopolitæ libri adversus Origenem super ea quæstione scripti, si vel superessent illi, vel tantumdem certe ex iis depromtum perveniisset ad nos, quantum è Methodii opere ejusdem instituti Epiphanius & Photius excerptum servarunt. Verum vetustate consumtis his commentationibus, hac E ope destituti, partim ex Origenis dogmatum ἀλληλοχίᾳ, partim ex aliorum expostulationibus, partim ex ejus scriptis, cujusmodi ad nostram pervenerunt ætatem, quid ipsi visum sit, pro viribus æstimemus.

II. Quod si rem primum ex doctrinæ ipsius textura spectare velimus, meminisse oportet accusatum fuisse eum, quod animam solam hominem constituere, post Platonem, dixerit: & quod animas pro peccatis in varia corpora, sic tanquam in vincula conjectas tradiderit, ut supra observavimus. Ferunt præterea persuasum fuisse illi, Adamum propter noxam mortali fuisse corpore indutum, quo prius carebat, cum immortalis à Deo fuisset procreatus, pelliceasque tunicas, quas ei Deus post prævaricationem circumposuisse dicitur, nihil fuisse aliud quam corpora mortalia; ossa vero & carnes quas ante peccatum F habuisse Adamum Scriptura commemorat, carnes esse intelligibiles, & ossa intelligibilia. Cum igitur mortale corpus adventitium quid ac extraneum esse arbitratus sit, sequitur inde necessario, expurgatis peccatis, exolutisque suppliciis, liberam tandem aliquando animam, corporaliumque compedum pondere exoneratam resurgere. Nam si pœna est gestare corpus, gestare certe corpus desinet anima, cum pœna cessabit. Corpus illud intelligo, quod in sceleris luelam subiit ipsa, grave illud nempe, terrenum, & carneum, non illud autem qui cum procreata primum & à Deo formata est. Huic consectarium est, futurum ut anima humanorum illam configurationem membrorum à se abjiciat, utpote quæ carnei corporis propria sit; meliorem autem & perfectiorem formam suscipiat, ut quæ in melius mutata, & perfectiori statui reddita sit; formarum autem omnium cum perfectis-

sima

A sima sit sphærica, futurum quoque ut in globum animæ perfectiores à mortuis suscitatæ rotundentur. Ex ea præterea assertione, quæ animis pro criminum modo corpora plus minusve crassa imponi scisciit, efficitur illud, diversum fore resurgendi modum; splendidiusque ac subtilius inituras corpus animas, quæ in virtutibus sese, dum in terris agunt, diligentius exercent; quæ contra prorumpunt in vitia, densioribus ac rudioribus corporibus adjunctum iri. Nunc utrum doctrinæ suæ ordinem ac consecutionem Origenes tenuerit, ex aliorum criminationibus, ipsiusque scriptis, expendamus.

III. Accusatum eum refert Pamphilus, quod resurrectionem mortuorum absolute sustulerit, atque hanc criminationem septimo loco positam confutat. Epiphanius Hær. 64. cap. 11. conatum ait eum in Commentario in Psalmum 1. ἐκ τ κ̃ φύσιν ἡμῖν συμβαινόντων ἀναιρέ|ῃ τ̀ αὐτῆς ἀνασ|άσεως ἡμῶν ὃν ἀληθείᾳ ἐλπίζ|ς τ̀ ὁμολογίαν. Idem cap. 63. subdole eum
B ait & vafre resurrectionis nomen admittere, rem ipsam inficiari; quippe qui corpus neutiquam resurgere, sed solam animam decernat; animam autem non resurgere, quæ non cadit, nec extinguitur; corpus quoque juxta ipsius sancita non resurgere; nihil igitur resurgere, nec ullam proinde mortuorum esse resurrectionem. Itaque Augustinus ad Quodvultdeum Hær. 43. resurrectionem ab Origenis sectatoribus negatam scribit. Hieronymus in Epist. 59. ad Avit. cap. 1. dixisse Origenem tradit *corporales substantias penitus dilapsuras; aut certe in fine omnium hoc esse futura corpora, quod nunc est æther, & cœlum, & si quod aliud corpus sincerius & purius intelligi potest*: tum addit: *Quod cum ita sit, quid de resurrectione sentiat perspicuum est.* Deinde verba Origenis in eandem conspirantia sententiam
C sequentibus capitibus producit. Similia carpit in Johanne Hierosolymitano Epist. 61. ad Pammach. Quo & illud pertinet quod scripsit libr. 12. in Ezech. 40. *Non quod juxta sævissimam hæresim corpora abolenda credamus.* Theophilus Alexandrinus Epist. Pasch. 2. *Inter cætera etiam resurrectionem à mortuis, quæ spes salutis nostræ est, ita corrumpit & violat* (Origenes) *ut audeat dicere corpora nostra rursum corruptioni & morti subjacentia suscitari:* & postea: *Dicit corpora quæ resurgunt post multa sæcula, in nihilum dissolvenda, nec futura aliquid, nisi cum de cœlorum mansionibus animæ ad inferiora dilapsæ indiguerint nobis, quæ aliæ rursum fiant, prioribus omnino deletis*; tum infra: *Quod si ut falso putat Origenes, non solum corruptibile, sed & mortale corpus est suscitandum, ergo unum atque idem corruptio & incorruptio.* Alter ejus locus adversus hanc hæresim ex quadam Epistola ad Sanctos qui erant in Sceti, depromitur à Justiniano in Epistola ad Menam: nec non & locus ex Epistola Cyrilli ad Monachos qui erant in Phua,
D quo significatur anathemati subjectum fuisse Origenem, quod mortuorum resurrectionem negaverit. Huic Epistolæ ad Menam geminum subjungitur ex Origene testimonium hoc errore adspersum, aliud ex libr. 2. περὶ ἀρχῶν, quo corpora ab omnibus depositum, & in nihilum redactum iri statuitur, cum Deo omnia subjicientur, rursumq; futura corpora, si rationales à superioribus descendant: aliud ex libro 4. quo idem significatur. Queritur præterea Justinianus apud Quintam Synodum, in Epistola quam descripsit Cedrenus, affirmare Origenistas, ὅτι παντελῆς ἔσ|ι τ̀ σωμάτων ἀναίρεσις, αὐτ|ῦ τ̀ κυρίε πρώτε ἀποτιθεμένε τὸ ἴδιον σῶμα, καὶ τ̀ λοιπῶν ἁπάντων, καὶ ὅτι ἀνακομίζον|αι πάλιν ἅπαντες εἰς τ̀ αὐτὸ ἑνάδα, καὶ γίνον|αι νόες, καθὰ καὶ ἐν τῷ πρωϊπάρξει ἐτύγχανον. *Corpora penitus interire, ipso Domino primum deponente proprium corpus, & reliquis omnibus; & omnes rursus ad eandem unitatem redire, & mentes fieri, cujusmodi antea erant.* Itaque propter sublatam corporum resurrectionem damnatum fuisse à Sy-
E nodo Quinta Origenem testatur Photius in libello de Synodis, & Auctor incertus libelli de Synodis, qui in Justellina Bibliotheca Juris Canonici insertus est, & Canon primus Synodi Quinisextæ, & Cedrenus. Placitum huic idem adscribunt Sophronius in Epistola ad Sergium, & Anonymus apud Photium Cod. 117. & Johannes Damascenus in libro de hæresibus, & Constantinus Harmenopulus in libro de sectis, & ante eum Glycas Annalium Part. 3. quamvis Parte 4. corpora quidem resurrectura, sed non eadem censuisse ipsum asseveret. Denique Cyriacus apud Symeonem Metaphrastem dixisse ait Origenistas Novæ Lauræ in Palæstina, *corpora nostra quæ habuerimus ex resurrectione, esse penitus ventura ad interitum, & Christi primi.*

F IV. Ab his criminibus purgat Adamantium quod supra demonstravimus, creatum nihil, ex decreto Origenis, corpore carere, unde sequitur vel injuriam huic facere, qui sensisse eum ferunt penitus interitura corpora, & in nihilum dissolvenda, vel ipsum certe, juxta morem Scripturæ, interitum appellasse instaurationem & in melius mutationem: sic enim Methodius Hær. 64. cap. 32. ἔθ|ς τ̀ χρα|ὰς λέξομεν τ̀ εἰς τὸ πρῖτον καὶ ἐνδ|ξότερον ἀποκατά|ασιν ταύτ|ν τ̀ κόσμε με|αβολὴν ἀπώλειαν λέγειν, ὅιον τ̀ πρόσθεν χήμα|ος ἀποβλυσάνης κ̃ τ̀ εἰς τὸ φαν|ρώτατον ἁπάντων ἐξαλλαγή. *Morem hunc esse dicemus Scripturæ, ut mundi instaurationem, atque in melius & præstantius mutationem, interitum appellet, utpote intercunte priore forma, dum in pulchriorem formam convertitur.* Purgat eum quoque Hieronymus in Epistol. ad Pammach. cap. 8. cum ipsum scribit mediam tenuisse viam inter Catholicos veram carnis resurrectio-

ctionem tuentes, & Hæreticos Marcionem, Apellem, Valentinum, & Manem, resurrectionem nonnisi in phantasmate futuram arbitrantes. *Sibi autem utramque displicere sententiam* (asserit Origenes) *fugere se & nostrorum carnes* (verba sunt Hieronymi) *& Hæreticorum phantasmata, quia utraque pars in contrarium nimia sit, aliis id volentibus se esse quod fuerunt, alius resurrectionem corporum omnino denegantibus.* A

V. Ostendit etiam non penitus sublatam ab eo fuisse corporum resurrectionem, quod narrat Pamphilus in Apologia, *eum corpus quidem resurgere confiteri, carnem vero negare.* Idem in eo culpat Methodius, in libro de resurrectione, quo hoc Origenis dogma convellit, & cujus Epitomen Panario suo inseruit Epiphanius Hær. 64. quamque repræsentavit Photius Cod. 234. aitque Origenem super responsione Sadducæis à Domino data dixisse futurum ut Angelis similes evadamus, ac proinde carne nudemur. Quin etiam Origenistas B carpit, velut carnem inter & corpus aliquid interesse suspicantes; quasi corpus sit animæ proprium, quod cerni non possit; caro autem sit externum illud, quod oculis usurpatur. Adversus eundem errorem auctoritate Methodii pugnat Anastasius Sinaita Contemplat. Anagog. libr. 11. Nec alio videtur spectare Epiphanii adversus Origenem querela Hær. 64. cap. 4. τὴν τῶν νεκρῶν, inquit, ἀνάστασιν ἑλπιτὴν ποιεῖ, πῇ μὲν λόγῳ παεισῶν ταύτην, πῇ δὲ ἐξαρνούμενος τελεώτατα, ἄλλοτε δὲ καὶ μέρος ἐξ αὐτῆς ἀνιστάς. *Mortuorum resurrectionem imperfectam esse docet partim eam verbis asserens, partim funditus tollens, alias vero partem ejus duntaxat resurgere tradens*; & illa Vincentii Bellovacensis Speculi doctrinal. libr. 18. c. 43. cum veram ait resurrectionem carnis Origenem negasse. Non satis autem intelligitur quid sibi voluerit Theophanes Cerameus, cum scripsit Homil. 22. ἐν μέντοι τῷ εἰπεῖν· ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, ἐπισημίζεται ἢ C καθ' ἡμᾶς τὴν ἐπωνυμίαν τοῦ ὀργῆς ὠφελήμως πεπλασμένην ἀνάστασιν. *Cæterum dicendo: Aut quam dabit homo permutationem pro anima sua? refellitur conficta resurrectio ab Origene, cui fuit nomen* ἀπὸ τοῦ ὀργῆς *derivatum.*

Non semel id ipsum asseverasse, quod proxime commemorati Scriptores objiciunt, fatendum quidem est: puta libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. *Mira ergo ratione*, inquit, *sanctus Apostolus ad generalem primam caussam respiciens, materiæ corporalis, cujus materiæ animæ usum semper habent in qualibet qualitate positæ, nunc quidem carnali, postmodum vero subtiliori & puriori, quæ spiritalis appellatur, necesse est, ait, corruptibile hoc induere corruptionem*, &c. & in Catena Corderiana in Psalmos: νῦν μὲν ἐπολλύθη πῷ ἐδάφει ἡ ψυχὴ, καὶ γέγονε σάρξ· ὃν δὲ τὴν *in Psalm.* 118, 25. ἀνάστασιν κομιεῖται ἡ σὰρξ ψυχῆ, καὶ ἔσται ψυχή. ἥτις κομισθεῖσα τῷ κυρίῳ ὃν τῇ καθολικῇ ἀναστάσει γίνεται ἐν D πνεῦμα, καὶ γίνεται τὸ σῶμα πνευματικόν. Nec aliter intelligimus, quæ consignata sunt libr. 5. contr. Cels. ἔστε μὲν ὧν ἡμεῖς, ἔστε τὰ θεῖα γράμματα αὐταῖς φησι σαρξὶ, μηδεμίαν μεταβολὴν ἀνειληφυίας ἐπὶ τὸ βέλτιον, ζήσεσθαι τοὺς παλαι ἀποθανόντας, ἀπὸ τοῦ γῆς ἀναδύντας. Nam quo minus recta his sententia ac- *1. Cor. 15. 50.* commodari possit, impedimento est hic Apostoli locus: *Hoc autem dico, Fratres, quia caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt*: quo sensilem hanc & adspectabilem quam gerimus carnem regno cœlesti excludendam, & resurrectionis beneficio privandam significari putat. Hinc τὸ κεκηρυγμένον τὸ σαρκὸς ἀνάστασιν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ὑπὸ τοῦ σωτικωτέρων τεταγμένον νοεῖσθαι ibidem scribit; & alibi, resurrectionem ἐν τῇ σωματείᾳ τοῦ ἁπλουστέρων ὀνομάζεσθαι ἀνάστασιν σαρκός.

VI. Quantumvis autem perspicua videatur Origenis & constans opinio, repugnat E tamen Pamphilus, & ne à carne quidem ipsa resurrectionem abjudicasse eum demonstrat, depromtis illius verbis è Commentario in Psalmum XV. quæ sunt hujusmodi: *Offendatur qui vult ex nostro sermone: ego autem cum omni fiducia asservero, quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, ita primus carnem evexit ad cœlum*: & paulo post: *Hæc propter illud quod dictum est: Quoniam caro mea requiescit in spe. In qua spe? Non solum quia ex mortuis resurgit, parum enim hoc est: sed in ea spe requiescit, quod assumta est in cœlum.* Quibus adderem & illud è l. 3. περὶ ἀρχῶν, c. 6. nisi Rufini Interpretis fraudes subvererer. *Denique caro nostra ab imperitis & infidelibus ita post mortem deperire existimatur, ut nihil prorsus reliquum substantiæ suæ habere credatur. Nos vero qui resurrectionem ejus credimus, immutationem ejus tantummodo post mortem factam intelligimus, substantiam vero ejus certum est permanere, & voluntate Creatoris sui, certoque tempore rursus repa- F rari ad vitam, atque iterum permutationem ejus fieri, ut quæ primo fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta post mortem, & iterum facta cinis ac terra, quoniam terra es, inquit, & in terram ibis, rursum resuscitetur è terra, & post hoc jam velut meritum inhabitantis animæ poposcerit, in gloria corporis proficiet spiritalis.* Nempe hic quoque, ut in aliis plerisque sibi non constat Origenes, & modo has, modo illas sectatur partes, & ut in rebus adolescente adhuc Christianismo subobscuris, & nondum per Ecclesiam definitis animo indulget, & quidquid sibi pro tempore fit verisimilius, arripit. Unde ne ipse quidem Origenis castigator Methodius sine cespitatione hoc argumentum tractavit, homines fingens post resurrectionem habitaturos in terra jam instaurata, & per aërem temperatissimum ambientem in melius mutata, & in Paradisi deliciis beatum ævum acturos; Angelis autem cœlestes orbes destinatum esse domicilium.

Euse-

A Eusebium quoque Origenis partiarium resurrectionem mortuorum sustuliſſe narrat Photius in Epiſtola quadam ad Conſtantinum. In ejusdem erroris ſuſpicionem mutuo ſeſe vocant Hieronymus & Rufinus, quem tamen uterque ſumma cura diluere conatur. Huic etiam adhæſiſſe Arnobium veriſimile eſt: ait enim libr. 2. contr. Gent. *Audetis videre nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram, quam quidem nos dicere confitemur; sed à vobis aliter quam sentiamus, audiri.* Quod idem eſt ac illud Origenis carnis resurrectionem eſſe dicentis ὑπὸ τῶν σωματοτέρων τραχύτερον νενοημένων. Denique proditum eſt ab Epiphanio & Hieronymo hanc ipſam fuiſſe Marcionis, aliorumque Hæreticorum de resurrectione falſam ſententiam.

VII. Quamvis craſſam illam carnis molem & compagem à corporibus resurrecturis ſeB cretum iri ſenſerit Origenes: quibus tamen prædita ea fore qualitatibus ratus ſit, cum resurgent, quam paſſa mutationem, qua inſtructa forma, non ſatis liquidum eſt. Nonnunquam enim ſuſcitatum iri eadem, ſubtiliora licet ac ſplendidiora, aſſerit. Velut libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 10. *Si necesse est nos esse in corporibus, non in aliis quam in nostris corporibus esse debemus*: & capite ſequenti: *Videndum quoq; est, ne forte etiam illud iste sermo significet, quod sicut Sancti corpora sua, in quibus sancte & pure in hujus vitæ habitationibus vixerunt, lucida & gloriosa ex resurrectione suscipient: ita & impii quiq; qui in hac vita errorum tenebras & ignorantiæ dilexerunt, obscuris & tetris post resurrectionem corporibus induantur*: & lib. 3. cap. 6. *Non autem dubitandum est naturam corporis hujus nostri, voluntate Dei qui talem fecit eam, usq; ad illam qualitatem subtilissimi, & purissimi ac splendidissimi corporis posse à Creatore perduci, prout rerum status vocaC verit, & meritum rationabilis naturæ poposcerit*: & mox: *Ita etiam de natura corporis sentiendum est, quod non aliud corpus est, quo nunc in ignobilitate, & incorruptione & infirmitate utimur; & aliud erit illud quo in incorruptione & in virtute & in gloria utemur; sed hoc idem abjectis infirmitatibus in quibus nunc est, in gloriam transmutabitur spiritale effectum, ut quod fuit indignitatis vas, hoc ipsum expurgatum fiat vas honoris, & beatitudinis habitaculum*: deinde oſtendit non nobis ex quinto illo Philoſophorum corpore fictum iri à Deo corpus, *cum manifeste definiat sanctus Apostolus, quia non nova aliqua corpora resurgentibus à mortuis dentur, sed hæc ipsa quæ viventes habuerant, ex deterioribus in melius transformata recipiant*. Denique libro primo de resurrectione, ut eſt apud Pamphilum in Apologia, abſurdum & iniquum fore ait, ſi ſua mercede fraudetur corpus; quod cum anima fortiter decertavit; ea autem privatum iri ni reſurgat.
D Hanc corporis reparationem in melius cogitabat, ni fallor, Glycas cum opinatum ſcribit Origenem τὰ σώματα ἡμῶν μὴ ἀνίστασθαι ταύτα ἐν τῇ ἀναστάσει· quæ verba repetit Cedrenus de Origeniſtis loquens in Quinto Concilio damnatis.

Aliquando vero ne idem quidem corpus in vitam redituram viſus eſt tradidiſſe. His videlicet perſuaſus Apoſtoli 1. Cor. 15. 42, 43, 44. *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in virtute: seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale*, corpus reſurrecturum quidem exiſtimavit, ſed immutatum natura, & à priore diverſum, ac plane aliud; quemadmodum è grano tritici ſpica ſurgit à grano diverſa, quod confirmari putat iſto è 1. ad Corinth. 15. 36, 37, 38. *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seE minas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut voluit, & unicuiq; seminum proprium corpus*. Unde libr. 5. contr. Celſ. mortuo corpori velut ſemen futuri corporis ineſſe dicit, hominique è mortuis reſurgenti corpus pro divino arbitrio impoſitum iri: tum concludit: ἡμεῖς μὲν ἓν τὸ φαμὲν τὸ ἄφθαρτον σῶμα ἐπανέρχεσθαι εἰς τὴν ἐξ ἀρχῆς φύσιν, ὡς οὐδὲ τὸ ἄφθαρτον κόκκον τὸ σίτου ἐπανέρχεσθαι εἰς τὸν κόκκον τὸ σίτου· λέγομεν γὰρ ὥσπερ ἐπὶ τοῦ κόκκου τοῦ σίτου ἐνείρεσθαι φαμεν, οὕτω λέγειν τινὰς ἐγκεῖσθαι τῷ σώματι, ἀφ' οὗ μὴ φθειρομένου ἐγείρεσθαι τὸ σῶμα ἐν ἀφθαρσίᾳ· & paulo ſuperius: ἡμεῖς δὲ πειθόμενοι ὅτι τὸ σπειρόμενον οὐ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ. καὶ ὅτι οὐ τὸ γινόμενον σῶμα σπείρεται· ὁ γὰρ θεὸς δίδωσι σῶμα, καθὼς ἠθέλησε, &c. Similia leguntur lib. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 10. Quo loco atque item libr. 2. de reſurrectione, *ſubſtantiæ rationem* appellat reſurrectionis germen, quo corpora reparanda cenſebat, quam à Scholaſticis *ſubFſtantiam radicalem* dici recte adnotavit Genebrardus; licet alio penitus ac diverſo modo effectio ejus ac virtus ab iisdem intelligatur. Itaque Gennadius libr. de dogmatibus, cap. 6. ſic diſputat: *Et non secundum Origenem immutatio corporum erit, id est, aliud novum corpus pro carne; sed eadem caro corruptibilis quæ cadit, tam justorum quam injustorum, incorruptibilis resurget.*

Quamvis autem aliud proditurum corpus, & à priore diverſum finxerit ſibi Adamantius, iisdem tamen notis, eadem forma inſigne futurum affirmat in Commentario ad Pſal. 1. quem commentarium in Epitomen à Methodio contractum repræſentat Epiphanius Hær. 64. cap. 12. & ſeq. Is ergo cap. 14. ſcribit, corpora quæ per alimentorum ſuſceptionem vitam tolerant, nunquam eadem remanere, ſed per ciborum eſum & excretionem, fluvii inſtar, perpetuo fluere & mutari: eadem tamen manere corpora hæc, non ratione

duntaxat animæ, quæ eadem semper est; sed propter earundem etiam formarum, quæ cor- A
porum singulorum notæ quædam propriæ sunt ac characteres, perseverantiam, unde lenti-
ginēs, cicatrices, nævi ad mortem usque corporibus adhærent: in resurrectione igitur animæ
circumponi formam illam, qua Petrus verbi gratia constituitur, diversa licet materia sit, ac
diversum corpus; animas quippe variis pro locorum varietate uti corporibus; & quemad-
modum aliud necesse foret subire corpus, si in aquis victuri essemus, ita nobis vitam acturis
in cœlo, spiritalia necessario corpora esse ascisenda; sed mutato licet corpore, eandem ta-
men neutiquam extinctum iri speciem ac formam, quemadmodum Jesus, Moses, ac Elias
in transformatione sese eadem agnoscendos specie præbuerunt. Explanat idipsum subinde
Methodius cap. 38. ac eam quoque Origenis dissertationem in Apologiam suam Pamphi-
lus inserit. Eustathius Antiochenus in libro de engastrimytho narrat Origenem male de B
resurrectione sentientem abunde à Methodio fuisse confutatum, ab eoque aperte demon-
stratum ansam inde Hæreticis præbitam, cur specie solum, non corpore ipso homines olim
Nicet. lib. 4 Thes. orth. fid. Hær. 31 fore suscitandos opinarentur. Notabilis vero est Nicetæ Aconiati accusatio, qua Ori-
genis sententiam his exponit verbis, juxta Petri Morelli interpretationem: *Corpus hoc quo
involvimur, resurrectionis illius die non resurget, sed humana tantum forma, qua Paulus forte
vel Petrus dignoscitur; atque adeo extrinseca illa figura resurget, quæ sub forma quoque compre-
henditur. Porro subjectum ipsum, sive corpus, haudquaquam idem manebit: Seminatur
enim corpus animale, inquit Apostolus, corpus spirituale resurgit. Quapropter necesse est, ut re-
surrectionem in sola forma futuram speremus; in subjecto vero non item.* Addit deinde Nicetas
sententiam suam de resurrectione à Platonicis Origenem accepisse; tradere autem illos du- C
plex idoli genus animæ unicuique adhærere; aliud ab æterno ei adnexum, splendidum &
lucens; alterum crassius, ipsique ex astrorum dispositione circumpositum; huic deteriora
animæ munia, illi præstantiora deberi: separari illud nonnunquam ab anima corpore exo-
luta, & ad pristinam sedem revolare; hoc ab illa solvi neutiquam posse, sed in Orcum,
vel inter sidera post mortem abire. Quibus ita expositis hæc demum subjungit: *Itaque Ori-
genes, ut mea quidem fert sententia, cum animam idolo hujusmodi vestiisset, quod proprias actio-
nes, sibique involutas circumferret, fore subjecit, ut una cum hoc illa resurgeret, futuroque judicio
subjiceretur, qua in re Gentes prorsus imitatur; mortalis autem tactuique exposita caro desineret, atq;
evanesceret.*

Ulterius etiam abit nonnunquam Origenes, ac ne formam quidem ipsam & figuram D
corporibus suscitandis inhæsuram pronuntiat; & quemadmodum è grano tritici spica surgit
grano absimilis, nec ex hoc transit in illam quicquam aliud, præter rationem seminis, seu
ἀπινθησιμὸν, ita corpori mortuo inesse semen, quod germinabit novissima personante tuba,
& aliud de se corpus dabit. Fuse hæc edisserit Hieronymus in Epistola adversus Johannem
Hierosolymitanum, & Origenem sic inducit disputantem, cap. 8. *Cum autem judicii dies ad-
venerit, & in voce Archangeli, & in novissima tuba tremuerit terra, movebuntur statim semina,
& in puncto horæ mortuos germinabunt: non tamen easdem carnes, nec in iis formis restituent, quæ
fuerunt.* Capite deinde sequenti, ita loquentem fingit Adamantium, ossium, sanguinis, ac
membrorum singulorum repudiata resurrectione: *Nunc oculis videmus, auribus audimus, ma-
nibus agimus, pedibus ambulamus; in illo autem corpore spirituali toti videbimus, toti audiemus,* E
*toti operabimur, toti ambulabimus, & transfigurabit Dominus corpus humilitatis nostræ conforme
corpori claritatis suæ gloriæ. Quando dixit, Transfigurabit, id est, μεταχηματιεῖ, membrorum quibus
nunc utimur, diversitas denegatur. Aliud nobis spiritale & æthereum promittitur, quod nec tactui
subjacet, nec oculis cernitur, nec pondere prægravatur, & pro locorum, in quibus futurum est, varie-
tate mutabitur.* Tum sibi Christi resurrectionem opponit, & suscitatum ejus corpus, stans, am-
bulans, latere, manibus, carnibus, ossibus instructum: sed alia virtute pollere corpus respon-
det, quod de viri semine concretum non est, ac nostra corpora; & tale idcirco apparuisse
Christi corpus, *ut dubitantibus Apostolis fidem faceret resurrectionis*; aëreum tamen & spirituale
fuisse, ut quod clausis ostiis ingressum sit, & in fractione panis ex oculis evanuerit. Quam
responsionem, ac reliquam item Origenis disputationem valide in sequentibus Hieronymus F
oppugnat. Ac idem, cum sibi fuisset propositum, accurate quoque dissolvit Augustinus
Epist. 49. ad Deogratias.

Erroris certe illius notas reperire licet in Commentario Origenis ad Psalmum 1. quem
Ezech. c. 37 in Epitomen contraxit Methodius. Ibi quippe locum Ezechielis, quo futuræ resurrectio-
nis mysterium planissime aperitur, in alium sensum detorquet; nam aridis illis ossibus,
acerbam Judæorum captivitatem notari putat, quæ corpora succo exhausta macie defor-
maverat; resurrectione autem, libertatem Judæorum, quæ in pristinum eos statum, & in-
tegrum ac vividum corporis habitum erat restitutura. Alio itidem deflectit illud Matth. 8.
12. *Ibierit fletus & stridor dentium*, aliaque ejusmodi, quibus corpora resurrectura esse
conficitur; nec ibi futuros dentes respondet, ubi nullus dentium usus futurus est; & cor-

porcam

A poream illam speciem mutatum iri; nec primam materiam, quam eandem esse sæpe dicit ac corpus, ullo modo resurrecturam; ad idque grani & spicæ exemplum, quo usus est Apostolus, accommodat. Tomo quoque 17. in Matth. pag. 487, & 495. de quæstione à Sadducæis Sospitatori proposita agens, genitalibus caritura decrevit corpora in cœlo, quod ibi genitalium usus abolendus sit. Sed & ex fine libri 2. de princip. affert hunc locum Hieron. Epist. 59. ad Avit. cap. 2. *Cumque in tantum profecerimus, ut nequaquam carnes & corpora, forsitan ne animæ quidem fuerimus, sed mens & sensus ad perfectum veniens, nulloque perturbationum nubilo caligans, intuebitur rationabiles, intelligibilesque substantias facie ad faciem.* Quæ sic depravavit suo more Rufinus: *Et ita crescens per singula rationabilis natura, non sicut in carne vel corpore, & anima in hac vita crescebat, sed mente ac sensu aucta ad perfectam scientiam, mens jam perfecta perducetur, nequaquam jam ultra istis carnalibus sensibus impedita, sed intellectualibus incrementis aucta, semper ad purum, & ut ita dixerim facie ad faciem rerum caussas inspiciens.* Denique libro 5. contr. Celsi propter migrationes è loco in locum corporibus nos opus habere docet; id autem certam non requirere partium posituram, sed quodvis admittere corpus, corpus modo sit.

VIII. Inclinasse eodem quo Origenes videtur Hieronymus lib. 3. in Epist. ad Ephes. c. 5. v. 28. *Foveamus igitur*, inquit, *& viri uxores, & animæ nostra corpora, ut & uxores in viros, & corpora redigantur in animas, & nequaquam sit sexuum ulla diversitas. Sed quomodo apud Angelos non est vir & mulier; ita & nos qui similes Angelis futuri sumus, tam nunc incipiamus esse, quod nobis in cœlestibus repromissum est.* Acriter ea explodit Rufinus, utpote ex quibus interitus corporum, & sexuum abolitio consequatur: demum sic ait: *Quanto rectius faceres, si nos, quos culpas, imitareris in talibus, & hæc soli Deo, ut se veritas habet, nosse permitteres; & te potius ignorare fateris, quam ea scriberes, quæ paulo post tu ipse damnares.* Sed purgat se Hieronymus libr. 1. Apolog. adv. Rufin. cap. 6. talia sese ex Origenis persona, non quasi rem à se assertam, sed quasi sibi objiciendam protulisse respondens. Eam & valide in Origenista quodam sese confutasse narrat Epist. 27. ad Eustoch. cap. 11. & alibi quoque pro falsa à se haberi testatur. Sexuum discretionem tunc iri abolitum non pauci è Patribus antiquis affirmarunt. Theodoretus: *Τούτης γὰρ τῆς διαιρέσεως ἐνδεὴς ἦν ἐκεῖνο τῷ θανάτῳ τελέντων ἡ φύσις. Hac enim discretione indiget eorum natura, qui sub mortis imperio degunt.* Deinde: *τοῖς δέ γε ἀθανάτοις γενησομένοις τὸ θῆλυ ἅπαν παντάπασι περίεστιν. His enim qui immortales evaserunt, omnino supervacuus est sexus muliebris.* Consulantur præterea Athanasius Serm. 3. contra Arianos, Basilius in Psal. 114. Hilarius Can. 23. in Matth. eadem illorum esse propemodum ac Origenis caussa super hac quæstione de beatorum corporum sexu reperietur.

IX. Si animam in resurrectione aliud recepturam corpus, & aliter formatum ratus est Adamantius, quam quod in mortali gestaverat vita; ecquamnam corpori huic figuram potius adscripserit quam globosam, utpote rerum cœlestium propriam, & formarum omnium perfectissimam, ac animis expurgatis & in perfectiorem reparatis statum maxime congruam? Sane Origenistas Monachos, qui Palæstinæ ascetaria Justini & Justiniani temporibus infestabant, dixisse refert Cyriacus apud Symeonem Metaphrastem: *Quod ætherea & sphærica excitantur nostra corpora in resurrectione: sic Domini quoque corpus fuisse excitatum, & nos futuros ei pares in resurrectione.* Quapropter Justinianus in Epist. ad Men. probris Origenem incessit, quod corpora hominum orbiculata suscitatum iri affirmaverit. Hinc ita conceptus est quintus ex Anathematismis eidem Epistolæ subjectis: *εἴ τις λέγει ἢ ἔχει ἐν τῇ ἀναστάσῃ σφαιροειδῆ τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγειρεσθαι σώματα, καὶ μὴ ὁμολογεῖ ὀρθίους ἡμᾶς ἐγείρεσθαι, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis dicit aut sentit globosa hominum suscitari corpora, nec confitetur nos rectos suscitari, Anathema sit.* Damnat id ipsum in Origene & fuse confutat Antipater Bostrensis Episcopus in Dissertatione adversus Origenem, inserta Johannis Damasceni Eclogis, quas calamo exaratas habent Claromontani Patres Societatis Jesu. Damnat & Nicephorus lib. 17. cap. 27. Huc spectat illud Hieronymi Epist. 61. ad Pammach. cap. 10. *Sic & Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria, non ut manus ac pedes, cæteraq; membra perderet, & subito in rotunditate vel Solis, vel sphæræ volveretur, sed eadem membra Solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos perstringerent.*

Sym. Met. in vit. Cyriaci.

Eclog. Joh. Damasc. Titulo, περὶ ἀμοιβῆς τῶν εὖ καὶ ἀρετῶν διοτευσάντων.

Quod si ita sensisse constaret Origenem, à Platone illuc impulsum fuisse dicerem, qui finem ponebat ἐξομοίωσιν τῷ θεῷ, Deum autem corpore licet carentem, forma globosa præditum fingebat, quemadmodum & Xenophanes, ut est apud Ciceronem 4. Academic. & Laërtium in Platone, & Xenophane: ac proinde animis finem suum adeptis sphæricam formam tribuere cogebatur. Sed Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 3. verba Origenis recitat è libro 3. περὶ ἀρχῶν, quibus homines ait corpora idcirco deposituros, ut Deo similes sint, juxta illud Servatoris: *Ut quomodo ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint.* Demum sic ait: *E duobus alterum suscipere cogimur, ut aut desperemus similitudinem Dei, si eadem semper sumus corpora habituri; aut si beatitudo nobis ejusdem cum Deo vitæ promittitur, eadem qua vi-*

vit

vit Deus nobis conditione vivendum est. Tum Hieronymus: *Ex quibus omnibus approbatur, quid de resurrectione sentiat.* Deum plane incorporeum, ut est, ita esse putabat Origenes, ac ideo omni figura carere: qui ergo globosa corpora habituras animas reri potuit, quas similes futuras putabat Deo, quem corpore ac figura carere arbitrabatur? Itaque libr. 2. de princip. cap. 10. quosdam impugnans Hæreticos, qui resurrectionem funditus tollebant: *Requiremus,* inquit, *ab eis, si possunt nobis spiritalis corporis habitum demonstrare atque describere, quod utique nullo modo facere poterunt.* Vides inconstantiam hominis, animis suscitatis corpora detrahentis nonnunquam, nonnunquam affingentis, nec pro certo habentis ecquamnam illa figuram habitura sint.

X. Scribit Origenes Tom. 17. in Matth. pag. 494, 495. neminem à mortuis iri suscitatum, qui in hac vita non decertaverit. Verba hæc sunt: εἰ οὖν ἐν τῇ μακαριότητι οἱ γέρως ἀξιώμβροι δέχ᾽ ὃ ὀνειπόζα ἀἰῶνα ἐν ᾧ καλῶς ἐβίωσαν, ἐν ἐκείνῃ ἔσονζ τῇ ζωῇ, καὶ οὐδεὶς πρὸ μὴ ἀγωνισαμένων ἐν ταὐτῷ καταξιέται ἢ ἐκ νεκρῶν ἀναζάσεως, δηλονότι ὧν ἐνζαῦθα δέχ᾽ ἡβῆσιν χρεία ἰῶ, ταὐζα ὧν ἔζαι ἐκεῖ. Quod si quis colliget inde, resurrectione privandos impios Origenem existimasse, abunde is sese à Pamphilo confutatum intelligat, vel ab ipso potius Origene in eo loco, quem è libro ipsius 28. in Esaiam profert Apologiæ Auctor, quo justos & impios à mortuis suscitandos declarat; duplicem autem futuram resurrectionem, primam alteram justorum, alteram secundam impiorum, juxta illud Johannis Apocal. 20. 5. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem:* non ita ut illa tempore prior sit ista, sed modo & ratione. Ex hoc enim Johannis commate dividendæ resurrectionis occasionem arripuisse eos verisimile est, de quibus Gennadius: *Erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed una & insimul & semel: non prima justorum, & secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum, sed una omnium.* Hanc autem fore resurgendi rationem definit Origenes; unumquemque prout sese in vita gesserit, crassius subtiliusve à Deo corpus accepturum. *Sane,* inquit libr. 2. de resurrect. *qualis fuerit uniuscujusque præparatio in hac vita, talis erit & resurrectio ejus. Qui beatus hic vixerit, corpus ejus in resurrectione diviniore splendore fulgebit, & apta ei mansio beatorum tribuetur locorum. Huic vero qui in malitia consumpserit tempus sibi vitæ præsentis indultum, tale dabitur corpus quod sufficere & perdurare possit in pœnis, &c.* Iterantur eadem libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. & 10. & libr. 3. cap. 6. ubi ad cætera illud adjicit, postquam adeo res redierint, ut omnia unum sint, sicut Pater & Filius unum sunt, tum desituram illam corporum diversitatem. Cum ergo resurrectione privatum iri impios dixit Origenes, resurrectionem illam intellige quæ damnationi opponitur. Ita Lactantius libr. 7. Divin. institut. cap. 21. *Tunc quorum fuerit probata justitia, hi præmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata & scelera detecta fuerint, non resurgent; sed cum impiis recondentur in easdem tenebras, ad certa supplicia destinati.* Duplici quippe modo accipi potest resurrectio, vel pro reditu ad vitam, & nova corporis ac animæ conjunctione; vel pro vitæ æternæ acquisitione: priore modo omnes homines ex æquo resurgent, posteriore justi duntaxat. Expositionem hanc confirmat alter Origenis locus è Tom. 13. in Matth. 18. p. 327. οἱ γὰρ ὄντες ἐν τῷ σκήνει ἄγιοι ζενάζουσι βαρυόμβροι ὑπὸ τὸ τ᾽ ταπεινώσεως σώματος, καὶ πάντα φράτ᾽υσιν ἵνα ἄξιοι ἡβῶν᾽ εὑρεθῆναι ἐν τῷ τῆς ἀναζάσεως μυζηρίῳ, ὅτε μεζαχηματίσῃ ὁ θεὸς τὸ σῶμα τ᾽ ταπεινώσεως, ἀλλὰ τῷ χειζὶ γνησίως μαθητευμένων, εἰς τὸ ἡβῆσθ αὐτὸ σύμμορφον τ᾽ δόξης τὸ χειζ᾽. In resurrectionis mysterio inveniri nos dicit, quando corpus nostrum mortale glorioso Christi corpori simile Deus efficiet; quod beneficium non ad omnes homines, sed ad Sanctos tantummodo pertinebit. Confirmat & alter ille è Comment. in Psalm. 1. recitatus ab Epiphanio Hær. 64. cap. 10. & 12. quo simpliciores quosdam, fretos illo Davidico: *Ideo non resurgent impii in judicio,* resurrectione aut judicio dignandos à Deo malos negare ait, non satis aperte indicantes, quid resurrectionem aut judicium esse arbitrentur.

Gennad. libr. de dogmat. c. 6.

Psal. 1. 5.

XI. Cæterum ut alias fere semper, ita in his quoque de resurrectione quæstionibus Platone magistro usus est Adamantius. Futurum quippe ajebant Platonici, ut animæ olim

incipiant in corpora velle reverti,

easque in corpora à prioribus diversa fore revocandas. Tertullianus libro de resurrect. carnis, cap. 1. *Platonici immortalem animam è contrario reclamant: imo adhuc proxime etiam in corpora remeabilem affirmant, etsi non in eadem.* Legendus Plato lib. 10. de republ. ubi ex Heri Pamphylii persona, animæ statum post mortem, pœnas, μετεμψύχωσιν, & immortalitatem describit. Sed multo magis in Phædone, quo materiam illam exhaurit. Legendus quoque Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 26, & 27.

XII. Sed ne solitum Origeni nostro desit officium, si quæ in ejus patrocinium præter superiora colligi possunt, paucis comprehendamus. Sua primum illi in hujus argumenti tractatione favet inconstantia, quæ cum ex superioribus satis manifesta est, tum ex eo etiam quod de fine rerum disputans, & utrum in corpore, an extra corpus suprema beatitate fruituri simus inquirens, triplicem opinionem unicuique pro libitu persequendam

proponit

A proponit libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. quem locum repetit Hieronymus Epistol. 59. ad Avit. cap. 2. Caput quoque sextum libri primi De princip. eamdem Origenis fluctuationem testatur; nam postquam duplicem de statu Beatorum sententiam exposuit, quarum prior interituram corporum naturam definit, & à qua sese alienum profitetur, alia naturam corpoream in modum ætheris expurgatum iri tradit, tandem sic concludit: *Certius tamen qualiter se habitura sit res, scit solus Deus, & si qui ejus per Christum, & Spiritum sanctum amici sunt.* Pari prope modo consimilis argumenti disputationem claudit libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. Prodest quoque ad excusandum eum Rufini responsio, pertendentis errores istos circa resurrectionis materiam scriptis ipsius ab Hæreticis fuisse adspersos. Verba ejus sunt: *Vel iterum de resurrectione carnis, qui tam evidenter pronuntiavit naturam carnis in cœlum ascendisse* B *cum Verbo Dei, atque inibi cœlestibus apparuisse Virtutibus, novum & admirandum eis sui visum præbentem, possibile erat ut hanc iterum non esse salvandam diceret?* At inde tamen præcipuum sibi arcessit Origenes præsidium, quod sua ætate nondum quæstiones illæ fuerant ab Ecclesia dijudicatæ; quo factum est, ut dum eum à veritatis norma deflexum revocare satagit Methodius, à vero ipse deerraverit, & alii quoque non sine offensione in hac quæstione versati sint, ut ostendimus supra; & Hieronymus velut titubans materiam hanc tractaverit Epistol. 61. ad Pammach. cap. 13. ait quippe: *Ergo, inquies, & nos post resurrectionem comesuri sumus? Nescio, non enim scriptum est, & tamen si quæratur, non puto comesuros.* Quæ causa est, cur suam de resurrectione declaraturus sententiam Origenes, retinendam Veterum opinionem pronuntiaverit, quia nimirum quantumvis absona ejus dogmata suos tamen auctores & patro- C nos habuere.

Rufin. de adult. libr. Origen.

XIII. Ex supra dictis subvertitur Methodii ratiocinatio, qua hoc Origenis pronuntiatum confutare aggressus est, peccatorum omnium causam ad corpus referri. Ait quippe Methodius contraria sibi loqui Origenem; cum enim animam citra corpus peccasse, & propter peccatum scorteis tunicis vestitam fuisse, tunicasque illas corpora ipsa esse concesserit; nunc sibi ipsum repugnare, cum corpus caussæ esse dicit, cur anima peccet. Origenianæ doctrinæ connexionem non vidit Methodius. Diximus enim supra, corporeas animas vel incorporeas appellasse Adamantium, crassiorum vel tenuiorum corporum ratione, cum revera corporeas esse, & Deum unum incorporalem censuerit. Idem animas pro peccatorum gravitate graviora subire corpora asseruit. His neutiquam repugnat illud, D animas à corporibus suis trahi in vitia, & cum nunquam corpore carituræ sint, futuros semper beatitudinis & damnationis circuitus; & antequam humanis adstrictæ essent membris, in peccata tamen fuisse prolapsas, ac meritas cur è subtilioribus corporibus in spissiora demergerentur. Atque ita commune aliquid habet Origenes cum Porphyrio, qui dicebat, *ut beata sit anima, corpus omne esse fugiendum.* Sed ut communia quædam cum Porphyrio sit locutus, penitus tamen diversa sensit.

Notandum porro Auctorem Dialogi De recta in Deum fide, qui sub Origenis nomine prodiit, Marinum Bardesianistam inducere hæc dogmata propugnantem; Hominem sola anima constare; Animam scelere admisso, tunicis pelliceis, hoc est corpore, tamquam vinculo ac compede fuisse constrictam, atque inde à Jeremia vinctos nos appellari; ac E Animo malorum omnium caussam esse corpus: Adamantium autem hæc ipsa impugnantem; & hominem, corpore licet & anima constet, animam tamen in Scripturis vocari demonstrantem, eademque Marino regerentem, quæ apud Epiphanium Origeni Methodius opposuit.

QUAESTIO DECIMA.

DE POSTREMO JUDICIO.

F

I. *Exploratur placitum Origenis de rebus supremo Dei arbitrio judicandis*: II. *& de ratione ac loco judicii postremi.*

I. MORTUORUM resurrectionem supremum Dei judicium excipiet. Quo cum ulciscenda scelera, mercede autem donanda sint recte acta & virtutes, idcirco statura opinatus est Origenes, quæcunque vel recte vel male agendo præmia vel supplicia promereri possunt. Superius autem ostendimus Angelis ipsum, sideribus, ac elementis bene vel male agendi potestatem affinxisse. *Futurum est*, inquit Homil. 4. in Ezech. *ut in die judicii non solum homo, sed etiam universa conditio judicetur: Omnis quippe creatura congemiscit & condolet.* Tum in hunc rerum judicandarum censum conjicit Angelos, cœlum, quæque supra & infra cœlum sunt, terram ipsam, & aërem. Qua de opinione

late disseruimus, cum de Angelis & de Sideribus ageremus. Quinam prætereain judicium sistendi sint, ignorari declarat: *Vtrum autem omnes gentes*, inquit Tract. 34. in Matth. *ab omnibus quæ in omnibus generationibus fuerint, aut illæ tantum quæ in consummatione fuerint derelictæ, aut illæ tantum quæ crediderunt in Deum per Christum; & ipsæ utrum omnes, an non omnes, non satis est manifestum.* De eodem etiam ambigit Tract. 30. in idem Evangelium. At in veram tamen & orthodoxam sententiam videtur concedere libr. 2. in Epist. ad Rom. (si quæ Rufini interpretationi fides habenda est) omnesque omnino homines in supremo illo δικαστηρίῳ judicandos agnoscere. *Requiritur sane*, inquit, *à quibusdam, cur dies hic de quo superius bibliothecas Propheticas movimus, in fine mundi statutus sit, ut omnes qui ab initio sæculi usque ad finem ipsius defuncti sunt, ad hunc ultimum diem judicandi reserventur.* A

II. *Item tractandum est, utrum in loco futurus est Salvatoris adventus in gloriam, an alteram expositionem debemus exquirere. Quis enim erit locus ille, ut capiat in uno aspectu, & omnes Angelos venientes cum Christo, & omnes gentes illic congregatas? Et de sede gloriæ ejus quid est dicendum? Putas corporale aliquod subsellium erit, an etiam hoc opus habet interpretatione subtiliore?* Hæc scribit Origenes Tractat. 34. in Matth. de loco & modo judicii postremi ambigens; ac respondet postmodum tum adventurum Christum, cum universis hominibus sese cognoscendum dabit, *ante oculos mentis eorum jam non fidei aut diligentiæ alicujus inquisitione repertus, sed ipsius divinitatis suæ manifestatione prælatus:* & cum peccata sua ac virtutes unusquisque manifesto intuitu perlustrabit; atque eo pacto eventurum illud: *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Nec certum aliquem ultimæ huic disceptationi locum addicit, sed *Vbique*, inquit, *futurus est Christus, & ipse in conspectu omnium erit ubique, & omnes ubique erunt in conspectu ipsius; & sic constituentur ante sedem gloriæ ejus, hoc est, ante regnum ejus, & potestatem dominationis ipsius:* & paulo post: *Sic erunt ante eum, ut non localiter audiamus omnes gentes fieri ante eum.* Similia jactantur libr. 9. in Epist. ad Rom. cap. 14. ubi à sacris Scriptoribus usurpata dicitur judiciorum humanorum forma, quo judicium illud extremum Christi dilucidius explicaretur. *Declarari videmus*, inquit, *ex omnibus certissime futurum esse judicium Dei, cujus species ut notior hominibus fieret, judicandi forma ex iis quæ inter homines geruntur, assumta est:* atque ita metaphorice vult intelligi excelsum illud Christi tribunal, & reliquum tremendi illius dici apparatum, illudque duntaxat tenendum, *Iudicem omnium Christum natura & majestate cæteris eminentem introspicere corda, & conscientiam singulorum, manifestare occulta, & obtecta revelare, ut & bonis actibus laudem tribuat, & mali pœnam, quam merentur, accipiant.* Nempe allegoriis suis sincerum illud dogma corrupit, *Quod in confessione ac professione tenet omnis Ecclesia Dei veri*, ait Augustinus) *Christum de cælo esse venturum ad vivos & mortuos judicandos*; non modo per vim & majestatem suam omnia complentem, mentesque omnium collustrantem, & in actorum suorum memoriam retorquentem; sed corpore præsentem, & homines universos in unum adducentem, & suprema ac decretoria sententia res hominum componentem. At hic quoque meminerimus, nondum certis finibus Ecclesiam has quæstiones tunc temporis sepsisse. B C D

August. l. 22. de Civ. Dei, cap. 1.

E

QVAESTIO VNDECIMA.

DE POENIS ET PRÆMIIS.

I. *Origenis opinio ex ipsius principiis summatim deducitur.* II. *Eadem deinde fusius ipsius verbis declaratur. Ac primum de pœnis. Omnes homines igne examinandos fore sensit:* III. *deinde in varia loca pro meritis dimittendos;* IV. *ac torquendos.* V. *Quales pœnas futuras arbitratus sit; quid ignem æternum.* VI. *Ecquas præter ignem pœnas mortuis infligendas decrevit.* VII. *Ex his variæ adversus eum criminationes.* VIII. *Sed sui tamen ei non desunt adstipulatores, suaq; defensio.* IX. *De præmiis agitur, & in quo positam Sanctorum beatitatem voluerit Origenes, explicatur.* X. *Recensentur varii gradus per quos ad eam perveniri sensit.* XI. *De loco, quo animas Sanctorum conquiescere docuit, disputatur: nempe de cælo novo, & terra nova;* XII. *ac de Paradiso.* XIII. *Unde hæc transfluxerit, exquiritur.* XIV. *Hinc in Patrum multorum reprehensiones incurrit.* XV. *Sed alia quæ tamen in ejus excusationem afferri possunt.* XVI. *Vtrum & quomodo pœnis Damnatorum finem impositum iri, & omnia unum in Deo per ἀποκατάστασιν futura ratus sit.* XVII. *Non alias pœnas quam purgatorias admisit.* XVIII. *Quid sit juxta Origenem,*

F

Novisse-

A *Novissima inimica mors, deque Dæmonum pœnis quæritur.* XIX. *Utrum beatitatis quoque futuræ spatium terminis circumscripserit.* XX. *Horum dogmatum fontes referantur.* XXI. *Propter illa à Patribus graviter reprehensus est.* XXII. *An fuerit in hæresi Chiliastarum.* XXIII. *Nonnulla Origeni defendendo adducuntur.* XXIV. *Nonnunquam solius Diaboli pœnas fore æternas asseverat.* XXV. *Ab Origeniana super pœnis Damnatorum opinione Patres aliquot non multum recedunt.* XXVI. *Investigatur significatio vocis,* αἰώνιος.

B I. POSTREMO Dei arbitrio dijudicatis hominum rebus, sua quemque præmia, suæ pœnæ prosequentur. In cujus rei tractatione tantum sibi permisit Origenes, ut non aliam ob causam majores in se querelas concitarit; nam & quales pœnæ ac præmia, & quanta futura sint, pervestigans, in absurdas opiniones prolapsus est, dum falsis doctrinæ suæ principiis dogmata hæc quoque accommodat. Diximus enim jam sæpe putasse illum mentes rationis compotes pro meritorum suorum mensura ac modo variis adjungi corporibus; subtilioribus, si recte se gesserint; sin secus, gravibus & crassis: easdemque quemlibet statum adeptas, arbitrii sui libertate ad bene vel male agendum frui, ac perpetuos esse proinde à supernis ad inferiora lapsus & reditus. Inde sequitur certum nullum beatitatis futurum statum, nullum miseriæ; semperque vel in felicitate, vel in pœnis futuros progressus C aut regressus, prout in vitio animæ vel in virtute profecerint; ac Damnatorum idcirco pœnas & Beatorum gaudia neutiquam fore sempiterna.

II. Opinionis istius partes singulas si subtilius persequi velimus, & non ex Origenianæ doctrinæ connexione, sed ex ipsis Adamantii verbis æstimare singula, & quæcunque præterea in id argumentum differuit colligere, res erit scilicet in proclivi. Primum itaque homines omnes igne examinatum iri definit: sed ita tamen ut illæsi & illibati prætereant Sancti; impiorum vero noxæ & vitia flammis excoquantur. *Veniendum est ergo*, inquit Homil. 6. in Exod. *omnibus ad ignem; veniendum est ad conflatorium: sedet enim Dominus, & conflat, & purgat filios Iuda. Sed & illuc cum venitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resolvitur ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et si quis* D *plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut & si parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est: Demergetur in profundum, tanquam plumbum in aqua validissima.* Et Homil. 3. in Psalm. 36. *Certum est quia manet nos ignis ille qui præparatus est peccatoribus, & veniemus ad illum ignem, in quo uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Et, ut ego arbitror, omnes nos venire necesse est ad illum ignem. Etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus, venit tamen ad illum ignem. Sed illi tales audiunt: Etiam si per ignem transeas, flamma non aduret te. Si vero aliquis similis mei peccator sit, veniet quidem ad ignem illum, sicut Petrus & Paulus, sed non sic transiet, sicut Petrus & Paulus.* A c illius transitus discrimen Ebræorum, Ægyptiorumque per mare rubrum transitus comparatione explanat: adductus scilicet his Pauli 1. Cor. 3, 13. *Vniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Et Hom. 14. in Luc. E *Ego puto, quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante; nemo enim absque sordibus resurgere poterit; nec ullam posse animam reperiri, quæ universis statim vitiis careat.* Et libr. 5. contra Celsum, Epicureum hunc confutans, qui receptam apud Christianos de mundi conflagratione opinionem irridebat, dicit ignem universo mundo inferri: εἰκὸς δ' ὅτι καὶ ἑκάστῳ τῶν θνητῶν τὸ διὰ τοῦ πυρὸς δίκης ἄμα καὶ ἰατρείας, καίοντος μὲν καὶ ἐξαναλίσκοντος τοὺς μὴ ἔχοντας ὕλαν θνητὴν ἀναλωθῆναι ὑπ' ἐκείνου τοῦ πυρός. καίοντος δὲ καὶ κατακαίοντος τοὺς ἐν τῇ διὰ τοῦ πράξεων, καὶ λόγων, καὶ νοημάτων τροπικῶς λεγομένῃ οἰκοδομῇ ξύλα, χόρτον, ἢ καλάμην οἰκοδομήσαντας. Cum ait ergo libr. 8. in Epist. ad Rom. quicunque Verbo Dei purgatus non fuerit, hunc igne excruciatum iri; igne quoque lustratum, sed non adustum iri intelligit, qui Verbo Dei fuerit purgatus.

F At Homilia tamen in Lucam 24. eos tantum igneo flumine à Christo baptizandos affirmat, qui aqua & spiritu fuerint baptizati, & purgatione eguerint. E contrario vero Homil. 2. in Jerem. Sanctos dicit Spiritu sancto à Jesu baptizari, scelestos vero igne. Homilia autem 25. in Num. unumquemque purgatione indigere ait, *sed mystica hæc esse & ineffabilia. Quis enim nobis*, inquit, *enarrare poterit, quæ sint purificationes quæ parentur Paulo, vel Petro, vel aliis horum similibus?* Cæterum mentem Origenis parum assecuti sunt Sixtus Senensis & Genebrardus, verba ejus referenda censentes ad ignem ultimæ conflagrationis, qui electos quosdam nondum satis purgatos lustrabit, reprobos vero omnes apprehendet; nam ne sanctissimos quidem, Petrum puta, vel Paulum, hoc igne futuros immunes Adamantius arbitratur.

III. Igne hoc probati homines varia loca pro meritis ex decreto Origenis sortientur,

alii Infernum, variaque Inferni loca, & mansiones; & quemadmodum terrena hæc loca A
mentibus è cœlesti domicilio propter peccata deturbatis pro Inferno habentur, ita hominibus è terra digressis & scelere contaminatis inferiorem assignari sedem, quæ Infernus appellatur. τάχα ὁ, inquit cap. 1. Philoc. ὥσπερ δι ἐντεῦθεν κ) ἡ κοινὸν θάνατον ἀποθνήσκοντες, ὁπ ἕ ἐνταῦθα πεπραγμένων οἰκονομοῦ), εἰ κελθεῖεν ἄξιοι τῶ καλυμένε χωρίε ᾅδ, τόπων διαφόρων τυγχάνων κ) ἡ ἀναλογίαν ἧ ἁμαρτημάτων. ἕτως δι ἐκεῖθεν. ἵν' ὕτως εἰπω, ἀποθνήσκοντες εἰς ἡ ᾅδλω τῦτον καταβαίνοσι κειόμβροι ἄξιοι ἧ τῶ παντὸς ὠφελείε τόπε διαφόρων οἰκητηρίων βελτιόνων ἢ χειρόνων. Quæ sic à Rufino reddita sunt libr. 4. περὶ ἀρχῶν cap. 2. *Fortassis enim sicut hi qui de hoc mundo secundum communem mortem illam recedentes pro actibus suis & meritis dispensantur, prout digni fuerint judicati, alii quidem in locum qui dicitur Infernus, alii in sinum Abrahæ, & per diversa quæque vel loca vel mansiones: ita etiam ex illis locis velut illic (si dici potest) morientes à superis in hunc locum descendunt: nam illis infernæ hic* B
morientium animæ dicuntur. Credo ob hanc distinctionem Infernus inferior à Scriptura nominatur in Psalmis: Quia liberasti animam meam ex Inferno inferiori. Quæ ab Hieronymo quoque Epistolæ 59. ad Avitum, cap 4. inserta sunt. Quoniam autem Infernum Christus tenebras exteriores nonnumquam appellat, inde fit ut eas extra mundum Adamantius ableget Tract. 33. in Matth. *Quoniam legimus*, inquit, *aliquem qui fuit ante nos exponentem de tenebris abyssi, & dicentem quoniam abyssus est extra mundum foris, & tenebræ. Consideremus ergo si potest vera esse expositio ejus, ut quidam quasi indigni toto mundo in abyssum illam, quam ille exposuit, foras ejiciantur, in qua sunt tenebræ, nemine eas illuminante, cum sint extra totum mundum.* Sed alibi tamen aliter tenebras exteriores exponit, ut mox ostendemus. Homilia autem 1. in Genes. abyssum illam cui in rerum initio tenebræ incubabant, eam esse scribit in quam Diabolus, ipsiusque Angeli C
mittendi sunt.

IV. Assignatis locis ac sedibus suis redditos homines pœnæ ac supplicia pro scelerum modo torquebunt. Ait enim libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. *Interim tam in his quæ videntur, & temporalibus sæculis, quam in illis quæ non videntur & æterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo, & meritorum dignitatibus dispensantur, ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, & per majora ac graviora supplicia, nec non & diuturna, ac multis (ut ita dicam) sæculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati & restituti, eruditionibus primo Angelicis, tum deinde etiam graduum virtutibus, & sic per singula ad superiora provecti, usque ad ea quæ sunt invisibilia & æterna perveniant, singulis videlicet quibusque cœlestium Virtutum officiis quadam eruditione in specie peragratis. Ex quo, ut opinor, hoc consequentia ipsa videtur ostendere, unamquamque rationabilem* D
naturam posse ab uno in alterum ordinem transire, & per singulos in omnes, & ab omnibus in singulos pervenire, dum accessus profectuum, defectuumve varios pro motibus vel conatibus propriis unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur. Prolixum locum describere necessum habui, quia ad Origenianæ doctrinæ enodationem, & sequentium intellectum confert.

V. Jam vero cujusmodi pœnas futuras opinatus sit Origenes, videamus. Ignem illum æternum, in quem capitali Christi decreto impii mittendi sunt, nihil aliud esse ratus est, quam conscientiæ vermem. Consulatur caput 11. libri 2. De princip. quo id argumentum excussit: ibi ait revocatam divina virtute, & ob oculos impii positam peccatorum memoriam, (juxta illud Pauli Rom. 2, 15. 16. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die quum judicabit Deus occulta hominum*) mentem ejus stimulis pungere, ut sui E
ipsa sit accusatrix & testis; eamque adeo flammis ultricibus urere: ignis hujus escam esse admissas ante noxas, quas idcirco Apostolus ligna, fœnum, & stipulam nominavit; hinc scriptum esse apud Isaiam 50, 11. *Ambulate in lumine ignis vestri, & flamma quam accendistis. Per quos sermones*, inquit, *hoc videtur indicari, peccator ut flammam sibi ipse proprii ignis accendat, & non in aliquem igne qui ante fuerat accensus ab alio, vel ante ipsum subsiterit, demergetur.* Quærit deinde, an præter illos, vel iræ, vel furoris, vel insaniæ, vel mœroris ignes, quibus impii cum in hac vita torti fuerint, in futura quoque torquebuntur, aliqua generali pœna post mortem puniendi sint. Deinde dicit eo cruciatu affectum iri animam, ab ordine atque harmonia, ad quam fuerat à Deo condita, divulsam, quo afficitur corpus cum membra soluta compage distrahuntur: *Quæ*, inquit, *animæ dissolutio atque divulsio cum adhibiti ignis ratione* F
fuerit explorata, sine dubio ad firmiorem sui compagem instaurationemque solidatur. Præterea quemadmodum curandis morbis ferrum & ignis sæpe adhibentur, ita conjectat *medicum nostrum Deum volentem diluere vitia animarum nostrarum, quæ ex peccatorum & scelerum diversitate collegerant, uti hujuscemodi pœnalibus curis; insuper etiam ignis inferre supplicium, his qui sanitatem animæ perdiderunt.* Idem lib. 5. contr. Cels. non aliud quidquam per ignes intelligere docet eos quos Scriptura stultos mundi appellat, ἢ ἡ ᾅδ φόβε κ) φαντασίας τῦ νεκλάσεων ἐπιστροφὴν κ) ἡ πολλῶν κακῶν ἀποχώ. Tale illud è Tract. 34. in Matt. *Qui autem recedunt ab Iesu, decidunt in ignem æternum, qui alterius generis est ab hoc igne quem habemus in usu. Nullus enim ignis inter homines est æternus, sed nec multi temporis; extinguitur enim cito. Æternus autem ignis est ille, de quo & Esaias dicit in fine Prophetæ suæ: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguitur.* Simili

igne

A igne uri Dæmones asseverat Homil. 27. in Num. nempe cum homines à vitiis ad meliora conversos cernunt, tum vero acerbissimas eos sufferre pœnas, & meritis ignibus exardescere.

Alias ignem peccata exedentem & absumentem, Deum ipsum esse vult, propter hoc Deuteron. 4. 24. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Inde Homilia 2. & 16. in Jerem. igne hoc ligna, fœnum, & stipulam, Christi fundamento superstructa, opera nempe peccati narrat absumi, postquam anima fuerit à corpore sejuncta: aurum vero, argentum, & gemmas, virtutes scilicet, & recte acta, illibata & intacta servari. At libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. alio detorquet locum hunc Deuteronomii, nec pro futuræ vitæ purgatione accipit, sed pro præsentis hujus gratia, mentibus humanis à Deo infusa. *Quid enim,* inquit, *consumet Deus secundum*
B *hoc quod ignis est? Numquid namputabitur consumere materiam corporalem, ut est lignum, vel fœnum, vel stipula; & quid in hoc dignum de Dei laudibus dicitur, si Deus ignis est hujusmodi materia consumens? Sed si consideremus quia Deus consumit quod exterminat, si consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cum se credentium mentibus inserit, & eas animas quæ Verbi ejus ac Sapientiæ efficiuntur capaces, una cum Filio suo inhabitans, secundum quod dictum est: Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus; omnibus eorum vitiis passionibusque consumptis, sibi eas seque dignum efficit templum.* Ita & Homil. 2. in Cantic. Cant. *Denique ob hoc Deus noster ignis dicitur esse consumens, & nihilominus lux in quo tenebræ non sunt; lux sine dubio justis, & ignis efficitur peccatoribus, ut consumat in eis omne quod in anima eorum corruptibilitatis aut fragilitatis invenerit:* nec aliter Homil. 1. in Ezech. Animam cæteroquin
C ignibus attingi & exuri non posse statuit libr. 6. contr. Cels. ἡμεῖς δὲ ἀσώματον εἶναι καὶ ἴσμεν ἀκτυρωμένην, οὐδ' εἰς πῦρ ἀναλυομένην ἢ ἀνθρώπου ψυχὴν, ἢ ἀγγέλων, ἢ δρόνων, ἢ πνευμάτων, ἢ ἀρχῶν, ἢ ἐξουσιῶν ὑποστάσην.

Nonnunquam tamen suprema mundi conflagrationem igne hoc denotari putat, eoque hominum peccata exuri & purgari. Legatur in libro 5. contr. Cels. locus ille, quo impurum hunc Philosophum futuram mundi conflagrationem negantem refellit: ostendit enim incendio hoc homines universos lustratum iri, illæsis tamen iis in quibus opera peccati, idoneum scilicet igni huic pabulum, nulla reperientur; exustis vero aliis, qui noxas & scelera, ligna nimirum, fœnum, & stipulam flammis exedenda collegerint. Quarto quoque operis ejusdem libro, mundum tradit nunc diluviis repurgari, nunc incendiis, καὶ
D τάχα μὲ τὰ ἐπὶ γῆς μόνον, ἀλλὰ & τὰ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, δεομένῳ καθάρσεως, ὅταν πολλὴ ἡ κακία γένηται ἐν αὐτῷ.

Utut ignem hunc intelligendum censet, nullam aliam præterea noxiis hominibus inflictum iri pœnam, licet illa pro peccatorum ratione diversis modis intendatur, vel remittatur, scribit in libro De Proverbiis Salomonis: *Manifestum est quod una pœna tam Dæmonum naturæ, quam humano generi peccatorum à Domino præfinita sit illa, quam Dominus sua sententia designavit dicens: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus; ostendens quia eadem species pœnarum peccatoribus, hominibus, & Diabolo, & Angelis ejus præparata sit, licet in eadem pœna diversa sit quantitas pœnæ: alius enim gravius ac vehementius cruciatur pro magnitudine peccatorum; alius autem remissius, cujus leviora & faciliora peccata sunt.* Locum profert Pamphilus in
E Apologia.

VI. Sæpius tamen aliis præter ignem suppliciis homines castigari à Deo fassus est. Homilia 18. in Jerem. p. 182, 183. majus aliquod gehenna ignis esse supplicium concludit ex eo quod is sit gehennæ ignis reus, qui dixerit fratri suo, Fatue; majus itaque impendere supplicium majorum criminum reis, puta adulteris; quod cujusmodi sit futurum in cor hominis non ascendisse. Libro 7. contra Celsum scribit, animam insontem & puram, statim atque corpore exiit, ad puriora ætheris loca sublimem ferri: quæcunque vero noxia est, peccatis oppressam circa terram huc & illuc volutari; quasdam circa mortuorum sepulchra, inde spectra oculis hominum quandoque objici; alias alibi errare. E Platone transtulit commentum istud, ut alia pleraque, cujus ea est in Phædone assertio, hominum
F corporeis rebus dum viverent implicitorum animas circa monumenta versari, quibus cum conspicabilis aliqua corporis pars etiamnum adhæresceat, hinc tenebricosas animarum imagines, aspectabiles existere. Eam nihilominus sententiam repudiat Tom. 28. in Johan. p. 347. 348. absurdumque esse decernit existimare animam, postquam corpore liberata est, mortuo assidere.

Aliud præterea supplicii genus notari putat his Lucæ verbis, quibus futurum minatur Luc. 12. 46.
Christus, ut imprudentem servum *dividat, partemque ejus cum infidelibus ponat.* Genus autem supplicii id esse putat, divisionem animæ à Spiritu sancto; vel divisionem nobilioris partis animæ, quæ ad imaginem & similitudinem Dei facta est, ab ea parte quæ per liberi arbitrii lapsum deformata est; vel divisionem animæ ab Angelo tutelæ suæ præfecto. Sed & errorum tenebras & ignorantiæ caliginem vult exprimi tenebris exterioribus, in quas mitti ju-

Matth. 22. 13. Matth. 25. 30. bet eum Rex, qui veste nuptiali non indutus in nuptiali convivio discumbebat; & servum A nequam & pigrum, qui talentum sibi commissum in terram defoderat. Quo accedit Tract. 33. in Matth. tenebras exteriores ita exponens: *Vbi nulla illuminatio est, forsitan nec corporalis, nec est respectio Dei illic, sed quasi indigni speculatione Dei qui talia peccaverunt, condemnantur in his quæ exteriores tenebræ appellantur. forsitan donec intellexerunt, ut convertantur, & digni efficiantur exire ab eis.* Aliter tamen paulo post: *Consideremus ergo*, inquit, *si potest vera esse expositio ejus, ut exteriores tenebras illas intelligamus, ut quidam quasi indigni toto mundo in abyssum illam, quam ille exposuit, foras ejiciantur, in qua sunt tenebræ, nemine eas illuminante, cum sint extra totum mundum.*

Cujuscunque porro generis sint pœnæ, vehementius iis cruciatum iri corpora putat, quibus resurgentes induemur, utpote subtiliora & spiritalia, quam quæ hac in vita gestamus; quemadmodum nudum corpus mollius est ad verbera, iisque acrius afficitur, quam si veste contegatur. Verba Origenis è Commentario in Psalm. 6. Pamphilus in Apologia recitavit. Denique Hieronymus in Epistola 59. ad Avitum, cap. 1. scripsisse Origenem refert in fine libri primi περὶ ἀρχῶν, animam quandoque *pro dolore pœnarum & ignis ardore, magis eligere ut brutum animal sit, & in aquis habitet, & fluctibus, ac corpus assumere hujus vel illius pecoris.* B

VII. Multiplicem commemorata dogmata Origeni exprobrationem peperere. Inter alia objectum ei narrat Pamphilus in Apologetico, negasse illum scelestis inferenda supplicia; quod pœnam sensus, ut vocant, videatur sustulisse, cum ignem æternum interpretatus est perturbationes animi, & conscientiæ stimulos. Eo spectant ista Hieronymi libr. 3. in Epist. ad Ephes. 5. 6. *Quia igitur sunt plerique, qui dicunt, non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum, & conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur, in similitudinem febris, quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit, sine cruciatuum extrinsecus adhibitione, quos possidet.* Notat præterea Hieronymus in Epist. 59. ad Avit. cap. 1. & 3. & 4. Origenem dixisse animas pro criminum modo crassioribus hominum, vel jumentorum, vel etiam Dæmonum corporibus immitti, easdemque resipiscentes ad Angelorum naturam redire: quod jam observavimus. Addit cap. 2. tormenta eum & ignem gehennæ in conscientia peccatorum libro 2. περὶ ἀρχῶν posuisse; quod iterat Apol. 2. cap. 1. & in Commentariis in Epist. ad Ephes. cap. 5. & 6. C

Queritur quoque apud Augustinum Orosius in Commonitorio, jactare solitos Origenistas quosdam, *Ignem æternum quo peccatores puniantur, non esse ignem verum, dicentes dictum esse ignem propriæ conscientiæ punitionem; ac sic omnes peccatorum animas post purgationem conscientiæ in unitatem corporis Christi esse redituras.* Arguit item circuitus illos beatitudinis & damnationis sempiternos Augustinus Hær. 43. ad Quodvultdeum, & libr. 21. De Civit. Dei, cap. 17. At Nicetas Choniates libr. 4. Thes. orth. fid. Hær. 31. dixisse ait Origenem, futurum ut anima tantisper in igne maneat, dum vitiorum sordibus expurgetur; at vermem tamen sine fine permansurum, nec unquam gehennam extinctum iri, *ut hoc pacto stimuletur inposterum, refriceturque memoria divinæ humanitatis in animis, quæ à perennibus hisce suppliciis liberatæ fuerint.* D

VIII. Nihilominus tamen multorum consensione & patrocinio noster Origenes defenditur, suaque imprimis dubitatione, cum libr. 1. περὶ ἀρχῶν, initio capitis sexti, de rerum consummatione, deque pœnis damnatorum, ac beatorum præmiis acturus sic præfatur: *Quæ quidem à nobis cum magno metu, & cautela dicuntur, discutientibus magis & pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus.* Et ita demum caput idem claudit: *Certius tamen qualiter se habitura sit res, scit solus Deus, & si qui ejus per Christum, & Spiritum sanctum amici sunt.* Pari quoque modo initio capitis sequentis hæsitationem suam declarat. Id ne ipse quidem inficiatus est Hieronymus, cum Epist. 59. ad Avit. cap. 1. Origenem de eodem argumento multa commentatum scripsisse tandem ait: *Hæc juxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quæsita tantum, atque projecta, ne penitus intractata viderentur.* E

Cæterum in asserendo igne illo qui justos in fine rerum itidem ut impios invasurus ab Origene fingitur, ipsi consentit Lactantius libr. 7. cap. 21. *Justos*, inquit, *cum judicaverit, etiam igni eos examinabit, tum quorum peccata vel pondere, vel numero prævaluerunt, præstringentur igni atque comburentur: quos autem plena justitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient.* Hilarius quoque Can. 2. in Matth. *Baptizatis in Spiritu sancto reliquum* esse dicit *consummari igne judicii*; atque ne hac quidem lege immunem fore putat B. Virginem. Idem habet in Comment. ad Psalm. 118. 20. Ambrosius Serm. in Psal. 36. *Igne ergo purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel*; & deinde: *Salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem; etsi non exuremur, tamen uremur.* Quæ sequuntur, ex Origene manifeste translata sunt: *Quomodo tamen alii remaneant in igne, alii pertranseant, docet nos divina Scriptura: nempe in mare rubrum demersus est populus Ægyptiorum, transivit ante populus Ebræorum.* Igneam vero ejusmodi purF

gatio-

A gationem gladio flammeo circa ostium Paradisi circumacto & rotato significari ait Comment. in Psalm. 118. Et Hieronymus libr. 3. in Amos 7. 4. Sanctos & impios ignibus pariter expurgandos esse ait. Quibus omnibus præluſit Sibyllinorum Oraculorum ſcriptor libr. 2.

καὶ τοτε δὴ πάντες ὑφ' αἰθομένῳ ποταμοῖο
ῥοῇ φλογὸς ἀσβέστου διελεύσονθ'. οἵ τε δίκαιοι
πάντες σωθήσονται, ἀσεβεῖς δ' ὅσσ' ἔασιν ὀλοιοῦ
εἰς αἰῶνας ὅλους, ὁπόσοι κακὰ ῥεξάτεν ἔρξαν.

& deinde:

τοὺς δ' ἄλλους, ὁπόσοις τε δίκη, καλά τ' ἔργα μέμηλεν,
ἄγγελοι ἀιῤῥόμβοι ὑφ' αἰθομένῳ ποταμοῖο
B εἰς φῶς ἄξουσι.

Tunc vero omnes per ardentem fluvium,
Et flammam inextinctam tranſibunt: juſti autem
Omnes ſalutem adipiſcentur; impii vero peribunt
In omnia ſæcula, quicunque mala antegeſſerunt.

& deinde:

Alios vero, quibus juſtitia, & recta opera curæ fuerunt,
Angeli tollentes per ardentem fluvium
In lucem deducent.

C Ignem in conſcientiæ facibus & flagellis itidem ut Origenes conſtituit Ambroſius lib. 7. in Luc. cap. 14. iisdem fere ipſius verbis: *Ergo*, inquit, *neque corporalium ſtridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis eſt corporalis. Sed hæc ideo, quia ſicut ex multa cruditate & febres naſcuntur & vermes; ita ſi quis non decoquat peccata ſua, velut quadam interpoſita ſobrietate abſtinentiæ, ſed miſcendo peccata peccatis, tanquam cruditatem quandam contrahat veterum & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & ſuis vermibus conſumetur.* Hieronymus doctrinæ huic alias ſatis infenſus, in eam tamen benigne ſe gerit ſub finem lib. 18. Comment. in Eſaiam: *Vermis autem qui non morietur, & ignis qui non extinguetur, à plerisq. conſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſuppliciis conſtitutos, quare vitio ſuo atque peccato caruerint electorum bono*: & paulo poſt: *Si quis igitur habeat in conſcientia ſua zizania, quæ inimicus homo dormiente patrefamilias ſuperſeminavit, hæc ignis exuret, hæc vorabit incendium.* Minime quidem fidem his à ſe adjungi teſtatur; ſed nec ea ſibi improbari ſignificat; nec ſub aliena, ſed ſub ſua ipſius perſona proponit. Diverſa vero eſt Auguſtini ratio, nam
D quamvis libr. 21. De Civit. Dei, cap. 9. eorum opinionem reprobet, qui ignem Damnatorum metaphorice ſumunt, eumque corporeum fateatur libri ejusdem, cap. 10. & libro 12. De Geneſ. ad liter. cap. 32. & 33. neget Inferorum ſubſtantiam eſſe ſpiritalem; & ea quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, doceat non eſſe corporalia, ſed ſimilia corporalibus: tamen libro 20. De Civit. Dei, cap. 16. ignem illum dicit ſe *cujusmodi, & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit hominem ſcire arbitrari neminem, niſi forte cui divinus Spiritus oſtendit.*
E Capite 26. libri ſequentis hæc Apoſtoli 1. Cor. 3. 13. *Vnius cujusque opus quale ſit, ignis probabit*, & v. 15. *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, ſignificare putat anguſtias ac mœrores, quibus homo percellitur, cum rebus animo ſuo præter æquum caris & complacitis orbatur: *Quod enim*, inquit, *ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdet.* Hoc quoque igne mortem notari conjectat, Eccleſiæ perſecutiones, martyria; ac eum proinde ab æterno hoc igne diſtinguit, in quem Damnati Chriſti decreto mittendi ſunt. At illud adverti omnino velim: *Poſt iſtius ſane corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt damnationis & remunerationis ultimus dies, ſi hoc temporis intervallo ſpiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non ſentiant illi qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna, & fœnum, & ſtipula conſumantur: alii*
F *vero ſentiant, qui ejusmodi ſecum ædificia portaverunt; ſive ibi tantum; ſive & hic & ibi; ſive ideo hic ut non ibi, ſæcularia, quamvis à damnatione venialia concremantem ignem tranſitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quid forſitan verum eſt.* Nec levius in Græcis Scriptoribus poſitum Origeni præſidium eſt: Philo in libro περὶ τοῦ εἰς τὰ προπαιδεύματα σωθῆναι. Ἢ ἄδικον καὶ ἀθέου ψυχὴν φυγαδεύων ἀφ' ἑαυτῆς πορρωτάτω διέπεμψεν εἰς τὰ ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν καὶ ἀδικημάτων χώρον· ὁ δὲ χώρος ἐστὶ προσφυέστατα ἀσεβῶν καλεῖσθαι, ὑφ' οὗ μυθευόμενος καὶ ἀδης· ὃν δὴ ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἀδης, ὁ τῆς μοχθηρᾶς ἕξεως ἐστιν, ὁ ἀλάστωρ, καὶ παλαμναῖος, καὶ πάσαις ἀραῖς ἔνοχος. *Injuſtam & impiam animam fugatam à ſeipſo longe procul diſpergit* (Deus) *in voluptatum, & cupiditatum, & criminum locum. Hic autem locus aptiſſime impiorum appellatur, non qui apud Inferos fabuloſe fingitur. Verus enim Infernus, vita eſt hominis nequam, perniciosa, conſcelerata, & omni execratione digna.* Corporeum quoq; negat eſſe Infernum Gregor. Nyſſenus libr. De anima & reſurrect. quemadmodum ignem æternum

num materia constare inficiatur Johannes Damascenus in fine libri 4. De orthod. fid. cujus A tamen sententiam mollire conatur S. Thomas, ut est apud Sixtum Senensem Biblioth. lib. 5. Annot. 141. Ignem & vermem in scelerum memoria ponit Theophylactus in 9. Marc. σκώληξ δὲ καὶ πῦρ κολάζοντα τὰς ἁμαρτωλὰς συνειδήσεις ἐστιν ἑκάστου, καὶ ἡ μνήμη τῶν πραχθέντων ἐν τῷ βίῳ τούτῳ αἰσχρῶν. ὅτις ὥσπερ σκώληξ καταδαπανᾷ καὶ ὡς πῦρ φλέγει. *Vermis autem & ignis, qui puniunt peccatores, conscientia est uniuscujusque & memoria turpium in hac vita gestorum; quæ sicut vermis absumit, & sicut ignis urit.* Nicetas libr. 4. Thes. orth. fid. Hær. 31. Deum ignis illius nomine notari suspicatur, quia *vitium consumit, & in favillam convertit.* In statuendo Inferorum loco extra mundi hujus metas Origeni suffragatur Chrysostomus Homil. 31. in Epistol. ad Rom. gehennam in spatiis ab hoc mundo secretis statuens hoc argumento, quod Regum carceres & metalla remota esse soleant. Suffragatur & Augustinus libr. 12. De Genes. B ad lit. cap. 33, 34. cum Inferos extra terram collocat; & libr. 20. De Civit. Dei, cap. 16. cum ignorare se profitetur, *in qua mundi vel rerum parte futurus sit ignis ille.* Quamvis libr. 2. Retract. cap. 24. sub terris hunc esse tandem concedat. Certe de loco & natura ignis hujus, licet nullum adhuc editum sit peculiare decretum, nedum Adamantii ætate, universæ tamen consensus Ecclesiæ satis ostendit, quid unicuique tenendum sit. Denique Johannes Philoponus Christianus Philosophus animas corporibus exemptas circa monumenta volutari cum Origene decrevit: nam hominem triplici instructum anima, vegetativa, sensitiva, & rationali prioribus duabus per mortem privari dixit, tertiam vero superesse; quæ si sceleribus inquinata sit, expiandis iis spiritu tenui vestiri, in eoque commeritas pœnas dare; alioquin incorpoream animam, corporeis rebus affici non posse; spiritale itaque C istud corpus suppliciis torqueri; & in sepulchretis interim degere, variisque indui formis, & vaporibus nutriri; eoque tandem ablumpto, tum demum expiatam animam absolvi, & in cœlum ferri.

Nihil porro iterare attinet, quod suo jam disputavimus loco, ecquonam tempore Dæmonibus inferenda supplicia Origenes putaverit. Perspicuum enim fecimus nullas, ipsius opinione, pœnas iis infligi, quoad postremo judicio in ignem æternum conjecti sint; multosque è sanctis Patribus pœnam, uti appellatur, sensus ab iis removisse.

IX. Nunc quid de beatitate commentus sit, exploremus. Hanc in eo positam sensit, ut quisquis eam sit adeptus, unum cum Deo efficiatur, juxta illud Johan. 17. 24. & 21. *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me,* D *& ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Ad id autem felicitatis culmen non statim putavit perveniri, sed per cognitionem primum & eruditionem, qua errorum & ignorantiæ caligo discutitur; ac deinde per Dei similitudinem; & demum per intimam cum Deo conjunctionem & unitatem, qua supremum bonum continetur. Multis hæc explicantur libr. 2. De princip. cap. 12. & libr. 3. cap. 6. nam priore loco ostendit Origenes comesturos Sanctos *panem vitæ, qui veritatis & sapientiæ cibis nutriat animam, & illuminet mentem, & potet eam divinæ sapientiæ poculis..... quibus sapientiæ escis nutrita mens ad integrum & perfectum, sicut in initio factus est homo, ad imaginem & similitudinem Dei reparetur.* Hinc unicuique à Deo insertum esse ait discendi amorem, qui tum explebitur, cum post diligenter quæsitam in hac vita veritatis notitiam, clariorem rerum perceptionem consequi promeruimus. Mul- E tiplicem deinde rerum scientiam enumerat, qua tum mens illustrabitur, non simplici quidem & repentina collustratione, sed diversa, & pro mentis captu & progressu continenti successione impertita. Posteriore autem loco docet summum bonum, seu finem omnium, ad quem natura rationalis universa tendit, hunc esse, similem Deo, quoad ejus fieri potest, evadere; atque ex hac similitudine in melius proficientem animam unum jam fieri cum Deo, prout pollicitus est Christus Johan. 17. 24. & 21. atque ita porro in fine omnia, & in omnibus Deum futurum esse. Exponit postmodum, qui omnia & in omnibus Deus esse possit; nempe cum rationis pollens anima, omni vitiorum fæce purgata, nihil aliud vel intelligere vel sentire potest, quam Deum; nec amplius ex arbore scientiæ boni & mali decerptos fructus degustare concupiscit, cum semper in bono sit, nec ei malum perpetrare F promtum sit; eoque tandem pacto finem reparari in principium, rerumque exitus initiis conferri, cum in illum statum restituetur anima, quem cum teneret, ligno scientiæ boni & mali non egebat; tunc eam morti obnoxiam non futuram, deterrum iri omnem malitiæ sensum, Deumque vere futurum omnia in omnibus. Ad hæc quale futurum sit spiritale illud corpus quo circumvestiendi sunt beati, patefacit, splendidius nimirum & excellentius corporibus reliquis quæ sub aspectum cadere possunt; eo vero plus subtilitatis ac splendoris adepturum, quo ratione instructa anima plus meritis suis ac virtutibus proscerit. Quærit demum, utrum post rerum consummationem, cum Deus erit omnia in omnibus, idem erit corporum omnium fulgor & gloria; respondetque summum illum & perfectum statum adepturam corpoream naturam, postquam sanctis doctrinis eruditas animas

A mas Deo Patri Christus subjecerit. Atque hæc fere habet Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 3. & ad finem libri hujus tertii περὶ ἀρχῶν ista Origenem intulisse ait: *Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa natura corporea redigatur in eam substantiam quæ omnibus melior est, in divinam scilicet, quæ nulla est melior*, quod Rufinus dissimulavit. Dissimulavit & hoc alterum, quod ex eodem Origenis libro adducit ibidem Hieronymus: *Nec dubium est, quin post quædam intervalla temporum rursus materia subsistat, & corpora fiant, & mundi diversitas construatur, propter varias voluntates rationabilium creaturarum, quæ post perfectam beatitudinem usque ad finem omnium rerum paulatim ad inferiora dilapsæ tantam malitiam receperunt, ut in contrarium verterentur, dum nolunt servare principium, & incorruptam beatitudinem possidere.* Id quippe pervulgatum Origenis dogma de beatorum animorum peccatis & lapsibus, in alios transfert
B interpretatione sua Rufinus libr. 3. de princip. c. 6. Sic enim habet: *Verum istam perfectionem ac beatitudinem rationabilium creaturarum, vel naturarum, ita demum quidam permanere in eodem statu, quo supra diximus, putant, id est ut Deum omnia habeant, & Deus eis sit omnia, si nullatenus eas societas naturæ corporali admoveat. Alioquin existimant gloriam summæ beatitudinis impediri, si materialis substantiæ interseratur admixtio.* Quin etiam quod aliis adscribentem Adamantium inducit Rufinus, id confutantem ipsum exhibet capite eodem: *In quo statu* (beatitudinis) *etiam permanere semper & immutabiliter Creatoris voluntate est credendum, fidem rei faciente sententia Apostoli dicentis: Domum habemus non manufactam æternam in cœlis.* De fine quoq; rerum agit Origenes libr. 1. de princip. cap. 6. omniaque dicit ad unum finem revocanda, quemadmodum ab uno initio profecta sunt, postquam scilicet regnaverit Christus, omnesque inimicos
C sibi subjecerit, ipsumque novissimum inimicum mortem destruxerit, & Patri regnum tradiderit, tunc que cœlestia, terrestria & inferna ad unum finem deventura, *per bonitatem Dei, & subjectionem Christi, atque unitatem Spiritus sancti.* Addit insuper soli Trinitati bonitatem substantialiter inesse, cæteros inde mutuatam & derivatam habere, *& tunc esse in beatitudine, cum de sanctitate, ac sapientia, & de ipsa divinitate participant*: quod quicunque negligunt, propriæ desidiæ vitio felicitate hac eos excidere & à Deo pro culpæ modo adhiberi. Nec ab his discrepant quæ ex Origene profert Catena Corderiana in Psalmos, ad Psal. 60. 3. ubi Christus esse dicitur tabernaculum, & mons sanctus, in quo perfecti conquiescunt: deinde subjicit:
πλὴν εἰ καὶ οὕτω τελειότητος ἔχει ἡ τοιαύτη σκιὰ, ὡς ἁγία ἁγίων εἶναι, ἀλλ' ἔν ἐστι μετ' αὐτὴν κατάστασις ὑπερέχουσα τῆς λογικῆς, καθ' ἣν ἐσονται ὁν πατρὶ καὶ υἱῷ, μᾶλλον δὲ τῇ τριάδι· διὸ παροικεῖν εἰς τὰς αἰῶνας, ἀλλ'
E ὑ καζικεῖν ὃκ τῆ σκηνώματι εἰρηκ· ὁ ὃν τότῳ τῷ οἴκῳ γεγονὼς σκεπασθήσεται ἐν τῇ σκῇ πτερύγων τὸ θεὸ σκεπῆ· Hoc est: Et tabernaculo, quod est Christus, digressi Sancti in Trinitate conquiescent, cum regno Christi absoluto, Pater ipse regnum susceperit. Hac doctrina imbutus Theodotus Ascidas Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Origenistarum Justiniani ætate patronus dixit:
εἰ πῦ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ μάρτυρες θαῦμα τεροῦσι, καὶ ὃν τῇ τοσαύτῃ τιμῇ ὑπάρχουσιν, ὃν τῇ ἀποκαταστάσει εἰ μὴ ἴσοι ἡμῖνται τῷ χεισῷ, ποία ἀποκατάστασις αὐτοῖς ἔσται; *Si nunc Apostoli & Martyres miracula edunt, & in tanto sunt honore, in restitutione si æquales Christo non evadant, qualis eorum restitutio futura est?* quam vocem in Quinta Synodo damnatam fuisse testatur Evagrius libr. 4. cap. 38. Veruntamen in Præfatione Commentar. in Johann. à communi Theologorum sententia minime recedit Origenes, in Dei cognitione & contemplatione beatitudinem si-
D tam esse docens, & finem esse τὸ θεωρητικὸν, εἰς ὃ καζαλήγειν τὸ τέλος ὅσῳ ἐν τῇ λεγομένῃ ἀποκαζάσει.

X. Non statim autem ad supremam beatitudinem, sed pedetentim ac per diversos gradus perveniri voluit. Nam animas beatitudinem promeritas, sed terrenarum rerum contage etiamnum laborantes, postquam corpore emissæ sunt, per varia deduci loca finxit, in quibus expurgatas, & ab Angelis huic ministerio destinatis eruditas, & errorum tenebris exolutas, splendidiorem ac celsiorem regionem conscendere, ibique novis instructas doctrinis, aliisque usas magistris in sublimius ferri, donec ad summum, quem diximus, felicitatis apicem evaserint; ac primum in certo quodam terræ loco terrenas fæces,
& ignorantiam deponi, atque hunc esse Paradisum; inde in aëre, & in diversis postmo-
F dum cœli locis novam capessere disciplinam, & perfecta demum beatitate frui; in singulis autem mansionibus eo diuturniorem agere moram animas, quo pluribus, dum corpori adjunctæ essent, sese noxis contaminarunt, pluribusque inquinamentis expurgandæ sunt. Frequentes extant doctrinæ hujus notæ, nos præcipuas excerpemus. Homilia 26. in Num. digressum animæ à corpore, Israëlitarum exitu de Ægypto exprimi tradit, cum relictis mundi hujus tenebris, & corporis cæcitate, in alium orbem transit anima, qui vel sinus Abrahæ, ut in Lazari historia, vel Paradisus, ut in illa Latronis, nuncupatur, *vel etiam*, inquit, *si qua novit Deus esse alta loca, vel alias mansiones, per quæ transiens anima Deo credens, & perveniens usque ad flumen illud, quod lætificat civitatem Dei, intra ipsam sortem promisse Patribus hæreditatis accipiat*: & aliquanto post: *Istius ergo terræ hæreditatem, post eaquam de mundi hujus Ægypto exierit, Deo credens anima consequitur: & alibi quidem ii qui sub Lege vixerunt, alibi autem qui per*

Iesu Christi fidem & gratiam dispensati sunt. Homilia deinde sequenti repetit hæc eadem, & A diversis mansionibus Israëlitarum in deserto, animæ mansiones notari scribit; ut & illo Christi Johann. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; ac variis præterea Prophetarum testimoniis, quæ subinde enumerat: per hæc ergo loca peregrinantem animam ad quietis locum cum gemitu & dolore anhelare, hebescere etiam, & caligare, quoad itineris sui metam assecuta sit: *Per singulas quasque*, inquit, *digrediens mansiones, illas scilicet multas, quæ dicuntur esse apud Patrem, illuminatur amplius ex una ad aliam veniens, majora semper illuminationis augmenta conquirit, usquequo assueta sit ipsius veri luminis, quod illuminat omnem hominem, intuitum pati, & miræ majestatis ferre fulgorem.* Inculcat idem in sequentibus: *Post resurrectionem ascensura ad cœlos* (anima) *non subito, nec importune ad summa conscendit, sed per multas deducitur mansiones, in quibus illuminata per singulas, & augmento semper splendoris accepto, in-* B *naquaque mansione illustrata sapientiæ lumine usque ad ipsum perveniat luminum Patrem.* Post hæc mansionum illarum deserti nomina mansionibus accommodat, quas anima in cœlum abitura peragrat, ostenditque hanc etiam tum Dæmonum insidiis & tentamentis esse obnoxiam, laboresque sustinere, at non invitam, nec tantum iis defatigari, quantum spe sublevatur, sed & refrigeriis animam foveri, paulatimque ad cœlestium cognitionem assurgere, jamque plenam in corpus exercere potestatem, & tum curriculi metam stringere, cum pervenit ad flumen Dei, & sapientiæ fluentis, undisque divinæ scientiæ irrigatur. Ex quibus satis apparet sententiæ huic Origenis vim afferre Sixtum Senensem libr. 5. Biblioth. Annot. 128. cum ait, mansiones illas, non ad diversa ascensionum tempora, sed ad diversos præmiorum gradus esse referendas. Denique Hom. 28. in Num. aliquem nobis à Deo locum C præparari comminiscitur, ubi ad certum tempus habitemus, si quæ peccata imprudentes admisimus, quemadmodum certas refugii urbes iis assignavit Moyses, qui homicidium casu & inconsulto commisissent, & unumquemque in hac illave cœli parte à Christo pro meritis constitui. Addit Homil. 25. in Josue filios Abraham locatum iri in cœlo secundum ordinem stellarum & partium cœli, datumque iri aliis sortem ad Orientem, aliis ad Occidentem, ad Austrum aliis, aliis autem qui Deo magis noti sunt ad Aquilonem. Facit ad rem illud ex Homil. 1. in Psalm. 38. *Alium facit diem Solis iste cursus nostri hujus cœli spatiis terminatus; alium habet diem ille qui ad secundi cœli pervenire meretur ascensum. Multo enim clariorem diem ducit ille qui usque ad tertium cœlum vel rapi, vel pervenire potuerit, ubi non solum ineffabile lumen inveniet, verum etiam verba quæ homini loqui non liceat, audiet. Novi & alios dies,* D *quorum numerum fortassis Propheta merito requirit.* Clarissimum vero istud quod legitur Tract. 30. in Matth. *Unumquodque cœlum suæ institutionis & initia habet, & perfectiones, id est terminos. Ut puta post conversationem summam quæ fuit super terram, suscipit iterum hominem conversatio unius cœli, & perfectio quæ in eo est. Iterum suscipit eum secunda conversatio secundi cœli, & perfectio quæ in eo est. Iterum suscipit eum tertia conversatio tertii cœli, & perfectio quæ in eo est. Et sic intellige mihi multorum cœlorum multarum conversationum initia esse & terminos, id est perfectiones, à quibus initiis & terminis diversorum cœlorum congregat Deus suos electos.* Idem libro 1. de princip. cap. 6. docet ad unum finem reditura omnia, quemadmodum eadem initia habuerunt, tum scilicet cum imperium tenuerit Christus, & profligatis inimicis, sibique subjectis, ac ipsa etiam morte, regnum Patri tradiderit. Ostendit deinde suis ordinibus E delapsas quasdam rationales naturas, aliis fuisse ad regendum traditas quæ locum suum tenuissent, earumque salubribus disciplinis reformatas amissam beatitudinem recuperare posse: *Ex quibus*, inquit, *existimo, prout ego sentire possum hunc ordinem humani generis institutum, qui utique in futuro sæculo, vel supervenientibus sæculis, cum cœlum novum & terra nova secundum omnes jam cœperit, restituetur in illam unitatem, quam promittit Dominus Iesus.* Quasdam præterea in tantam ait devenisse nequitiam, ut Virtutum cœlestium eruditionem penitus respuant, iisque repugnent; atque illas ab Apostolis Virtutes contrarias appellari, unde mortalium vitæ certamina & agones existunt. Tum docet in præsenti & in futuro sæculo singulas diversis castigatas suppliciis, Angelicis disciplinis emendari, donec ad perfecta & æterna perveniant; quem locum non semel supra adduximus. Tandem in eo desinit, non F interituram quidem in fine rerum corporalem naturam, sed mutatum iri ætheris in modum, & cœlestem quandam subtilitatem ac splendorem adepturam. Multis etiam argumentum istud explanat libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. sibique quærendum proponit, utrum post hunc mundum curatio aliqua & emendatio futura sit, asperior quidem in eos qui Verbo Dei morem non gesserunt, erga cæteros vero mollior & lenior, qui jam in studio veritatis, dum viverent, subacti, divinæ sapientiæ capaciores effecti sunt: utrum etiam finis omnium hanc vitam sit exceptura, alius vero mundus futurus sit ad eos corrigendos, qui id meriti sunt. Hanc deinde excutit opinionem quæ corpoream naturam in fine rerum penitus in nihilum redigendam asseverat; quam edisserens ait: *Hæc materia corporis quæ nunc corruptibilis est, induet incorruptionem, cum perfecta anima, & dogmatibus incorruptionis instructa uti*

ea

A *ea cœperit*, docetq; animam corporis indumentum futuram, quæ ipsa Christo induetur, unde incorrupta evadat. Postmodum addit: *Incorruptio autem & immortalitas quid aliud erit nisi Sapientia, & Verbum, & Iustitia Dei, quæ formant animam, & induunt, & exornant?* Eam autem sententiam, quæ futurum statuit, ut incorporea vita agenda sit, cum Christo subjecta omnia fuerint, vel alteram hanc quæ corpoream substantiam purissimis spiritibus pro meritis sociandam, & in æthereum statum transmutandam decernit; aut tertiam denique, quæ desitarum mundi hujus habitum definit, & supra sphæram ἀπλανῆ in tuto collocandam piorum stationem, tum qui castigationibus delicta expiarunt, tum qui virtutibus eo pervenire meruerunt, proponit unicuique, ut quæ animo suo collibuerit magis, eam pro arbitrio amplectatur. Capite 12. libri ejusdem putare se pronuntiat migrantes ex hac vita animas in locum aliquem in terra positum secedere, quem Paradisum Scriptura appellat, ibique sic tanquam in schola,
B rerum quas in terris viderant, ac futurorum etiam causas condiscere. Quo mundior autem, & exercitatior aliqua fuerit, eo magis proficientem, citius in aërem conscensuram, hinc ad sphæras cœlestes, in quibus novis eruditionis accessionibus locupletabitur. Eadem habentur libr. 3. περὶ ἀρχῶν, c. 6. docetque per immensa annorum curricula animas suis in locis emendari, præcurrentibus aliis, & citato cursu ad summa enitentibus, subsequentibus proxime aliis, nonnullis tardius; & sic per diversos ordines proficere, ac Deo reconciliari, donec destruatur postremus inimicus, mors scilicet; ac restitutis tandem in hunc statum animis, naturam corporalem ad gloriam perductum iri, omiaque unum futura, cum Deus fuerit omnia in omnibus. Sub finem capitis ejusdem idipsum inculcat, additque in alia terra Sanctos esse Angelicis institutionibus informandos. At Homilia 11. in Num. ad superiora adjicit, Ange-
C los iis regendis in futuro sæculo fore præfectos, quos labore suo ac ministerio è diversis Gentibus congregatos ad Christi notitiam adduxerint, adeo ut Christus non tam Rex futurus sit, quam *Rex Regum, & Dominus dominantium*, & nonnullos ab Angelis Christo offerri, aliquos vero Archangelis duntaxat. Denique sic concludit: *Sicut ex initio sæculi hujus, cum dispergeret Deus filios Adam, statuit fines Gentium secundum numerum Angelorum Dei, & unaquæque gens sub illo Angelo facta est, una autem fuit & electa gens Israel, quæ portio Domini fuit, & funiculus hæreditatis ejus; ita credo & in fine hujus mundi, atque in initio sæculi alterius, futurum ut iterum dividat Excelsus filios Adam, & qui non potuerint ita mundi esse corde, ut ipsum videant Dominum, & esse portio Domini, videant sanctos Angelos, & sint secundum numerum Angelorum Dei. Sed beatus est qui dignus fuerit in illa vita esse portio Domini, & populus ejus Iacob, ac funiculus hæreditatis suæ*
D *Israel.* Germanum horum est quod legitur Hom. 21 in Num. ubi aliud beatitatis genus iis assignat, qui divina ministeria in vivis obierint, aliud iis qui virtutem segnius excoluerint: illos quippe scribit supergredi summa cœli fastigia, & ibi semper in Domino, semper in Verbo ejus ac Sapientia versantes summis deliciis frui; hos vero terræ alicujus sublimioris & potentioris, terræ nempe viventium hæreditatem capturos. Scribit præterea Homil. 3. in Luc. in futura vita non omnes statim atque corpore exierint, Deum, Angelosve visuros, sed eos tantum qui munditie cordis dignos se Dei aspectu præbuerint; quamvis autem in eodem loco futuri sint & qui puro corde erunt, & qui sordibus fœdati, disparem tamen utrorumque futuram sortem, & illos Dei intuitu fruituros, quo hi carebunt. Homilia 17. sequente asseverat ab Eccle-
E sia cœlesti dejectum iri digamos, quemadmodum in terra ab Ecclesiasticis dignitatibus arcentur. *Non quo*, inquit, *in æternum mittantur incendium, sed quo partem non habeant in regno Dei:* & deinde eos ait *esse de secundo gradu, & de his qui invocant nomen Domini, & qui salvantur quidem in nomine Iesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo.*

Ad postremum quoniam ad summam perfectionem res creatæ nondum adductæ sunt, idcirco nondum beatos plenam recepisse lætitiam, nec summo gaudio frui affirmavit, ne ipsos quidem Prophetas, vel Apostolos, imo ne ipsum quidem Christum. Verba ipsius hæc sunt Homil. 7. in Levitic. *Nondum enim receperunt lætitiam suam, ne Apostoli quidem, sed & ipsi expectant ut & ego lætitiæ eorum particeps fiam. Neque enim decedentes hinc Sancti continuo integra meritorum suorum præmia consequuntur, sed expectant etiam nos, licet morantes, licet desides. Non enim est illis perfecta lætitia, donec pro erroribus nostris dolent, & lugent nostra peccata.* Cui
F probando utitur hoc Apostoli Ebr. 11. 39, 40. *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Addit postmodum Sanctos perfectam nobiscum in die judicii una beatitudinem capturos, propterea quod totum simul corpus suscitandum sit, homines nimirum universi: quod corpus cum multis constet membris, singulis videlicet hominibus, futurum scilicet truncum corpus & imperfectum, si qua sui parte careat, nec perfecta proinde ac plena fruiturum lætitia, quoad integritatem suam receperit. Et postea: *Quod si tibi, qui membrum es, non videtur esse perfecta lætitia, si desit aliud membrum: quanto magis Dominus & Salvator noster, qui caput & auctor est totius corporis, non sibi perfectam dicit esse lætitiam, donec aliquid ex membris deesse corpori suo videt?* Laboranti Origeni succurrere conatur Genebrardus, & hæc scribit: *Atqui id de integra & absoluta* Gen. in Coll. cap. 6.

ſoluta beatitudinis conſummatione, quam nondum ſancti in corporibus receperunt, poteſt explicari. A Quid juvat autem recuſanti opem ferre, cum hac neutiquam de cauſa, quam commemorat Genebrardus, ſanctos exiſtimet nondum perfecta frui lætitia: *Non enim eſt illis*, ait ipſe, *perfecta lætitia, donec pro erroribus noſtris dolent & lugent noſtra peccata.*

Cum ait autem Origenes Tom. 11. in Matth. pag. 207. animas, poſtquam pro ſordium & inquinamenti ratione, plus minusve fuerint expurgatæ, tandem unum ſolare lumen futuras, & inferioribus lucem ſuam præbituras: id ſibi vult, ſupremum illas felicitatis apicem conſecuturas, ſupra quem aſſurgere non licet: quem locum quæcunque tenuerint, æquali luce fulgere, & pari beatitatis menſura frui neceſſe eſt. Verum aliquibus ex hoc numero ſemper recidentibus ad priſtina vitia, & è ſummo illo gradu labentibus, obtuſiori luce, & priore hac multum inferiori ſplendebunt. Similiter intel- B ligendus eſt, cum ait, futurum aliquando Deum omnia in omnibus, cumque ſupremum illum finem ad quem omnia pervenient, rerumque univerſarum ἀποκατάστασιν commemorat. At cum Tomo 15 in Matth. pag. 406. ſcribit in remunerandis hominibus, voluntatis duntaxat ipſorum ac ſtudii rationem habere Deum, non temporis quod exercendis virtutibus impenderunt, ac idcirco æqualibus præmiis donandos quicunque pro virili laborarunt; id ita ex ſuperioribus explicandum eſt, eandem iis tribuendam eſſe mercedem, ſalutem nimirum, at non eandem adhiberi purgationem, ſi diu illi in virtute, parum iſti deſudarunt, ſimilibus licet in Deum ſtudiis elati vitam clauſerint; ſed diverſis utrosque diſciplinis, & emendationibus reparari, antequam in ſupremo beatitatis culmine collocentur. Itaque ſubjicit Origenes pag. 407. ἐχέτωσαν μὲν γὰρ δίκῃ τὴ μετάνοιαν καὶ τὸ καταλαμβάνεσθαι ἐν ἑπτ- C ςραμμένῳ βίῳ κρείττονα τοῦ καταλαμβανομένων ἐν τῇ ἁμαρτίαις, ἃ μὴν καὶ ὑπολαμβάνειν ἔοικε αὐτοῦ ὅτι ὅμοιοί εἰσι τοῖς ἁβδ. τὸ ἠμαρτηκόσιν ἐν τῇ νεότητι, ἁβδ. τὸ μηδὲ τὴ ἀρχὴν τὰ τῆ πίςεως μεμαθηκέναι. Plurimum ergo hæc inter Origenis delira, ac Joviniani hæreſin intereſt, qui virtutes ac peccata eſſe æqualia, ac æqualem proinde mercedem & pœnam fore arbitrabatur, Stoicos ſecutus qui *de paritate peccatorum*, ut ait Auguſtinus, *ſoli auſi ſunt diſputare contra omnem ſenſum generis humani.*

Aug. Epiſt. 29. ad Hieronym.

XI. Emenſis illis ac peragratis ſpatiis, quæ animas purgandi cauſa decurrere finxit Origenes, quo eas ſubſiſtere loco ac conquieſcere ratus ſit, videndum eſt. Novum quidem cœlum, ac terram novam felicitati & quieti poſt hanc vitam deputat, propter illud Iſaiæ 65,17. *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, &* D *non aſcendent ſuper cor:* quod repræſentatur 2. Petr. 3. 13. & Apocal. 21. 1. Propter illud autem Pauli 1. Cor. 7, 31. *Præterit enim figura hujus mundi*, & iſtud Davidis Pſalm. 101. 27. *Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent*, & hoc fortaſſe Iſaiæ 51, 6. *Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur*, eatenus novum cœlum & novam terram creatum iri docet, quatenus in fine rerum deſtruetur iſte mundus, & in novam terram, ac novum cœlum reparabitur: *Innovatio*, inquit, *cœli & terræ, & transmutatio hujus mundi, & immutatio cœlorum his ſine dubio præparabitur, qui per illam viam, quam ſupra oſtendimus, iter agentes ad illum finem beatitudinis tendunt, cui etiam ipſi inimici ſubjiciendi dicuntur, in quo ſine omnia & in omnibus dicitur eſſe Deus.* Itaque Hieronymus Epiſt. 59. ad Avit. c. 1. cenſuiſſe Origenem queritur, futurum ut ex animis quibusdam *hominum conſtet genus in uno aliquo ex mundis, quando* E *juxta Eſaiam cœlum & terra nova fient.*

Supra hoc etiam conſpicabile cœlum, terram novam ac cœlum novum quandoque collocat, & ſummi illius ac novi cœli ratione firmamentum eſſe Inferos ait, quemadmodum ratione Firmamenti Terra hæc noſtra, quam proprie Aridam appellandam cenſet, Inferi ſunt; Inferorum vero ratione cœlum ipſa eſt, & quemadmodum diſcedentes ex his terrenis ſedibus animæ pro ſuis meritis diverſa apud Inferos obtinent loca, ita quæ in ſummo loco moriuntur, ablegari in Firmamentum, vel in terram, & varia ibi loca nanciſci: Ac rurſum quemadmodum migrantes ex Inferis animæ, & ob recte geſta in terram remeantes, naſci dicuntur; ita varios animarum ortus in Firmamento, & ſupremo item cœlo contingere. Verba ipſa Origenis, quibus hæc continetur doctrina, adducit Hiero- F nymus capite 2. & 4. Epiſt. 59. ad Avit. è libro 4. περὶ ἀρχῶν. Hujus certe libri capite 21. tradit Origenes Hieroſolymam, ſed & reliquas etiam terræ regiones, alias ſibi cognomines in cœlis habere, ibique Ægyptum, Babyloniam, Tyrum, & Sidonem reperiri; multaque de locis illis vaticinatos eſſe Prophetas, quæ ſi quis ad terrena loca referat, valde eum hallucinari. Plurima ibi in ſacris Voluminibus memorata recenſet, quæ allegorice interpretanda, & ad cœleſtia detorquenda arbitratur. Homilia 28. in Num. Judæam in cœlo ſuis diſtinctam montibus, ſuis civitatibus & vicis, ſuis etiam tribubus ſtatuit, in eaque ſedem poſiturum populum Dei, & verum Iſraëlem, Jeſu duce, cujus imaginem geſſit Jeſus alter filius Nave, unumquemque autem in hanc illamve tribum iri ablegatum pro meritis ac virtutibus, *neque ſolum pro meritis eorum qui diſpenſantur, ſed & pro noviſſimi Adam, in quo omnes*

A *nes vivificandi dicuntur, contemplatione.* Ibidem collocat Jerusalem, & montem Sion, juxta Apostolum Gal. 4. 26. & Ebr. 12. 22. & Johannem Apocal. 3. 12. & 21. 2. & Templum Dei; diesque ibidem festos celebratum iri putat, & quæcunque demum præcipiuntur in Lege, quam umbram contmere dicit Apostolus futurorum bonorum. Eadem habet Homil. 23. in Josue, eoque refert istud Johann. 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, & super civitates illas cœlestes potestatem habiturum existimat servum illum frugi, qui commissam sibi pecuniam utiliter posuit. Has ergo inter animarum sedes eam proportionem statuit, & similitudinem Origenes, ut cœlestium umbram esse & imaginem velit terram hanc, quæque in terris geruntur, juxta Apostolum Ebr. 8. 5. Memorabilis vero præ cæteris ille locus quem Homil. 5. in Psalm. 36. reperimus, ubi hoc explanans Psalm. 36 34. *Et exaltabit te, ut*
B *hæreditate capias terram*, terram hanc esse vult dorsum ipsius Firmamenti: *Unde*, inquit, *ego arbitror, quia sicut cœli ipsius, id est, Firmamenti inferius solum Arida hæc in qua nos habitamus, terra ejus dicitur; ita & illius superioris, quod principaliter dicitur inferius solum, in quo habitatores illi cœlestes conversantur, & ut ita dicam, dorsum ipsum Firmamenti hujus, merito, ut dixi, Terra illius cœli esse dicitur, sed terra bona, terra sancta, terra multa, terra vivorum, terra fluens lac & mel.* Fuse totum doctrinæ suæ contextum explicat libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. atque rerum omnium universitatem, infernarum, terrenarum, cœlestium, & quæ supra cœlum sunt, generali nomine mundum ait appellari, quo cæteri mundi continentur; & quemadmodum firmamentum terram hanc capacitate sua complectitur, ita sphæram quandam superiorem, quæ in Scripturis terra bona, & terra viventium nominatur, & mitibus ac mansuetis promit-
C titur, suo constringi cœlo, in quo Sanctorum nomina descripta sunt; ex hoc autem cœlo, ex eaque terra, terræ ac cœli nominibus affecta fuisse Firmamentum & Aridam; aliudque esse cœlum & terram quæ initio à Deo creata sunt, ac Firmamentum quod die secundo conditum dicitur: mundum hunc autem superiorem, eum esse, unde missum se significat Christus dicens Johann. 8. 23. *Ego non sum de hoc mundo*, corruptioni neutiquam ipsum esse obnoxium, nec oculis aspectabilem, sanctis autem & perfectis sedem hanc esse destinatam, & terram quidem mundi illius iis qui castigationibus & emendationibus fuerunt expurgati, aliis vero cœlum, qui dum in terris agerent, Dei mandatis obtemperarunr, sed ita tamen ut ab illa terra ad cœlum supremum transitus pateat. Consimilia sunt quæ habentur ejusdem libri cap. 8. & quæ capite postremo libri 3. ubi & illud adjicit, rerum istarum cœlestium, quæ
D inferiorum harumce typum gerunt, formam Moysi in monte fuisse monstratam; ad ejusque exemplum Tabernaculi & sacrificiorum instrumenta ipsum comparasse, secundum præceptum illud Dei, Exod. 25. 40. *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Adjicit etiam in summo illo cœlo futurum illud *quod æternum dicitur Evangelium, & Testamentum semper novum, quod nunquam veterascet*; in eaque piorum terra eruditum iri ab Angelis animas, quemadmodum & in commemoratis supra mansionibus, donec supremum adeptis cœlum sit Deus omnia in omnibus. Nec ab his abludit Homil. 1. in Genes. cum scribit cœlum illud supremum & incorporeum, quod Dei sedes est, primum à Deo conditum, deinde corporeum cœlum, hoc est Firmamentum: nam incorporeum appellat, ut supra ostendimus, quod propter eximiam tenuitatem sub sensus non cadit. Item capite ultimo
E lib. 2. περὶ ἀρχῶν post quam Sanctos ex hac vita discedentes in quendam terræ hujus locum deventuros dixit, qui Paradisus appellatur, inde aëreis mansionibus ac cœlestibus transgressis ad ea quæ non videntur, & quæ nomine duntaxat nobis cognita sunt, affirmat ascensuros. Hinc libro 7. in Epist. ad Rom. ea quæ oculis usurpantur, Aridam nimirum vel Firmamentum sperari vetat, sed quæ in oculos non incurrunt, & æterna sunt, nempe cœlum: *Imo potius*, inquit, *cœlos multo eminentiores & excelsiores quam est illud Firmamentum quod videri oculis potest*, & terram mansuetis assignatam, edicente Apostolo 2. Cor. 4. 18. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.*

XII. Ad Paradisum quod attinet, à summo illo & supremo cœlo eum Adamantius di-
F stinxit, & in certo aliquo terræ loco collocavit; cum terrestrem è contrario Paradisum, quem in terra situm fuisse certissimum est, allegorice exponens supra cœlum constituerit, ut ostendemus. Ac de priore manifestum est testimonium libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 12. *Puto enim*, inquit, *quod sancti quique discedentes de hac vita, permaneant in loco aliquo in terra posito, quem Paradisum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco.* Atque hanc primam esse vult mansionem, in qua corpore exeuntes animæ terrenis sordibus expurgantur; quam & idem esse vult ac sinum Abrahæ. *Sed & illam figuram*, inquit Homil. 26. Num. *esse diximus exeundi de Ægypto, cum reliquit anima mundi hujus tenebras, ac naturæ corporeæ cæcitatem & transfertur ad aliud sæculum, quod vel sinus Abrahæ, ut in Lazaro; vel Paradisus ut in Latrone, qui de cruce credidit, indicatur.* Aliquibus etiam Paradisum differentiis discriminat Homil. 13. in Ezech. ut alter sit Paradisus, alter deliciarum Paradisus. Atque hunc deliciarum Paradisum, cum

Eden, hoc est terrestri Paradiso confundit Homil. 1. in Cantic. ait enim: *Qui autem dignus* A
fuerit redire & esse cum Christo, quia in parvo fidelis inventus constituetur super multa, ille gustabit, & capiet voluptatem Domini, perductus ad locum quendam, qui pro hujusmodi ciborum copia & varietatibus, delitiarum nominatur locus. Propter quod & in Eden positus dicitur, quod delicias indicat. Quo de terrestri Paradiso quid senserit, infra explorabimus.

XIII. Hausta sunt & illa fere è Platonis fontibus: nam beatitudinem in Dei similitudine sitam ille voluit. Testes Laërtius in Platone, & Clemens Alexandrinus Strom. libr. 2. qui & in eadem fuisse Stoicos sententia demonstrat, & Abammon Ægyptius in responsione ad Epistolam Porphyrii. Plato præterea in Phædone, postquam Inferni topographiam descripsit, narrat animas, quæ virtutem inter & vitium mediam tenuerunt viam, post latam de se sententiam ad Acherontem profectas, conscensis vehiculis ad Acherusiadem paludem deportari, expiatisque illic per supplicia sceleribus solvi, & præmia tandem rerum bene gestarum referre, & ad animalium etiam generationem nonnunquam remitti: quæ vero insanabilibus sese facinoribus alligarunt, in Tartarum absque ulla futuri exitus spe præcipitari: at quorum crimina sanari possunt, projici & illas in Tartarum, sed transacto illic anno, fluctu inde ejici, & ad Acherusiadem revolvi, nec ante liberari, quam eos exoraverint, quos injuria vel morte affecerunt: quæ puram autem & insontem duxerunt vitam, eas regionem quandam superiorem, & deliciis affluentem, quæ terræ supereminet, ascendere; nonnullasque ex iis Philosophiæ præceptis institutas corporea mole liberari penitus, & in amœniora loca concedere. Præcipue notandum venit illud Plotini Enn. 3. libr. 4. cap. 6. quo animarum ad superiora progressarum nonnullas asseverat in sensili hoc mundo vitam C
agere, alias extra hunc mundum: quæ in sensili mundo degunt, alias penes Solem, vel aliquem Planetam, alias in firmamento ævum agitare, unamquamque pro meritis. Dictaverat vero jam ante Pythagoras, ut refert Laertius, ἔστι πάντα τὸν ἀέρα ψυχῶν ἐμπλεων. *Aërem omnem animis plenum esse.* Atque hæc interpolata Origenes ad Scripturæ sacræ effata utcunque aptavit.

Laert. in Pythag.

Terra autem illa Firmamenti convexis incumbens, quam describit Adamantius, alteri huic persimilis est, quam libro eodem Plato commemorat, ubi ait; αὐτὴν μὲν γῆν καθαρὰν ἐν καθαρῷ κεῖσθαι τῷ οὐρανῷ, ἐν ᾧπερ ἐστὶ τὰ ἄστρα, ὃν δὴ αἰθέρα ὀνομάζειν τοὺς πολλοὺς τῶν περὶ τὰ τοιαῦτα εἰωθότων λέγειν· ὃ δὴ ὕπος ἀθμὸν ταῦτα ἔστι, καὶ ζυρρεῖν ἀεὶ εἰς τὰ κοιλὰ τῆς γῆς· *Puram terram in puro sitam esse cœlo, in quo sunt Astra, quod multi ex iis qui hujusmodi de rebus disserere solent, ætherem ap-* D
pellant, cujus hæc esse faces, & in concava terræ semper confluere. Hinc Tertullianus libr. de anima, cap. 55. *Sed in æthere dormitio nostra cum pueris Platonis; aut in aëre, cum Ario; aut circa Lunam, cum Endymionibus Stoicorum.* Vetusta quoque illa Poetarum Theologia Beatorum animas in terram quandam, Elysium nempe nemus recipi canebat. Inde Christianis objectabat Celsus nos ab Ethnicis edoctos dixisse abituras post mortem animas in aliam terram hac meliorem. Tum vero magistri sui Origenem puduit, & quæ à Platone didicerat, referre maluit ad Moysen, qui bonis Deum induxit promittentem terram lacte & melle manantem, cujus symbolum esse & imaginem Judæam hanc terrenam & Hierusalem dixit, juxta Apostolum Ebr. 12. 22. In eorum argumentum quibusdam utitur Davidis testimonis, frugi hominibus terræ cujusdam hæreditatem pollicentis. Illius quoque terræ gemmas ab Isaia 54. E
12. transtulisse Platonem arbitratur, ac reliqua itidem quæ ad hanc fabulam pertinent, quemadmodum & à Moyse, aliisque Prophetis. Aggæum vero nominatim laudat, qui terram ab Arida manifeste distinguit.

Orig. lib. 7. contr. Cels.

Agg. 2. 6.

XIV. Origenianos errores libris περὶ ἀρχῶν insertos percensens Hieronymus in Epist. 59. ad Avit. memoratos illos de suprema felicitate, ac diversis felicitatis gradibus minime prætermisit. Primum hujus Epistolæ caput legi velim, ac alterum item, quod in his verbis, è fine secundi de principiis libri petitis, desinit: *Cumque in tantum profecerimus, ut nequaquam carnes & corpora, forsitan ne animæ quidem fuerimus, sed mens & sensus ad perfectum veniens, nulloque perturbationum nubilo caligans, intuebitur* (legendum fortasse, *intuebimur*) *rationabiles, intelligibilesque substantias facie ad faciem.* Legi velim & quartum ejusdem caput Epistolæ, quo F
dixisse Origenem prodit Hieronymus, adversus animas in rerum fine ad cœlestem Hierusalem properantes adversariarum Fortitudinum bella consurgere, ne animarum remolescat virtus, sed ut præliis exercitæ novum roboris incrementum capiant. Tangit id & Theophilus Pasch. 2. cum somniasse dicit Origenem *ascendere animas in cœlum, & descendere; & nunc proficere, nunc ad inferiora delabi.* Variarum quoque cœli mansionum figmentum perstringit paulo inferius, dixisse Origenem tradens, *corpora quæ resurgunt, post multa sæcula in nihilum dissolvenda, nec futura aliquid, nisi cum de cœlorum mansionibus animæ ad inferiora dilapsæ, indiguerint novis, quæ aliæ rursum fiant, prioribus omnino deletis.* Totam hanc etiam de cœlo novo, & terra nova, deque cœlesti illo mundo, hujus nostri persimili, commentationem exsufflat Hieronymus cap. 4. Epist. 59. ad Avit. At immerito Origenem culpet Epiphanius,

Epiph. Hær 64. cap. 4.

quod

A quod Davidicum illud Psal. 114. 7. *Convertere anima mea in requiem tuam*, ad requiem illam cœlestem retulerit, quam ob præclara in vita hac gesta anima consequitur; totum quippe hunc Psalmum eodem refert Ecclesia. Augustinus in libro de hæresibus: *Paradisum, & cælos, & alia non credunt* (Origeniani) *esse secundum literam, sed in allegoria.* Denique Michaël Glycas Annal. part. 1. & 4. vexat Origenem hoc nomine, ipsiusque sententiam à Johanne Chrysostomo profligatam commemorat.

XV. Attamen contra tot adversariorum assultus Origeni præsidio est hæc ipsius obtestatio libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. qua animos Lectorum ad supra exposita dogmata ita præmunit: *Quæ quidem à nobis etiam cum magno metu & cautela dicuntur, discutientibus magis & pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus. Indicatum namque à nobis in superio-*
B *ribus est, de quibus manifesto dogmate terminandum sit, quod & pro viribus nos fecisse puto, cum determinate loqueremur. Nunc autem disputandi specie magis, quam definiendi, prout possumus, exercemur.* Ad hæc libro sequenti, cap. 3. quid aut quo loco sit iste mundus, è quo venisse se significabat Servator, cum dicebat: *Ego non sum de hoc mundo*, non satis constanter prodidit: *Sed utrum mundus iste*, inquit, *quem sentiri vult, separatus ab hoc sit, longeque divisus, vel loco, vel qualitate, vel gloria; an gloria quidem, quia qualitate præcellat, inter tamen mundi hujus circumscriptionem cohibeatur, quod & mihi magis verisimile videtur, incertum tamen est, ut ego arbitror, & humanis adhuc cogitationibus & mentibus inusitatum*: deinde triplici de rerum consummatione & summa beatitudine proposita sententia, ad quamlibet persequendam unicuique arbitrii sui libertatem permittit. Et postremum tandem caput lib. 3. de princip. quod est de con-
C summatione mundi, claudit his verbis: *Hactenus nobis etiam corporeæ naturæ vel spiritalis corporis ratione discussa, arbitrio legentis relinquimus ex utroq; quod melius judicaverit eligendum.* Homilia 23. in Josue postquam loca cœlestia his terrestribus similia assignavit, ejusmodi mysteria veneratione digna & silentio esse declarat, nec à mortalium quoquam, ne ipsis quidem Apostolis perfecte proferri posse. Quamobrem & libr. 4. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. regnum cœlorum thesauro in agro abscondito comparatum fuisse putat.

Veruntamen, quamvis liquido & sine ambage asseverasset, quæ incertus proposuit, sanctorum aliquot virorum suffragiis & consensu adjuvaretur. Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. id Platonis axioma, quo tum beatum hominem esse definit, cum Deo similis est, Scripturæ sacræ auctoritate defendit. De modo ac loco felicitatis Sanctorum, à primis usque Ec-
D clesiæ temporibus ad Innocentium 3. & Benedictum 11. ac Florentinam Synodum, nihil certi fuit ab Ecclesia præscriptum, adeo ut in diversa Patres abierint. Eorum sententias & testimonia collegit Sixtus Senensis libr. 6. Bibl. Annotat. 345. ut in iisdem huc reponendis supervacanea omnis esse opera videatur. Præter eos qui ab ipso commemorati sunt, adiri velim Cypriani Epistolam 52. ad Antonianum, Novatianum libr. de Trinit. cap. 1. Athanasium in Expositione fidei, Paradisum Latroni à Christo in cruce promissum, eum esse censentem unde Adamus ejectus est, cum Cyrillo Hierosolymitano 1. Catech. mystag. Basilio in libro de Paradiso, & cap. 27. libri de Spiritu sancto, Gregorio Nysseno in Orat. in XL. Martyres, & Paulino Nolano, idem sentientibus ac sensit Athanasius. Adeatur & Epiphanius in
E Epist. ad Johann. Hierosolym. cap. 4. & in Ancorato cap. 54. alibi Paradisum collocans, alibi cœlum; & Augustinus libr. 20. de Civit. Dei, cap. 14, & 16. in aliquibus Origeni consentiens, & auctor Quæstionum ad Antiochum, hominibus absconditum hoc, & ignotum esse mysterium edicens.

XVI. Satis ex superioribus, etiam me silente, colligitur Damnatorum pœnis modum aliquando & finem ex decreto Origenis impositum iri: cum enim futurum ratus sit, ut quemcunque teneant statum animæ, peccare possint, & re ipsa persæpe peccent, ac pro peccatis vel meritis perpetuo circuitu ab imis ad summa, à summis ad ima revolvantur, ipsiusque Diaboli aversa à Deo voluntas olim conterenda sit, & Deo Patri regnum Chri-
F stus sit traditurus, tumque existimaverit plenam omnium ἀποκατάστασιν ac perfectam felicitatem futuram, cum Deus erit omnia in omnibus; consequitur illinc necessario desitura Damnatorum supplicia, eaque noxarum duntaxat expurgandi caussa à Deo hominibus infligi. Hominis esset intemperantis, neque satis tempori parcentis suo, quæcunque væsania hac oblita in Origenianis Commentariis reperiuntur, Lectori recensenda objicere; adeo multus est in hoc dogmate prodendo, & odiosus Adamantius. Sed ne nos tamen à more deflectamus nostro, illustria solum fidei caussa seponemus. Prior occurrit locus Homilia 7. in Levit. in qua prolixe disputat quomodo Patri subjectus Filius dici possit, ostenditque Filium eatenus dici Patri non esse subjectum, quatenus nos qui sumus Christi membra Patri minime subjecti sumus: *Cum vero*, inquit, *consummaverit opus suum, & universam creaturam suam ad summum perfectionis adduxerit, tunc ipse dicetur subjectus in his quos subdidit Patri, & in quibus opus quod ei Pater dederat, consummavit, ut sit Deus omnia in omnibus.* Subjungit deinde Christum tum vinum bibiturum, *cum subjecta ei fuerint omnia, & salvatis omnibus, ac*

destructa

destructa morte peccati, ultra jam necessarium non erit offerre hostias pro peccato. Addit paulo post: A *Quanto magis Dominus & Salvator noster, qui caput & auctor est totius corporis, non sibi perfectam dicit esse lætitiam, donec aliquid ex membris deesse corpori suo videt?* Subjectionem illam simili modo exponit libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 5. cum scribit, Christum in semetipso complectentem omnes quos subjecit Patri, & qui hujus ope salutem consecuti sunt, cum ipsis & in ipsis Patri subjectum dici, Subnectit postea: *Si ergo bona & salutaris accipitur ista subjectio, qua subjectus esse dicitur Filius Patri, valde consequens & cohærens est, ut inimicorum quæ dicitur Filio Dei esse subjectio, salutaris quædam intelligatur & utilis: ut sicut cum dicitur Filius Patri subjectus, perfecta universæ creaturæ restitutio declaratur; ita cum Filio Dei inimici dicuntur esse subjecti, subjectorum salus in eo intelligatur, & reparatio perditorum.* His consonant quæ leguntur in fine Tractat. 23. in Matth. Sed & aliqua de subjectione illa Filii disserit Tract. 30. Operis ejusdem, quæ quoniam alterius sunt argumenti, prætermitto. Succedat Homilia 6. in Num. in qua de lepra disputans, propter quam castris ejiciebantur qui ea laborabant, lepram peccato confert, eamque non perpetuo mansuram ait, sed completa septimana ad castra leprosos revocatum iri, in fine nempe mundi, cum plenitudo Gentium introierit, & omnis Israël salvus erit, fietque unus grex, & unus pastor, & Deum ita omnes conclusisse sub peccato, ut omnium demum in Christo misereretur. Illustris & ille locus è Catena Regia, in Ezech. 5. 13. καὶ συντελεσθήσεται ὁ θυμός μου· τοῦτο δηλοῖ ὅτι πέρας ἕξει ὁ θυμὸς τοῦ θεοῦ, ὁμοῦ τῇ συντελείᾳ τοῦ κόσμου· & hic ex Homil. 4. in eundem Prophetam: *Talis est justus: vidit mundum ante diluvium, hoc est, ante consummationem: vidit mundum in diluvio, in corruptione, & in interitu peccatorum, quæ in die sunt eventura judicii: rursum videbit mundum in resurrectione omnium peccatorum:* & ille quoque ex Homil. 10. se- C quente: *Ajunt Ebræi Sodomam in eundem statum restituendam, in quo & antea constitit, ut rursum Paradiso Dei & terræ Ægypti compararetur. Si hoc se sic habet, & sive futurum est, sive non; quærentur enim istiusmodi res apud eos qui doctissimi sunt: ut autem fiat quod dicitur, complebuntur mihi annorum tria millia, & tunc restituetur. Excruciatur tribus millibus annorum Sodoma, id est anima mea: Sodoma meis pœna peccatis. Grande intervallum temporis inter restitutionem & ruinam positum est.* Animæ postmodum noxiæ figuram esse ait Samariam, quæ non alias restituenda sit, quam cum decem tribus fuerint reversæ: tum ait: *Si autem tanto post tempore restituetur id quod præcessit in signum, quando tu restitueris, si tamen restitueris, Samaritana & Hæretica anima, quæ simulacris & feriis non veris, ac figmentis de Hieroboam corde venientibus credidisti?* Ejusmodi nonnulla in sequentibus videre est, quibus doctrina eadem inculcatur. Sed in Ada- D mantii tamen gratiam notetur istud, *Si tamen restitueris*, quo incertus ejus & fluctuans animus proditur: si modo Origenianum re ipsa hoc est, non Rufinianum. Illustrius etiam istud

Psal. 109. 1, 2. è libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. in quo probat hoc Scripturæ testimonio: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & illo 1. Cor. 15. 24, 25. *Deinde finis, cum tradiderit Deo & Patri: quum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, cum sequentibus; & isto Psalm. 61. 2. *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum:* his, inquam, Scripturæ testimonus futurum probat, ut subactis Christi inimicis in unum finem per Filium, bonitas Dei creaturam revocet universam: subjectionem autem illam idipsum esse vult, quo Christo adhærescentes efficiamur sancti, & salutem adipiscimur; E talem autem futurum finem, qualia fuerunt initia, cum omnes Dei nutibus obtemperantes in unum conspirabant. In sequentibus deinde omnia in unum reparanda esse demonstrat

Ioh. 17. 21, 22, 23. ex hoc Christi: *Ut omnes unum sint sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum:* & illo Pauli Ephes. 4. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:* nec Dæmones quidem ipsos restitutionis hujus beneficio carituros esse putat. Quærit ad hæc Tom. 11. in Matth. pag. 207. quomodo diversa erit in resurrectione hominum claritas, juxta Apostolum 1. Cor. 15. 41. cum dixerit Servator: *Justi fulgebunt sicut Sol*, Matth. 13. 43. tum respondet in ipso beatitudinis initio, futurum ut diversa sit hominum claritas, F nondum omnibus expurgatis; ac postquam collecta fuerint è regno Christi scandala, & igne absumtæ nequitiæ, tunc omnes unum solare lumen futuros. Non satis vero cohærere videtur quod sequitur; scribit enim fore ut Justi tunc inferioribus fulgeant, qui lucis eorum participes fient, quemadmodum Sol terræ lucem suam præbet. Nam si ita omnium expurgata tunc erunt peccata, ut nullo claritatis discrimine fulgeant, quinam inferiores erunt, quinam superiores? Nempe neminis beatitatem ut jam supra monui usque adeo propriam esse putat, ut non novis delictis ad inferiora semper delabi possit: ad ima igitur retrocedentibus semper aliquibus, qui locum suum tenuerint, lumen iis suum impartientur. Ejusdem & istud est farinæ è Tom. 15. in Matth. pag. 397. ἀλλὰ κ᾽ μὴν ταῦτα θρώτης ἀποδεδώκαμεν τὰς σωθησομένας, ἐχάτας δὲ τὰς μὴ ἀξίας τῆς τοιαύτης τῶν σωθησομένων τάξεως. καὶ κολάσεως,

A κολάσεως, καὶ τῶ εἰς καταλῆψιν ἥκειν, ἤτοι ἕως τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ, ἢ ἕως ἐκπλυρώσωσι τὰ περὶ τὸ ἴδιον ἁμαρτήματων. & istud è Tractat. 33. in Matth. *Iste autem qui unum acceperat talentum, & absconderat ipsum in terra, non solum quasi malus & piger arguitur, sed quasi inutilis mittitur in tenebras exteriores, ubi nulla illuminatio est, forsitan nec corporalis, nec est respectio Dei illic; sed quasi indigni speculatione Dei qui talia peccaverunt, condemnantur in his quæ exteriores tenebræ appellantur: forsitan donec intellexerint, ut convertantur, & digni efficiantur exire ab iis, forsitan & propter aliam causam quam nos ignoramus:* & hoc quoque quod scribitur lib. 8. contr. Cels. sub easdem leges concludendum aliquando quidquid est rationis particeps, cum verbo Dei in perfectum statum restituetur. In cujus argumentum affert illud Sophoniæ 3. 9. *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.*

B XVII. Perspicuum hinc est non alias admisisse pœnas Origenem, quam piaculares & temporarias; cujusmodi sunt Purgatoriæ illæ, quas Ecclesia Catholica agnoscit. Sed & manifestius illud est ex eo quod habetur Homil. 8. in Levit. ubi agens de puerpera, juxta Veteris Legis præscriptum, per septem dies immunda, si masculum peperisset; per quatuordecim, si fœminam, septimanam hanc præsentis vitæ tempus esse dicit, per quod usquequaque mundi esse non possumus, nisi octavus venerit dies, futuri nempe sæculi tempus: *In quo tamen die*, inquit, *si masculus est & viriliter egerit, statim in ipso adventu futuri sæculi purgatur, & statim munda efficitur mater, quæ genuit eum: purgatam namque vitiis carnem ex resurrectione recipiet. Si vero nihil habuerit virile adversum peccatum, sed remissus & effeminatus fuit in actibus suis, cujus peccatum tale est, quod non remittatur, neque in præsenti sæculo, neque in futuro; iste transit & unam & aliam septimanam in immunditia sua, & tertia demum incipiente oboriri septimana, purgatur ab immunditia, quam fœminam pariendo contraxit.* Ejusdem generis est istud ex Homil. 14. in Luc. *Sicut scriptum est in Lege; si masculum peperit mater, septem diebus mater sedebit in sanguine immundo, ac deinde triginta tribus in sanguine puro; & ad extremum & ipse infans sedebit in sanguine purissimo: sic quia Lex spiritualis est, & umbram habet futurorum bonorum, possumus intelligere purgationem veram nobis evenire post tempus. Ego puto quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante; nemo enim absque sordibus resurgere poterit, nec ullam posse animam reperiri quæ universis statim vitiis careat.* Erroris notam merito his inurit Bellarminus libr. 2. de Purgatorio, cap. 9. quod ex Scripturæ effato post resurrectionem & judicium nulla superstit emendationis spes. At ea mendosa esse, & vitio librariorum corru-

D pta putat Suarez Tom. 4. in 3. S. Thom. q. 46. sect. 4. quoniam illis ex adverso repugnant quæ præcedunt in eadem Homilia, nefas esse cogitare futurum ut sordidi & polluti resurgamus. Sed tantam esse tamen in multis hæsitationem Origenis deprehendimus, ut novum mihi non sit eadem Homilia diversa eum & pugnantia prodidisse. Prædicantur etiam apertissime piaculares pœnæ Homil. 16. in Jerem. cum superstructa animæ aurum, argentum, ligna, fœnum, & stipulam igne probanda esse dicit; deinde ait: τί ἐν πρῶτον ἀκολουθεῖ δόπολαβεῖν ὅτι τὰ ξύλα, σῦλον ὅτι τὸ πῦρ τὸ ἀναλίσκον τὰ ξύλα, ᾧ ἡ χόρτος, καὶ πῶν καλάμιον· & postea, quoniam scriptum est Jerem. 16. 18. *Et reddam primum duplices iniquitates eorum:* ἀναπαίως, inquit, φρόσκειται τὸ πρῶτον. πρῶτον γὰρ τὰ τῆ ἀδικίας, εἶτα τὰ τῆ δικαιοσύνης ἀποδίδωσι. Quin etiam lib. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 11. animam per peccatum ordinem suum deserere ait, & à compage cui à Deo

E fuerit innexa divelli; & adhibito igne *sine dubio ad firmiorem sui compagem, instaurationemque solidari*: nec multo post: *Quomodo autem & à pœna quæ per ignem inferri dicitur, pro adjutorio intelligitur adhiberi, Esaias docet, qui de Israël quidem sic dicit: Habes carbones ignis, sede super eos, hi erunt tibi adjutorio. Et in aliis dicit: Sanctificabit Dominus in igne ardenti: & in Malachia Propheta dicit: Sedens conflabit & purgabit, & fundet purgatos filios Iuda.* Item lib. 8. in Epist. ad Rom. *Verum*, inquit, *hæc ipsa purgatio quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantis ve sæculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest ille, cui Pater omne judicium tradidit.* Denique libr. 4. contr. Cels. pœnas futuræ vitæ dicit esse ἀναγκαίας τῷ παντὶ, τάχα δὲ καὶ τοῖς πεισομένοις αὐτὰς ὠφελίμους.

XVIII. Quoniam autem Paulinum illud sæpe testimonium usurpat, quod est 1. Cor. 15. 26.

F *Novissima autem inimica destruetur mors*, minime silentio premenda videtur allata ab eo loci hujus expositio. Mortem itaque Diabolum significare existimat, quem ita destructum iri putat, quatenus impia ejus & à Deo aversa voluntas expugnabitur. Demus ipsa verba è lib. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. *Propterea etiam novissimus inimicus, id est Diabolus, qui mors appellatur, destrui dicitur, ut neque ultra triste sit aliquid, ubi mors non est, neque adversum sit, ubi non est inimicus. Destrui sane novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia ejus, quæ à Deo facta est, pereat; sed ut propositum, & voluntas inimica, quæ non à Deo, sed ab ipso processit, intereat:* & ista ex Homil. 8. in Josue: *De Diabolo autem dicens ait? Novissimus inimicus destruetur mors, quia vere tunc vincetur mors, cum mortale hoc absorbebitur à vita.* Certe Ebr. 2. 14 mortis quidem imperium Diabolus habere dicitur: at à morte tamen distinguitur: *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est Diabolum.* Quod exponens Origenes Tom. 13. in

Matth. pag. 314. κράτ῾ος θανάτε, inquit, νομιστέον ἔχειν τ῾ ἀγγέλου, ἐ῾ τ῾ μέσε καὶ ἀδιαφόρε, καθ' ὃν δύνανται σκευὴν οἱ σωθέντες ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, χωριζομένης αὖτ῾ τ῾ ψυχῆς ἀπὸ τ῾ σώματος, ἀλλὰ τ῾ ἐναντίε καὶ ἐχθρε τ῾ ἑωτόντος, ἐγώ εἰμι ἡ ζωὴ, καθ' ὃν ψυχὴ ἁμαρτάνεσα, αὕτη ἀποθανεῖται. A

Cum ait aversam à Deo Diaboli voluntatem olim fere conterendam, satis significat se ne Dæmones quidem ab æterna felicitate excludere. Sed clarius etiam id evincitur ex dogmatum ipsius sequela, & ex hoc loco è libr. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 6. quem & supra jam adduximus, & hic quoque repetemus: *Iam verò si aliqui ex his ordinibus qui sub principatu Diaboli agunt, ac malitiæ ejus obtemperant, poterunt aliquando in futuris sæculis converti ad bonitatem, pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrii: an verò permanens & inveterata malitia velut in naturam quandam ex consuetudine convertatur, etiam tu qui legis probato, si omnimode neque in his quæ videntur temporalibus sæculis, neque in his quæ non videntur, & æterna sunt, penitus pars ista ab illa etiam finali unitate, atq; convenientia discrepabit.* Jacet eadem sententia in istis è Corderiana Catena in Johannem, ad Joh. 12. 31. τὸ ἐν τῷ σαρκὶ πάθημα αὐτὸ κείσις ἦν τ῾ κόσμε τύτε παντός. ἐπείπερ εἰρίζωσοποίησας ἀγγ῾ τ῾ αἵματος τ῾ σαρκὸς ἑαυτέ, εἴτε τὰ ἐπὶ γῆς, εἴτε τὰ ἐν ἐρανοῖς, μὴ δεομβεύσεως ἐν τῷ ξύλῳ, ἃς ἐπεκδύσατο ἀρχὰς καὶ ἐξεσίας, δεικνὺς ἐν τοῖς ἐπερανίοις, δύναδις ἃς πάντως ἐπὶ τὸ ἐκάσῳ ἁρμόζον καὶ πρέπον τέλος. B

XIX. Cæterum non pœnarum duntaxat, sed felicitatis etiam tempus certis circumscriptum terminis esse voluit, animasque ad perfectionis culmen evectas, & peccati ac corporeæ molis sordibus expurgatas, statim atque à virtute in vitium deflexerint, in crassioris corporis carcerem compingi. Verba Origenis è libr. 2. de princip. affert Justinianus, quibus corpora interitura dicuntur, cum Deo subjecta fuerint omnia, τ῾ τ῾ σωμάτων φύσεως ἐπισκευαζομένης δεύτερον, ἐὰν πάλιν λογικὰ ὑποπέσῃ. *Quum iterum reparanda sit corporum natura, si rursum rationalia descendant.* Affert & alia ex quarto libro, quibus comporum naturam per intervalla existere docet, διά τινα συμπτώματα γινόμενα περὶ τὰ λογικὰ, διέμενα σωμάτων· καὶ πάλιν τ῾ ἐπανορθώσεως τελειωθείσης γινομένης εἰς τὸ μὴ εἶναι ἀναλύεσθαι ταῦτα, ὡς ἐτύτε ἀεὶ γίνεσθαι· *Propter quosdam lapsus rebus ratione pollentibus contingentes, quæ corporibus indigent: & rursum facta emendatione perfecta, dissolvi illa in nihilum, adeo ut id semper fiat.* Affert & ista è libr. 1. Hieronymus Epist. 59. ad Avit. c. 1. *In fine atque consummatione mundi ..... cum omnes* (animæ) *liberum habeant arbitrium, & sponte sua vel virtutes possint capere, vel vitia, illæ multo pejori in conditione erunt, quam nunc sunt; hæ ad meliorem statum pervenient: quia diversi motus, & variæ voluntates in utramque partem diversum accipient statum, id est ut Angeli, homines, vel Dæmones, & rursum ex his homines, vel Angeli fiant:* & illa è libr. 3. c. 3. *Nec dubium est quin post quædam intervalla temporum rursus materia subsistat, & corpora fiant, & mundi diversitas construatur, propter varias voluntates rationabilium creaturarum, quæ post perfectam beatitudinem usque ad finem omnium rerum paulatim ad inferiora dilapsæ tantam malitiam receperunt, ut in contrarium verterentur, dum nolunt servare principium, & incorruptam beatitudinem possidere.* Quibus & hæc adjungenda è libro eodem, c. 1. *Ex quo opinamur, quoniam quidem (ut frequenter diximus) immortalis est anima & æterna, quod in multis & sine fine spatiis per immensa & diversa sæcula possibile est ut à summo bono ad infima mala descendat, & ab ultimis malis ad summa bona reparetur.* C D

XX. Quod si quis dogmatum istorum requirat Originem, sciat ille præter quædam Scripturæ testimonia, quæ mox à nobis commemorata sunt, Adamantium quoque in errorem induxisse male interpretatum illud, quod extat Isaiæ 24, 22. *Et claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur*; & hoc Johann. 10, 16. *Fiet unum ovile, & unus pastor*, quod ipse in dogmatis sui fulcimentum usurpat in fine Homil. 6. in Num. Item illud è Parabola, quam proponit Christus Matth. 18. 13. cum servum nequam iratus Dominus jussit tortoribus tradi, quoad debitum integrum refunderet. Unde Origenes Homil. 35. in Luc. *Quæ est lex carceris istius?* (Inferni) *Non egredior ex eo, neque me exactor patitur exire, nisi debitum omne persolvero.* Fraudi ei fuit perperam acceptum & istud Apostoli Rom. 11, 25. 26. *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret: Et sic omnis Israel salvus fieret.* Piaculares autem, quas dixi, & purgatorias pœnas his defendit verbis ex 1. Cor. 3. 12. in quibus uniuscujusque opus igne examinatum iri Paulus affirmat. Aliis quibusdam opinionis hujus propugnaculis uti solere Origenistas tradit Hieronymus ad calcem Commentariorum in Isaiam; hoc nimirum Pauli Rom. 11, 32. *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur*: & illo Mich. 7, 9. *Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei: donec justificet causam meam, & auferat judicium meum, & educat me in lucem*: & hoc etiam Isaiæ 12, 1. *Benedicam te, Domine, quoniam iratus es mihi. Avertisti faciem tuam à me, & misertus es mei*: nec non & isto Oseæ. 14, 5. *Cum ira furoris mei transierit, rursum sanabo*: atque itidem illo Ps. 30, 20. *Quam grandis multitudo bonitatis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* E F

Verum non sacris duntaxat Auctoribus, sed profanis etiam regendum sese videtur Origenes tradidisse: Platoni inprimis, qui in Phædone Socratem inducit ita differentem: hominum qui sese terrenis cupiditatibus dediderint, animas circa sepulchra vagantes pendere

A dere pœnas, quoad rursus corporibus alligentur. Docet ibidem Socrates, mortuos ab eo Dæmone, qui viventibus ipsis obtigerat, deduci ad Inferos, & post longa deinde temporis spatia ab alio duce revocari. Ait postmodum ad Acherusiadem paludem convenire multas mortuorum animas, quæ post breviores vel diuturniores temporum ambitus, rursum ad animalium generationem emittantur; sanabilibus modo noxis inquinatæ sint: quæ vero διάφορα crimina admiserint, detrudi in Tartarum, unde nulla spes exeundi supersit. Repetit idipsum in Gorgia, pœnasque temporarias levioribus culpis, insanabilibus vero æternas, & fine carituras decernit. Idem libr. 10. de Republ. ex Heri cujusdam Armenii persona animas narrat ex cœlo sub terras, ac vicissim, ultro citroque remeare; quæ cœlo fruuntur, deliciis illic & gaudio perfundi; quæ sub terris agitant, illic χιλιετῆ περίοδον capessere, ac inde tan-
B dem exire. Et in Timæo, animam quæ recte hic se gesserit, syderis in numerum referri asserit, quæ male, in muliebre corpus demitti; utrique vero post mille annorum curriculum novæ vitæ optionem dari; & quæ novis sese contaminarit vitiis, in pecudum corpora relegatum iri; neque malorum finem ante habituram, quam adhærescentes sibi ex elementorum colluvie sordes ratione depulerit. Quæ in libro de universitate à Tullio Latine reddita, & ab Alcinoo cap. 16. repetita extant.

Postremo nimium obterendæ Valentinianæ hæreseos desiderium Origeni errandi causam obtulit, nam cum illi damnari non posse crederent, qui essent spiritalis naturæ; servari, qui terrenæ; & inter hos Diabolum censerent, Angelos inter illos: Origenes in diversa abiens cespitavit, asserens Angelos damnari posse, & aliquos re ipsa quandoque damnari; Diabolum
C servari posse, & revera servatum aliquando iri.

XXI. Minime ergo mirum est Platonis, Platonicorumque dictata audientem Adamantium, & Christianis eadem non satis caute proponentem, explosum à Patribus ac rejectum fuisse. Futuram illam Diaboli conversionem & salutem amare huic exprobrat Epiphanius in Epist. ad Johann. Hierosol. cap. 3. & in Synopsi Tomi 1. Panarii libr. 2. cap. 18. Exprobrat & Theophilus Paschal. 2. his verbis: *Talis pastor gregis morbidi Christum ubique suggillat injuriis, & Diabolum honore sustollit, dum illum asserit purgatum vitiis atque peccatis pristinam aliquando gloriam recepturum, & hunc regnare desistere, simulque cum Diabolo sub Patris imperio redigendum.* Hieronymus Epist. 59. ad Avit. c. 1. dixisse eum queritur; *Omnem creaturam secundum Apostolum vanitati esse subjectam, & liberari in revelationem filiorum Dei*: & in Epist. 61.
D ad Pammach. cap. 3. *Quod dicat & Diabolum & Dæmones acturos pœnitentiam aliquando, & cum Sanctis ultimo tempore regnaturos*: quod & fusius explicat c. 5. & in Epist. 65. ad Pammach. & Occan. c. 2. sensisse illum ait; *Post multa sæcula, atque unam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem, quod Diabolum; Paulum, quod Caipham; virgines, quod prostibulas*: & in Epist. 75. ad Vigilantium scribit veniam tunc hominibus condonandam existimasse Origenem, quando Diabolo condonabitur: & libr. 1. adv. Pelagianos, cap. 9. *Si autem*, inquit, *Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos?* & libr. 6. in Isaiæ 14, 20. *Ubi sunt ergo qui dant Diabolo pœnitentiam, & dicunt illum posse mundari?* & libr. 8. in Isaiæ c. 27. *Qui dicunt Diabolum acturum pœnitentiam, & veniam consecuturum, interpretentur nobis quomodo hoc accipiant, quod scriptum est: Et interficiet draconem qui est in mari*: & libr.
E 1. in Dan. 3, 96. *Quidam pessime ad Diabolum referunt, quod in consummatione & fine mundi etiam ipse recipiat notitiam Dei, & omnes ad pœnitentiam cohortetur.* Acerrime vero in Jonæ 3, 6. adversus doctrinam hanc invehitur: *Alioquin*, inquit, *si omnes rationabiles creaturæ æquales sunt, & vel ex virtutibus, vel ex vitiis sponte propria aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur, & longo post circuitu atque infinitis sæculis, omnium rerum restitutio fiet, & una dignitas militantium; quæ distantia erit inter virginem & prostibulum? quæ differentia erit inter matrem Domini, & (quod dictu quoque scelus est) victimas libidinum publicarum? idemne erit Gabriel, & Diabolus? idemne Apostoli, & Dæmones? idemne Prophetæ, & Pseudoprophetæ? idem Martyres, & persecutores? Finge quælibet, annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere cruciatibus: si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus quod aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* Aliis hujusmodi plerisque referendis supersedeo. Miror itaque quid in mentem venerit
F Halloxio, cur negaret Epiphanium, Theophilum, & Hieronymum quicquam de ea re prodidisse. Cum cætera autem Origenis commenta defendi posse dicat Augustinus, istud frustra ab ejus defensoribus excusari fatetur: *Quis enim Catholicus Christianus* (verba sunt Augustini) *vel doctus, vel indoctus non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum, id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus, & sacrilegiis, atque impietatibus, quamlibet maximis finierunt: ipsum etiam postremo Diabolum atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos, regno Dei, lucique restitui; & rursus post longissima tempora omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi & reverti, & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationabiles creaturæ semper fuisse, semper fore? De qua vanissima impietate adversus Philosophos, à quibus ista didicit Origenes, in lib. de Civitate Dei diligentissime disputavi.* Libro, opinor, se-

Hallox. l. 4. Orig. def. quæst. 5. Augustin. Hær. 43. ad Quod. vult.

cundo, capit. 17, & 23. ubi dogma idem excutit, & ejus causſa merito reprobatum ab Eccleſia Origenem fuiſſe narrat; ut & libro de geſtis Pelagii, cap. 3. Adi & librum ipſius contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas, cap. 5, & 6. & libro huic præfixum Oroſii Commonitorium ad Auguſtinum. Suggillat eundem ipſa hac de cauſſa Auctor libri de communi eſſentia libr. 3. cap. 6. & Auctor Dialogorum qui Cæſario Gregorii Nazianzeni fratri aſſignantur, quamvis Maximi, qui Cæſario recentior fuit, fragmentum exhibeant. Inter Anathematiſmos Juſtiniani Epiſtolæ ad Menam ſubnexos, poſtremus ille eſt: εἴ τις λέγει ἢ ἔχει φρόνημα, καιρὸν εἶναι ἢ τῶν δαιμόνων καὶ ἀσεβῶν ἀνθρώπων κόλασιν, καὶ τέλος κατά τινα χρόνον αὐτοὺς ἔχειν, ἢ ἵλεων ἀποκατάστασιν γνήσιος δαιμόνων, ἢ ἀσεβῶν ἀνθρώπων, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis dicit aut ſentit temporariam eſſe Dæmonum vel impiorum hominum punitionem, finemque aliquo tempore hanc habituram, nimirum reſtitutionem futuram Dæmonum, vel impiorum hominum, Anathema ſit.* Et in hac ipſa quoque Epiſtola, quemadmodum & in altera ad Synodum Quintam, eundem errorem notat, & ad calcem loca nonnulla Origenis eo pertinentia adducit. Quin etiam Synodus Quinta hanc hæreſin decreto ſuo jugulavit; ſi quid Cedreno, & Photio in libello de Synodis, & Anonymo Auctori libri de Conciliis Oecumenicis, & Nicephoro credimus. Quid appellem Gregorium Magnum, qui libr. 34. Moral. cap. 19. & libr. 3. Expoſit. in 1. Reg. cap. 2. hoc Origeniſtarum deliramentum prolixe arguit: quid Maximum, qui in Scholiis ad Dionyſii librum de cœleſti Hierarch. cap. 6. verba hæc Origenis è libr. 1. περὶ ἀρχῶν recitat: μὴ ὃ τὸ ἐπὶ πᾶσι τέλος πάλιν ἀπόρρευσις καὶ κατάπλωσις γένηται· quid Theophanem Cerameum, qui Homil. 2. hæc diſſerit: τὸ μέχρι ἕως ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον, ὃ χρονικὴν σημασίαν δηλοῖ, μὴ ἢ μυθώδη ὠφελησάσας ἀποκατάστασιν, ἀλλὰ τὸ ἀείσεον καὶ ἀτελεύτητον ἢ κολάσεως· *Hoc certe: Donec perſolverit omne debitum, non temporarium quid ſignificat, juxta fabuloſam Origenis reſtitutionem, ſed pœnas ſine carentes*: quid Betam qui l. 1. Expoſitionis in Prov. quæ Hieronymo falſo tribuitur, ad c. 2, 19. & lib. 2. ad c. 11, 7. & in Retractatione in Acta Apoſt. ad c. 3. hanc reprehendit doctrinam, eamque ait Origenianos hoc Iſaiæ teſtimonio defendere: *Et claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*: quid Stephanum Gobarum, qui in quæſtionibus in utramque excuſſis partem, quæ fere Adamantii placitis conſtant, ſic habet: ὅτι οἱ ἐν τῇ κολάσει καθαιρόμενοι τῆς ἁμαρτωλῶν καθαίρου ἢ κακίας οὐ αὐτῇ, καὶ μὴ ἢ κάθαρσιν ἀπολύου ἢ κολάσεως. καίτοι ὑ πάντες οἱ καθαιρόθέντες τῇ κολάσει καθαίρου καὶ ἀπολύου, ἀλλά τινες, καὶ ὅτι, ὅπερ ἔστιν ἀληθὲς ἢ ἐκκλησίας φρόνημα, οὐδεὶς ἀπολύε ἢ κολάσεως· *Peccatores pœnis traditos à nequitia expurgari in ipſis; & poſt expurgationem pœnis ſolvi. Nec purgari tamen & abſolvi omnes qui ſuppliciis addicti ſunt, ſed nonnullos. Et neminem ſupplicio liberari, quæ vera eſt Eccleſiæ ſententia*: quid Nicetam Acominatum, qui libr. 4. Theſauri Orthod. fid. Hær. 31. Origenem male ſenſiſſe prædicat de pœnarum ac præmiorum perennitate, futurumque dixiſſe, ut extinguatur quidem ignis, ſordibus abſumtis; vermis autem ſine fine permaneat: quid denique Gennadium, Leontium, Johannem Scholaſticum, cognomento Climacum, Anonymum Photii toties jam in partes vocatum, Sophronium, Theophylactum, Freculphum Lexovienſem, Anaſtaſium Bibliothecarium, Cedrenum, Zonaram, Glycam, Conſtantinum Harmenopulum, Nicephorum, Vincentium Bellovacenſem, & Guidonem Carmelitam, eandem hæreſin inſectantes?

Dial. 3. Reſp. 140.

Isa. 24, 22.

Gennad. de dogm. c. 9.
Leont. Sch. Act. 10.
Joh. Clim. Scal. Par. cap. 5.
Anonym. Phot. Cod. 117.

XXII. His prætermiſſis in Johanne Damaſceno finem facio, qui in libro de Hæreſibus Origeniſtas cenſere ait, *Chriſti regnum tandem aliquando deſiturum, & ſimul Angelos deſituros*, nempe cum omnia unum cum Deo fient: & libr. 2. de fide orthod. cap. 1. Origenianam hanc in integrum reſtitutionem arguit, quam poſt mille annorum ſpatium futuram credidiſſe Adamantium aſſerit. Gobarus quoque Tritheita inter diſputatas quæſtiones hanc etiam poſuit: ὅτι πρότερον οἱ δίκαιοι ἀναστήσου, καὶ σὺν αὐτοῖς πάντα τὰ ζῶα, καὶ ἐπὶ χίλια ἔτη τρυφήσει, καὶ ἐσθίοντες, καὶ πεινῶντες, καὶ μὴ τοῦτο ἢ καθολικὴ ἐπισήσει ἀνάστασις. *Juſtos primum reſurrecturos, & cum ipſis omnia animalia, & per mille annos deliciis fruituros, & edentes, & bibentes, & gignentes, poſteaque futuram univerſalem reſurrectionem.* Si in hac fuit Origenes ſententia, illam Platonis χιλιετῆ πορείαν, quam diximus, in Chriſtianam fidem transferre conatus fuerit; atque ita Chiliaſta dici poſſit. Quamquam alia fuit Chiliaſtarum proprie dictorum hæreſis, à Cerintho, vel ut alii à Papia Hierapolitano Epiſcopo orta. Auctor quippe eſt Euſebius libr. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. ultimo, Papiam illum, mediocri ut erat præditus ingenio, parum acute intellectis Apoſtolorum ſcriptis (vigeſimo nempe Apocalypſeos capite) regnum Chriſti poſt reſurrectionem per mille annos inter ſummas corporum voluptates in terris perſeveraturum putaſſe, ac ipſius deinde auctoritatem idem Irenæo perſuaſiſſe. Sectam quoque illam perſecuti ſunt alii eruditione nobiles viri, Tertullianus, Victorinus Petabionenſis, & Lactantius, donec in apertam erupit hæreſin, in Apollinario damnatam à Damaſo Papa. Attamen vix ſibi perſuadere poteſt Epiphanius aſſertorem fuiſſe Apollinarium dogmatis hujusmodi: cujus nec affinem fuiſſe Origenem perſpicuum eſt ex his verbis Tom. 17. in Matth. pag. 298. καὶ ὥσπερ πλανῶν οἱ δόξῃ τὸ μὴ προσλογεῖν τὰ προφητικὰ ὀνόμα-

Sophron. in Ep. ad Serg. Act. 11. Syn. 6. Theoph. in Matth. 3. & 25. & Marc. 8. Anaſt. hiſt. An. Mundi 5715. Cedren. in Comp. Hiſt. Zonar. l. 2. Glyc. Ann. par. 3. & 4 Harmen. De Sectis. Niceph. lib. 17. c. 27. Vinc. Bell. Spec. doctr. l. 18. c. 43. Guid. in Hær. Orig. Gob. apud Phot. Cod. 232.

A νοι μέλλειν ἡμᾶς μὴ ἢ ἀνάστασιν ἐδίειν καὶ πίνειν σωματικὰ βρώματα, ἐπεὶ αἱ λέξεις τῶν γραφῶν τοιαῦτα φέρουσιν. ὕτως γὰρ φασὶ γέγραμμένα, καὶ ἄνδρων, καὶ γυναικῶν τηρούντες ὅτι τὸ ῥητὸν, καὶ διόλλυσι σωκράτης ἡμᾶς καὶ ὅτε χρήσεται, οἱ δὲ ἐδὲ σχολάζειν δεῖ τῇ προσευχῇ δυνατόν. ἐν μολυσμῷ πως ὄντων ἀκαθαρσίᾳ τινὶ τῶν γραμμένων ἀφροδισίοις. Adversus eandem hæresin pari modo excandescit libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 12. & Prologo in Cantic. *Simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere quæ sint quæ in Scripturis divinis interiori homini, quæ vero exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudinibus falsi ad ineptas quasdam fabulas & figmenta inania se contulerunt, ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumq; sumendum non solum ex illa vite vera & vivente in sæcula, verum & ex his vitibus ligni.* Ea præterea de resurrectione, deque pœnis Damnatorum opinatus est, quæ Chilionetitarum væsaniæ ex adverso repugnant. Inde Hieronymus in
B Præfat. libr. 18. Commentar. in Isaiam, quæ est ad Eustochium, adversus Millenarios disputans, errorem illorum eorum errori qui resurrectionem tollunt contrarium & oppositum esse agnoscit: & Justinianus in Epistola ad Quintam Synodum quam exhibet Cedrenus, doctrinam Pythagoræ & Platonis, hujusque adeo verba super his mille annorum periodis exponens, eam Origeni nusquam tribuit.

XXIII. Quamvis autem manifestum erroris teneamus Origenem in quæstione de pœnarum & beatitatis perennitate; multa tamen in ejus defensionem adduci possunt, cum ex ejus depromta scriptis, tum apud laudatos Scriptores conquisita. Quæ priusquam attingamus, dignum illud animadversione est quod commemorat Auctor Prædestinati, quem edidit Jacobus Sirmondus, Hær. 43. Ampullianum quendam Hæreticum Bithynum in eam in-
C currisse hæresin, *ut diceret omnes criminosos cum Diabolo & Dæmonibus eo usque in gehenna decoqui, usquequo puri redditi possint inde mundi & immaculati egredi*: quapropter cum universam Ecclesiam adversum se commovisset, vitiatos à se libros Origenis, & eos præcipue qui sunt περὶ ἀρχῶν in sententiæ suæ præsidium protulisse. Addit deinde libelli Auctor: *Sed qui sani sensus est, & habet splendidos oculos, sic videt addita in Origenis opusculis mala ista, atque cognoscit, sicut si in stragulo coccineo pannos albos, aut cujusque alterius coloris cernat adsutos.* Nunc quæ pro seipse Adamantius suppeditat, colligamus. Primum Hom. 8. in Levit. esse ait peccata quædam, *quæ post hanc vitam nobiscum transeunt, & esse in ipsis quædam ita animabus infixa, ut nequeant aboleri.* Homilia 4. in Isaiam nesciri pronuntiat, quæ post mundum eventura sint: *Novissima*, inquit, *ut sunt, non valent enarrari. Quis annuntiat de novissimis? ait Scriptura. Quæ*
D *videmus (ut tamen concedamus quia aliqua videmus) media sunt: quæ ante mundum fuerint, ignoramus; fuerunt porro quædam ante mundum. Quæ post mundum secutura sunt, ad certum non apprehendimus: erunt autem alia post mundum.* Tum postea: *Ea quæ post extremum sæculum futura sunt in sæcula sæculorum, quis potest exponere? Garrulorum est hominum horum notitiam polliceri, nescientium quia homo ea tantum potest capere, quæ media sunt, & ea quæ post mundum usque ad consummationem in judicio sunt futura de pœnis, de retributione, & horum quoque multa absconsa sunt nobis, ut propter hoc quidem scriptum sit: Duabus velabant faciem.* Unde res eas pertractaturus lib. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. hac obtestatione Lectoris mentem occupat: *Quæ quidem à nobis etiam cum magno metu & cautela dicuntur; discutientibus magis & pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus. Indicatum namque à nobis in superioribus est, de quibus manifesto dogmate ter-*
E *minandum sit, quod & pro viribus nos fecisse puto cum determinate loqueremur. Nunc autem disputandi specie magis, quam definiendi, prout possumus, exercemur.* Atque hac admonitione præmunitam dissertationem altera hac excipit, initio capitis sequentis: *Hæc quidem, quæ superius disseruimus, in generali nobis sermone digesta sunt, per consequentiam magis intellecta, quam definito dogmate pertractata atq; discussa de rationabilibus naturis, secundum eum locum quem de Patre, & Filio, & Spiritu sancto pro nostris viribus exposuimus. Nunc ergo videamus quæ sint de quibus disserere in consequentibus convenit secundum dogma nostrum, id est secundum Ecclesiæ fidem.* Magis etiam fluctuat Tom. 28. in Joh. p. 351. quærens, an aliquando vinculis solvendus sit, nec ne, homo ille impudens, qui cum absque nuptiali veste ad convivium accessisset, mitti jussus est in tenebras exteriores, ligatis pedibusque manibusque: ὃ γὰρ ἐμφαίνει, inquit, τὸ περὶ τοῦ
F γαμοῦντα περὶ ἀπὸ τὸ δοκεῖ δέ μοι ἀσφαλὲς μὴ καταλαβόντα ὁτιποτοῦν, μᾶλλον τὸ μὴ γεγράφθαι περὶ ἀπὸ ἀποφαίνεσθαι. & libr. 8. in Epist. ad Rom. *Verum hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisq; sæculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest ille cui Pater omne judicium tradidit.*

Facit & illud pro Origene quod libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. legitur; cum enim tamdiu Deum dixisset futurum omnia in omnibus, quamdiu animæ absque ulla materiæ corporalis admixtione perseverassent, addit demum: *In quo statu etiam permanere semper & immutabiliter Creatoris voluntate est credendum, fidem rei faciente sententia Apostoli dicentis: Domum habemus non manufactam æternam in cælis.* Nisi hæc forte de suo Rufinus interpres attexuit. Et id subsidium quoque præstat Adamantio, quod scriptum est Tractat. 34. in Matth. *Nullus enim ignis inter homines est æternus; sed nec multi temporis; extinguitur enim cito. Æternus autem ignis est*

ille, de quo & Esaias dicit in fine Prophetiæ suæ: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non ex- A
tinguitur: & quod Homil. 35. in Luc. *Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille qui scribitur decem millia talenta debuisse, quanto tempore claudamur in carcere, donec reddamus debitum, non possum manifeste pronuntiare. Si enim qui parum debet, non egredietur nisi exolvat minutum quadrantem; utique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum debitum sæcula numerabuntur.* Quin etiam certam aliquando, & immutabilem felicitatem futuram concedit libr. 4. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. *Sed & comminationes positæ sunt his qui prævaricati fuerint Legem; nec non & his qui purificatione indigebant, diversa purificationum genera, velut qui frequentius essent polluendi, traduntur; ut per hæc tandem ad illam unam purificationem veniant, postquam pollui ultra non licet.*

XXIV. Uti possumus præterea ad tuendum aliqua ex parte Origenem testimonio quo- B
dam, quo damnatis quidem aditum ad beatitatem patefactum aliquando iri statuit, Diabolo autem penitus intercluſum. Habetur illud libr. 8. in Epist. ad Rom. ibique Luciferi casum à lapsu Israelitarum differre asseverat: *Illorum enim,* inquit, *vel in fine sæculi conversio erit, tunc cum plenitudo Gentium subintraverit, & omnis Israël salvus fiet: istius autem qui de cœlo cecidisse dicitur, nec in fine sæculi erit ulla conversio.* Inde est quod vehementer succenset in Epistola ad Amicos suos Alexandrinos jactatum fuisse in vulgus se dicere, *Patrem malitiæ ac perditionis, & eorum qui de regno Dei ejiciuntur, id est, Diabolum esse salvandum: quod,* inquit, *ne aliquis quidem mente motus & manifeste insaniens dicere potest.* Propterea Hieronymus Apolog. 2. in Rufin. cap. 5. palam eum hoc crimine exolvit, quod alias ipsi persæpe objicit: *Asserit Candidus,* inquit, *Diabolum pessimæ esse naturæ, & quæ salvari nunquam possit; contra hoc recte Origenes* C
respondit non eum perituræ esse substantiæ, sed voluntate propria corruisse, & posse salvari. Hoc Candidus vertit in calumniam, quasi Origenes dixerit Diaboli naturam esse salvandam. Quod ille falso objecerat, hic refutat.

XXV. Nempe rebus ab Ecclesia nondum hoc tempore definitis varia animo agitavit Origenes, quod & ab aliis subinde Patribus factum observamus. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone decrevisse videtur pœnas Damnatorũ per mortem animarum esse finiendas: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀποθνήσκειν φημὶ πάσας τὰς ψυχὰς ἐγώ· ἁμαίων γὰρ ἂν ὡς ἀληθῶς τοῖς πᾶσιν ἄλλα τί; τὰς μὲν γοῦν εὐσεβῶν ἐν κρείττονι ποι χώρῳ μένειν, τὰς δ' ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι, ἢ ᾗ κείσεως ἐνδεχομένας χρόνον τότε ἕτως αἱ μὲν ἄξιαι τὰ θεὸ φανεῖσαι, ὃν ἀποθνήσκουσιν ἔτι. αἱ δὲ κολάζονται ἕως τ' ἂν αὐτὰς καὶ εἰ καὶ κολάζεσθαι ὁ θεὸς θέλῃ. *Verum enim vero neque mori dico animas omnes: revera enim malis optandum* D
id & opportunum esset. Quid ergo? piorum quidem in meliori loco manere, iniquas autem & malas in pejori, judicii tempus expectantes. Atque ita quæ dignæ Deo apparuerint, non moriuntur amplius, illæ vero puniuntur, quamdiu eas & esse & puniri Deus voluerit. Eandem arripit doctrinam Irenæus libr. 2. cap. 64. ubi animas non secus ac alia Dei opera tamdiu superesse & perseverare asserit, *quoad usque ea Deus & esse & perseverare voluerit:* nec multo post; *Non enim ex nobis,* inquit, *neque ex nostra natura vita est, sed secundum gratiam Dei datur: & ideo qui servaverit datum vitæ, & gratias egerit ei qui præstitit, accipiet & in sæculum sæculi longitudinem dierum; qui autem abjecerit eam, & ingratus extiterit factori ob hoc quod factus est, & non cognoverit eum qui præstat, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia.* Arnobius animas tormentorum diuturnitate & fævitia consumtum iri & extinctum arbitratus est; atque hanc esse mortem æternam impiis E
hominibus tam sæpe in Scriptura intentatam: piorum vero & sanctorum hominum animas felici immortalitate ac vita æterna perfrui. Quamobrem animas humanas ancipitis esse, mediæque vitam inter & mortem ac ambiguæ naturæ libro secundo iterum iterumque repetit. Gregorius Nazianzenus Orat. 39. Hæreticos difficilem & diuturnum ignis Baptismum suscepturos minatur, nisi ab hæresi discedant, quo igne omnis malitia sic tanquam fœnum exurenda sit. Oratione vero sequenti dubitat, utrum sempiternæ Damnatorum pœnæ futuræ sint, an vero à Deo pro sua humanitate breviandæ. Narrat profecto Symeon Metaphrastes in vita S. Cyriaci cap. 10. cum à Cyrillo monacho quæreret Cyriacus, quænam præcipue dogmata tuerentur Nonnus, Leontius, aliique Novæ Lauræ Origenistæ, respondisse Cyrillum affirmare illos: *Dogmata de præexistentia, & restitutione in eundem statum esse media &* F
ab omni periculo aliena; dicentes illa eis ad hoc ferre testimonium, quæ alicubi in suis Apologeticis magnus Gregorius ita reliquit scripta: Mihi videtur res non vilis nec contemnenda, dare in tempore unicuique dimensum orationis, & dispensare in judicio veritatem nostrorum dogmatum, quæ de mundo, aut de mundis philosophamur, de materia, de anima, de intelligentia, & naturis intelligentibus, tam præstantioribus, quam deterioribus; de providentia quæ omnia colligat quæ videntur evenire ratione, & quæcunque præter rationem inferiorem & humanam: & quæ præterea de prima nostra constitutione, figurisque, & veritate, & testamentis, & Christi primo adventu, & secundo: in his enim & assequi est non inutile, & non assequi vacat periculo. Hoc Origenistis præsidium eripere conatur Aloysius Lipomanus Veronensis Episcopus; sed quidquid tamen afferat, videtur id sibi voluisse Gregorius has quæstiones nondum satis liquidas, nec per Ecclesiam fuisse circumscriptas. Quid hoc est autem, quod ibidem subjicit Cyriacus,

A riacus, existimasse Origenistas illos, *quod in pristinum statum resurrectione, poterunt quæcunq; sunt ratione prædita, ad Dæmones usque fabricari Æones, id est sæcula?* Nam Æones, aliaque Valentinianorum πεφαντάσματα Origenes satis aversabatur. Gregorius alter Origenianam sententiam absque ulla dubitatione amplectitur in Disputatione de anima & resurrectione, qua animas exemtas corporibus, & Dæmones quoque, omni olim deposita vitiositate Christum esse confessuros declarat: & alio Dissertationis ejusdem loco Deum ait non aliter esse posse omnia in omnibus, juxta Apostoli sententiam, quam evulsa funditus & extirpata omni nequitia. Alia deinde permulta huic adstruendo congerit, quæ vitandæ caussa prolixitatis prætereo. Catecheticæ præterea orationis capite 8. post hanc vitam curari à Deo pravos animi affectus affirmat, qui in hac vita sanari per virtutem non potuerunt: tum cap. 26. non
B homines duntaxat nequam, & impios, sed peccati etiam auctorem Diabolum à Filio Dei beneficio affectum docet, quem ita expurgari ait, quemadmodum aurum adhibito igne expurgatur, secreta & excocta sequiore materia; tandemque aliquando per longos temporum ambitus consumto quod naturæ inest omni malo, Damnatos in integrum iri restitutum, ut uno ore gratias creatæ res universæ Deo refundant. Aurum itidem in exemplum ascisit cap. 35. libri ejusdem, & ne futuræ quidem spe salutis eos intercludit, qui neque Baptismi, neque pœnitentiæ, nec ulla denique purgatione vitæ noxas eluerunt. Verum intercedit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui ut hujus opinionis labem à Gregorio Nysseno abstergeret, librum scripsit, cujus excerpta habet Photius Cod. 233. Hoc opere demonstrandum sibi proponit Germanus, ab eo errore alienum fuisse Gregorium; si
C qua vero in ejus scriptis illuc videntur pertinere, fuisse ab Origenistis intexta, vel certe depravata. Idipsum se inaudisse narrat Nicephorus libr. 11. cap. 19. Ne Ambrosius quidem ab Origene dissonat, cum Psalmum 118. exponens, reos suppliciis subjici censet, quia iis aliquando eximendi sunt; Diaboli vero pœnam differri, ut nunquam finiatur. Quo accedit Ambrosiaster in Epistol. ad Ephes. cap. 2. Ecclesiam docens, etsi sancta dicatur, hominibus tamen vitiosis constare, non perituris quidem, sed per ignem purgandis: & in cap. 3. prædicationem Ecclesiasticam ait Dæmonibus proficere, ut detrectato Diaboli imperio ad Deum convertantur. Caute quoque observandum est Hieronymum, qui tot Origeniano nomini contumelias inflixit, id fere in Origene super hac quæstione arguere, quod Diabolum pœnis liberandum esse asseruerit, quamvis contrarium fateatur alicubi,
D ut notavimus; de liberatione vero hominum siluisse ipsum. Itaque abnormia differit quædam, & à fide aliena libr. 1. adverss. Pelagian. cap. 9. pœnas tradens sempiternas destinari Diabolo, & hominibus impiis; at iniquis & peccatorum reis temporales solummodo. Impium autem ab iniquo ita distinguit: *Omnis impius iniquus est & peccator: nec reciprocatur ut possimus dicere, omnis peccator & iniquus etiam impius est: impietas enim proprie ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitionem transgressione mutarunt; peccatum autem & iniquitas pro qualitate vitiorum post peccati & iniquitatis vulnera recipit sanitatem.* Postmodum sententiam suam cum Origeniana ita componit: *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui & Diabolum & satellites ejus, omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo: & Christianos, si*
E *in peccatis præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Clara sunt & illa in quibus finem ponit Commentariis suis in Isaiam, dicens neutiquam evulgandum esse illud dogma, quod Damnatorum terminat pœnas, ne metu supplicii æterni ablato, magis sese licentia prorumpat. Demum sic definit: *Et sicut Diaboli, & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus aterna tormenta; sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur & mistam clementiæ sententiam judicis.* Hæc cum Commentariis quoque suis in Epistolam ad Ephesios aspersisset, reprehensus est à Rufino Invect. 1. & 2. hujus licet reprehensiones devitare conetur Hieronymus libr. 1. Apolog. adv. Rufin. cap. 6. Libro vero ejusdem Apologiæ secundo, cap. 1. hæc habet: *Quod autem imprecans fratribus, hoc est crimi-*
F *natoribus tuis, æternos ignes cum Diabolo, non tam fratres mihi videris premere, quam Diabolum sublevare, cum iisdem, quibus homines Christiani, ignibus puniendus sit:* quasi alio ignis genere Diabolus cruciandus sit, alio homines Christiani. Itaque Stanislaus Pannonius Anabaptista hunc Origenis propugnans errorem, in libro de divina philanthropia, Hieronymi auctoritatem non sine ratione usurpat, immeritoque à Sixto Senensi ob eam rem reprehenditur: nam quamvis nefariæ penitus & damnatæ doctrinæ defensionem susceperit Hæreticus ille, in eoque impudenter egisse fatendum sit; Hieronymi tamen patrocinium absque impostura & mendacio, quæ ipsi objicit Sixtus, sibi adsciscit. Proferantur enim licet sexcenta Hieronymi testimonia, quibus contrarium tradidit; unum inde illud efficitur, mutasse illum aliquando sententiam, nec unicæ semper opinationi adhæsisse. At par pari retulit Hieronymus, quo Rufinum remorderet, qui cum hæc ad Anastasium Papam

Sixt. Sen. lib. 6. Bibl. An. 290.

in

in Apologia fidei suæ scripsisset: *Si quis negat Diabolum æternis ignibus mancipandum, partem* A
cum ipso æterni ignis accipiat, ut sentiat quod negavit: in suspicionem tamen assertæ Diaboli salutis vocare tentavit Hieronymus Apolog. 2. cap. 1. eam à se licet suspicionem propulsare Rufinus Invectiva prima laborasset. Verum omisso hoc Rufini loco, quem non sine cavillatione in sequiorem trahi posse sensum putamus, aperte definit in Symbolo sempiternis quidem tormentis cruciandum esse Diabolum; sontes vero homines, temporariis & aliquando finiendis: nam quid aliud sibi velle potest, cum affirmat futurum ut peccatores *absque interitione sua debitas luant pœnas*? & justis quidem *perpetuitatem gloriæ, peccatoribus autem prolixitatem confusionis & pœnæ* Deus ministret? Recte quidem & ex Ecclesiæ præscripto de pœnarum perennitate disserunt Chrysostomus & Augustinus, sed uterque tamen peculiare illud habet, quod cruciatus Damnatorum, si minus finiri, at vivorum certe precibus & sa- B
crificiis mitigari putavit; hic in Enchiridio ad Laurentium, cap. 110. & 112. ille in 3. Homil. in Epist. ad Philipp. Prorsus vero Platonizat Synesius Epistol. 44. ad Johannem: Dæmones quippe ait expiandis sceleribus præfectos eandem in animas artem, quam fullones in sordidas vestes exercere: animarum ergo quarundam non magno labore abstergi maculas, pristinumque induci nitorem; aliis vero ita molitas esse sordes, ut nulla lotione, purgatione nulla mundari possint: cætera meri sunt Platonismi. Comparatio illa purgandæ animæ, cum panno sordido fullonis arte mundando, ut & aliæ à Patribus ad id explanandum argumentum cum igne & auro institutæ, profectæ videntur ex his Malachiæ 3. 2, 3. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, &* C
purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & ex illo Jeremiæ 2. 22. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Prius illud Malachiæ usurpavit Origenes libr. 6. contr. Cels. cum quæreret, quare vallis Ennon, quæ ipsa est Gehenna, & pœnarum locus, in eadem tribu, Benjamitica nimirum, in qua Hierusalem, censeretur; respondetque locum hunc pœnarum accipi pro cruciatibus purgatoriis, qui à cœlestis Hierosolymæ rege ac Domino animæ infliguntur, secundum verba è Malachia adducta. Subnectit demum mysteria hæc silentio obsignanda, ne homines nequam in vitium effrænes ruant, quippe qui ne pœnarum quidem æternarum, & fine carentium opinione ac metu à sceleribus abterreantur. Quod expressit Hieronymus in fine Comment. in Isaiam. Perspicuum est itaque sententiam hanc de terminandis aliquando Damnatorum suppliciis, Origenis ætate, multisque post annis, non- D
dum clara hæreseos & expressa nota fuisse infamatam, utpote quam nonnulli de cœtu Patrum, iique non infimi puncto suo comprobarint. Quocirca Facundus Hermianensis lib. 4. cap. 4. scribit, Domitianum Ancyranum, Origenianæ doctrinæ defensorem, in libello quem scripsit Vigilio Papæ, *conquerentem de his qui contradicebant dogmatibus Origenis, asserentis animas humanas ante corpora in quadam beata vita præextitisse, & omnes quæ fuerint æterno supplicio destinatæ, in pristinam beatitudinem cum Diabolo & Angelis ejus restitui, dicere etiam hæc: Prosiluerunt ad anathematizandos sanctissimos & gloriosissimos Doctores, sub occasione eorum quæ de præexistentia & restitutione mota sunt, dogmatum, sub specie quidem Origenis, omnes autem qui ante eum, & post eum fuerunt sanctos anathematizantes.*

Petrus Halloxius Origenianarum partium insignis patronus duobus fere modis objectum E
Hall. Orig. defens. lib. 4. quæst. 4. Adamantio crimen amoliri studet; nam vel eum conatur ostendere non dixisse quidem damnatos & Dæmones ad superiora regressuros, sed regredi tantum posse, idque certis quibusdam conditionibus, quæ cum neutiquam possint contingere, non aliter intelligendum Origenem, ac si omni penitus liberatione Diabolum, damnatosque homines privasset. Conditiones autem illæ sunt hujusmodi, posse Angelos & Beatos ad ima provolvi, si libertate utentes arbitrii à virtute deficiant; ac è contrario ad summa posse Damnatos & Dæmones pervenire, si gratia adjuti divina resipiscant: cum autem nullo prorsus modo futurum sit ut hi resipiscant, illi à virtute deficiant; hinc colligit Halloxius arbitratum fuisse Origenem nec à beatitate dilapsuros illos, nec hos pœnis iri liberatum. *Quare*, inquit, *quoties dicit Origenes, Dia-* F
bolum posse salvari, intelligendus est dicere ex parte naturæ, non ex parte malitiæ; sive quod natura ejus non sit repugnans saluti. Hoc enim tenebant Valentiniani. Quam levis sit hæc excusatio, satis, ni fallor, probatum est superioribus testimoniis, quæ non ὑποθετικῶς, sed absolute & simpliciter felicitatem Damnatis & Dæmonibus pollicentur. Plus habet roboris in specie Halloxii defensio altera, quæ in copiosa Origenianorum locorum congerie posita est, quibus æternæ Diabolo & Damnatis pœnæ, æterni ignes adscribuntur. Nam quod dixerat Origenes αἰώνιον, Interpretes Latine, *æternum*, reddiderunt. Tota ergo argumentationis vis in vocis illius, αἰώνιον, propria significatione posita est.

XXVI. Αἰὼν non simplici notione gaudet, nam modo finitum tempus, modo indefinitum, modo infinitum sonat. Hesychius: αἰών, ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου· ὁ τῆς ζωῆς χρόνος· ποτὲ δὲ καὶ ὅλη μακρὰ χρόνου τοῦ. Plures etiam Johannes Damascenus libr. 2. de fide orthod. cap. 1.

A cap. 1. vocis αἰὼν significationes proponit, quæ partim ad terminatum, partim ad interminatum temporis ſpatium pertinent. Ariſtoteles 1. de cœlo, factam putat vocem αἰὲν, ab ἀεὶ ὤν, quo æternitatis notatio continetur. Hanc originationem deinde uſurparunt Plotinus, Proclus, Etymologus, & alii. At eo tamen vocabulo utrumque tempus exprimi fateturibidem Ariſtoteles. Ab αἰὼν prodiit Latinum *ævum*, inſerto digamma Æolico; ut ab ὄϝις, *ovis*. *Ævum* igitur, ut αἰὼν, multiplicem habet vim, modo tempus ſine carens, modo terminatum deſignans. Prioris teſtes Servius in 6. Æneid. Cenſorinus cap. 16. & Iſidorus Originum libr. 5. cap. 38. *Ævum*, inquit, *eſt ætas perpetua, cujus neque initium, neque extremitas naſcitur, quod Græci αἰῶνα vocant, quod aliquando apud eos pro ſæculo, aliquando pro æterno ponitur. Unde & apud Latinos eſt derivatum.* Poſterioris ſignificationis teſtis Horatius Carmin.
B libr. 2. Od. 9. ubi ter ævo functum Neſtorem dicit, qui tres γενεὰς exceſſerat, hoc eſt 90. annos. Idem ævum pro tempore uſurpat Epiſt. 1. libr. 2. cum ait, veſtigia ruris in longum ævum manſiſſe. Sæpe pro ætate adhibetur, unde *longævus, grandævus, coævus.* Ab *ævo*, *ævitas*, & per contractionem *ætas*: cujus idem eſt intellectus ac *ævi*, nam modo tempus æternum, modo circumſcriptum ſignat. Ab *ævo* itidem *æviternus*, & per ſyncopen *æternus*: qua voce tempus etiam finitum aliquando exprimitur. Notabile illud Ciceronis libr. 3. de orat. *Nullum eſt enim genus rerum, quod aut avulſum à cæteris per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careant, vim ſuam atque æternitatem conſervare poſſint.* Errant multi, item docti, & etymologicæ artis principes, qui ab *æternus* factum putant *ſempiternus*. Repugnat modulus ſyllabæ ſecundæ, quæ corripitur. *Sempiternus* fit à *ſemper*; ut ab *heri*, *heſternus*; à *diu*, *diurnus*, auctore Priſciano.
C Quod ἀιὼν apud Græcos, *ævum* apud Latinos, idem apud Ebræos ſignificat עולם, *tempus*, *ſeculum*, *æternitas*: à radice עלם, quod eſt, *abſcondere*, *latere*: fortaſſe quod tempus res ſit vulgo ignorabilis; vel quod nobis parum liquido nota ſint præterita, futura vero penitus ignota; vel quod tempus tacite & occulte ſubrepat. Diceres ad hanc originem reſpexiſſe Horatium cum ſcripſit libr. 1. Od. 12.

Creſcit occulto, velut arbor, ævo
Fama Marcelli.

& Ovidium Metam. 10.

Labitur occulte, fallitque volatilis ætas.

Valet ad ſuperiorum confirmationem, quod habetur Deut. 15, 17. de homine qui ſe in volun-
D tariam & æternam ſervitutem mancipat: *Aſſumes ſubulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & ſerviet tibi uſque in æternum.* Ebr. והיה לך עבד עולם. LXX. καὶ ἔσται σοι οἰκέτης εἰς τὸν αἰῶνα. Cui ſimile illud Horatii:

Serviet æternum, quia parvo neſciit uti.

Utile etiam hoc Hieronymi in Ezech. cap. 26. verſ. ult. *Et ultra non eris in ſempiternum; ſive ut in Ebraico* עולם, *& in Græco* αἰὼν *ſcribitur, unum ſæculum ſignificat, juxta illud Eſaiæ, qui poſt ſeptuaginta annos dicit Tyrum reſtituendam in integrum ſtatum. Ajunt autem unum ſæculum, id eſt humanæ temporis ætatis ſeptuaginta annorum numero ſupputari, Pſalmiſta dicente: Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.* & iſtud in Gal. 1. *In Hebræo ſæculum, id eſt* עולם, *ubi* ו *literam poſitam habuerit, æternitatem ſignificat: ubi vero ſine* ו *ſcribitur, annum quinquageſimum, quem illi Iubilæum*
E *vocant.* αἰὼν vero non infinitum tempus, ſed indefinitum ſignificat in iſtis Lucæ 1, 33. *Et regnabit in domo Iacob in æternum*, εἰς τοὺς αἰῶνας. nam ſi id ſpatium temporis interminatum exprimeret, quorſum adderetur: *Et regni ejus non erit finis.* Id ſibi vult ergo Lucas, ſive potius Gabriel: Obtinebit ille quidem in domo Jacob regnum diuturnum, ac nullo fine cariturum. Sæpe igitur τὸν αἰῶνα τοῦτον, pro præſenti tempore, & τὸν αἰῶνα ἐρχόμενον, ac τοὺς αἰῶνας ἐπερχομένους, pro futuro, in Novo Inſtrumento reperias. Inde Origenes Homil. 6. in Exod. *Quoties in ſæculum dicitur, longitudo quidem temporis, ſed eſſe finis aliquis indicatur: etſi in aliud ſæculum dicatur, aliquis ſine dubio longior quidem, tamen ponitur finis: & quoties ſæcula ſæculorum nominantur, fortaſſe licet ignotus nobis, tamen à Deo ſtatutus aliquis terminus indicatur:* & libr. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 3. *Mo-*
F *vet autem in hoc Scripturæ ſanctæ auctoritas, quæ dicit in ſæculum & adhuc. Et adhuc enim quod dicit, plus aliquid ſine dubio quam vult intelligi. Et vide ne illud quod dicit Salvator: Quia volo, ut ubi ego ſum, & iſti ſint mecum; & ſicut ego & tu unum ſumus, & iſti ſint in nobis unum, oſtendere videatur plus aliquid quam eſt ſæculum & ſæcula; fortaſſe etiam plus quam eſt ſæcula ſæculorum; id videlicet, cum jam non in ſæculo ſunt omnia, ſed omnia, & in omnibus Deus.* Igitur neque *in ſæculum*, neque *in ſæculo ſæculorum* ſpatium interminatum ſignificare voluit Origenes. Quorſum ergo ait Cæſarius Dial. 3. exiſtimaſſe illum finitum iri ſupplicia Damnatorum, ἐκ τοῦ αἰώνιον μόνον φῆσαι τὸ κύειον τὸ κολαστήειον πῦρ, καὶ ἐκ αἰώνιον αἰώνων· *Quod æternum tantum dixerit Dominus piacularem ignem, non æternum in ſæcula?* Adſtipulatur ſuperioribus Leontius Byzantius, qui Origeniſtas dicere ait, ὅτι τὸ τοῦ αἰῶνος ὄνομα ὅτε ὡρισμένου χρόνου λαμβάνεται, καὶ ὅταν εἴπῃ ἡ γραφὴ ὅτι αἰώνιός ἐστιν ἡ κόλασις, οὐ λέγει εἰ μὴ ὅτι ὡρισμένου χρόνου· *Nomen αἰῶνος de tempore terminato intelligi, & cum ait Scriptura αἰώνιον eſſe punitionem, nonniſi finitum tempus ſi-*

gnificare. Tum fatetur, ὅτι πρόκειται τὸ τοῦ αἰῶνος ὄνομα καὶ ἐπ' ἄλλων τῶν ἔξω, καὶ ἐπὶ τῆς γραφῆς πολλάκις ὅπου ὡρισμένου χρόνου λαμβάνεται. *Revera nomen αἰῶνος, & apud profanos Auctores, & in Scriptura sæpe profinito tempore sumi.* Subjectam vero Origeniani hujus dogmatis confutationem ab aliis jam contritam usurpavit. A

Primitivi sui notationem repræsentat αἰώνιος, rem indicans quandoque infiniti temporis; quandoque rem certi temporis & terminati. Quapropter sæculares ludos centenis fere quibusque recurrentes annis, αἰωνίους Græci dixere. Frustra ergo in Origenis gratiam & tutelam ea adducuntur testimonia, in quibus infernum ignem, æternum fore pronuntiat, vel ut Græce scribebat, αἰώνιον, hac enim voce longum, sed finiendum tempus intellexit. Qualem igitur huic vocabulo affingebat sensum, talem illi à Scriptoribus sacris fuisse inditum censebat. Memoranda in id argumentum scripsit Augustinus in libello contra Priscillianistas & Origenistas, B nam cũ ad eum Commonitorium scripsisset Orosius, quod huic Augustini Opusculo præfigi solet, in quo jactari ex Origenis libris conquerebatur tartareũ illũ ignem, qui æternus prædicatur, *juxta etymologiam Græcam non esse perpetuum, etiam Latino testimonio adjecto, quia dictũ sit; In æternum, & In sæculum sæculi.* Respondet Augustinus cap. 6. & 7. geminum esse intellectum vocis αἰών, aliquando sæculum, aliquando æternitatem notantis; at vocem αἰώνιος rebus fine carentibus imponi solere. Quod ita tamen non esse & nos supra probavimus, & facilè probatur ex duobus Scripturæ locis, quos sibi objicit Augustinus, & frustra, si quid video, solvere satagit. Prior sæpissime in Pentateucho occurrit, cum ceremoniis & ritibus Legis antiquæ institutis, dicit Deus: *Hoc vobis erit legitimum æternum. Quanquam,* inquit Augustinus, *si diligentius dicta intelligantur, ea fortassis quæ illis sacramentis significabantur, finem non erant* C *habitura. Ita enim, ne longius abeam, dictmus æternum Deum, non utique istas duas brevissimas syllabas, sed quod eis significatur.* Quasi vero cum sancit Deus, ut nonnisi indutus lineis seminalibus Tabernaculum testimonii ingrediatur Aaron; additque, *Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini ejus post eum,* id non ad mandatum proxime institutum, sed ad mysterium mandato hoc significatum pertineat. Quasi has, quæ proxime scriptæ sunt, syllabas legitimum sempiternum esse velit: non præceptum syllabis illis institutum, quoad literam, non quoad anagogicum sensum. Quid est autem literam destruere, si hoc non est? Non minus validus est sequens locus ex Epist. ad Tit. 1,2. *Spem vitæ æternæ quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna*: Græce, πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Cum autem,* inquit, *retrorsum tempora à constitutione mundi habere videantur initium, quomodo sunt æterna, nisi quia æterna dixit, quæ ante se non habent ul* D *lum tempus?* Atqui nullum licet tempus tempora illa præcesserit; ab initio tamen aliquo profluere illa aliquando cœperunt; ac proinde ab anteriori parte finita sunt. Infirma est igitur utraque solutio hæc, & ita sane ab Augustino proposita, ut non multum ei innixus sit. Addit deinde, in illo Matth. 25, 46. *ibunt illi in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam,* parem esse vocis αἰών utrobique notationem, sive cum vitæ justis promissæ, sive cum igni malis inferendo adjungitur; ac proinde ignes fine carituros significari, quoniam vitam illam fine carituram ex æquo apud omnes constat; quod idem legitur quoque libr. 21. de Civit. Dei, c. 23. At id parum omnino valet contra Origenem, qui tam Beatorum felicitati, quam Impiorum cruciatibus terminum præscribebat.

Complures vocabuli αἰών notiones proponit Etymologus, modo vitam, modo vitæ tem- E pus significantis: tum hæc habet: αἰὼν καὶ ὁ τῶν χιλίων ἐτῶν ἀριθμός. & paulo post: αἰὼν λέγεται καὶ ὁ ἑπτὰ αἰῶνες δηλονότι τῆς τοῦ κόσμου κτίσεως μέχρι τῆς κοινῆς τῶν ἀνθρώπων ἀναστάσεως. Priore modo usus est voce, αἰών, Origenes, cum dixit; Damnatos cruciatum iri ad mille annos; si modo revera post mille annorum decursum in integrum restitutum iri Damnatos opinatus est, ut supra objectum ei à Johanne Damasceno narrabamus: posteriore fortasse, cum eosdem tortum iri confessus est, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Cæterum non est præter Origenis opinionem alia hæc vocabuli αἰών significatio, quam notat ibidem Etymologus: αἰὼν καὶ ὁ ἀίδιος καὶ ὁ ἀτελεύτητος. nam Tom. 28. in Johann. εἰς αἰῶνα, vel εἰς αἰῶνας intelligi vult Origenes, pro eo quod est ἀεί. Verba hæc sunt: ζητήσεις ἂν ἴσως τὸ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου, ἴσως δ' ἄφρων· δήσαντες αὐτοῦ ποδῶν καὶ χειρῶν, ἐκβάλλετε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, πότερον εἰ ἀεὶ μένει δεδεμένος, καὶ ἐν τῷ ἐξωτέρῳ σκότῳ. ἢ οὐδ' ὡρισμένος τό. εἰς F τοὺς αἰῶνας, ἢ εἰς τοὺς αἰῶνας, ἢ λυθήσεταί ποτε. Nec aliter intelligendum puto vocabulum, αἰωνίου, lib. 7. contr. Celf. ἀλλ' οὐδὲ ἀκίνδυνον τοῖς τοιούτων σαφιλίσεαν πιστεύσαι χρεών, ἅτε τῶν πολλῶν ἐν χρηζόντων πλείονος διδασκαλίας ἕως τοῦ ἀεὶ τοῦ κρίνοντος ἁμαρτανόντων κολάσεως· εἰς οὐδὲ τὰ ὑπὲρ ἐκεῖνα αὐτοῦ ἐν χρήσιμον ἀναβαίνειν δι' τὰς μόγις φέρω τὸ αἰωνίου κολάσεως κρίνειν συνέλκοντας ἐπὶ πόδον τὸ κακίας, καὶ τοῦ ἀπ' αὐτοῦ ἁμαρτανομένων χύσιν.

QUAE-

QVAESTIO DVODECIMA.

DE MUNDO, PARADISO TERRESTRI, ET ADAMO.

I. *Duo de mundo quæri possunt:* II. *Primum, Utrum & quo sensu dixerit Origenes, mundum propter rationales naturas fuisse à Deo conditum.* III. *Ita ut existimasse eum Patres aliqui testificantur:* IV. *Alterum, Utrum plures vel fuisse, vel esse, vel fore mundos existimaverit,* V. *quemadmodum ipsi à Patribus quibusdam objectum est:* VI. *quamquam ejus causſam nonnulla adjuvant.* VII. *Exploratur Origenis sententia de constitione Paradisi terrestris,* VIII. *& de scorteis tunicis, quibus post peccatum Adamus indutus est.* IX. *Quæritur, utrum dixerit Adamum per peccatum similitudinem Dei amisisse:* X. *& utrum homines Præadamitas extitisse sibi finxerit.*

I. CIRCA quæstionem de mundo duplex excutiendum venit Paradoxum Origeni adscriptum: primum, Utrum & quo sensu dixerit mundum propter animas rationales à Deo fuisse conditum: alterum, an unicum duntaxat mundum creasse antehac, vel posthac creaturum esse asseveraverit. Quæ duo quærenda sibi proponit Origenes in tertio capite libri 2. περὶ ἀρχῶν, quod inscribitur: *De initio mundi & causſis ejus*

II. Primum quod attinet, nemo non videt ex antecedenti ipsius doctrina aptum id esse, naturarum illarum gratia, quæ sunt rationis participes, mundum à Deo fuisse procreatum. Cum enim animas quocunque statu collocatæ sint, arbitrii sui libertate ad peccandum vel recte agendum uti voluerit & pro peccatis hanc iis irrogatum iri pœnam, ut in graviora ac crassiora corpora amandentur, eam ob rem dicere debuit gravia illa corpora formari à Deo, quemadmodum ergastula ad retinendos reos construuntur. Copiosa ad id probandum Origenis habetur dissertatio libr. 2. περὶ ἀρχῶν, c. 1. *Cum ergo,* inquit, *tanta sit mundi varietas, atque in ipsis rationabilibus animantibus sit tanta diversitas, propter quam etiam omnis reliqua varietas ac diversitas putanda est extitisse, quam causſam aliam dici oportebat, qua mundus extiterit: præcipue si intueamur illum finem per quem omnia restituenda in statum initii sui libro superiori dissertum est? Quod utique si consequenter dictum videtur, quam aliam (ut dicimus) causſam putabimus tantæ hujus mundi diversitatis, nisi diversitatem ac varietatem motuum, ac prolapsum eorum, qui ab illa initii unitate atque concordia, in qua à Deo primitus procreati sunt, deciderunt?* In eodem pronuntiato sic concludit cap. 8. libri 2. de princip. *Pro motibus suis unaquæque mens bonum negligens, in contrarium boni, quod sine dubio malum est, trahebatur. Ex quo videtur semina quædam & causſas varietatis ac diversitatis ille omnium conditor accepisse; ut pro diversitate mentium, id est, rationabilium creaturarum, quam diversitatem ex ea causſa quam superius diximus, putandæ sunt concepisse, varium ac diversum mundum crearet.* Capite vero sequenti rem altius repetens, Deum ait ab initio cum rationis compotes naturas creare vellet, nullam habuisse creandi illarum causſam præter seipsum, suamque bonitatem: in eo autem cum nulla sit diversitas, neque ex parte rerum creandarum ulla esset, æquales eas, & undequaque similes ipsum procreasse: has vero, utpote libero præditas arbitrio, non eodem modo omnes hac usas esse facultate, aliis in vitium ac nequitiam ruentibus, aliis ad meliora assurgentibus: atque inde rationalium naturarum extitisse differentiam: Deum autem unamquamque pro meritis ornare volentem vel ulcisci diversitates mentium in unius mundi consonantiam traxisse, sic tanquam in unam domum, quæ vasis aureis, argenteis, & fictilibus instruitur. *Et has causſas,* inquit, *(ut ego arbitror) mundus iste suæ diversitatis accepit, dum unumquodque pro varietate motuum suorum, vel animorum, propositique Deus dispensat.* Quocirca Tomo 19. in Johann. pag. 284. & cap. 5. libri 3. περὶ ἀρχῶν, observat creationem mundi apud Scriptores sacros novo hoc & proprio καταβολῆς nomine nuncupari; quia nimirum *de superioribus ad inferiora descensum est, non ab his animabus quæ id motuum suorum varietate meruerunt, verum & ab iis quæ ad totius mundi ministerium ex illis superioribus & invisibilibus ad hæc inferiora & visibilia deducta sunt, licet non voluntate; vanitati quippe creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit in spe, qua vel Sol, vel Luna, vel Stellæ, vel Angeli explerent obsequium mundo, & his animabus quæ ob nimios defectus mentis crassioribus & solidioribus indiguere corporibus, & propter eos quibus hoc erat necessarium, mundus iste etiam visibilis institutus est.* Et mox: *Talem vero ac tantum putandum est factum esse mundum, qui vel omnes eas animas, quæ in hoc mundo statutæ sunt exerceri, caperet, vel omnes eas Virtutes quæ adesse eis, & dispensare eas, ac juvare paratæ sunt.* Atque hæc ipsa loca librorum περὶ ἀρχῶν reprehensionis causſa profert Hieronymus Epist. 59. ad Avit. c. 2. & 3. Alia præter-

ca duo è lib. 1. & 4. περὶ ἀρχῶν refert Justinianus ad calcem Epistolæ ad Menam, quæ huc inserenda esse supervacuum non fuerit. Prior hic est: οὕτω δὴ ποικιλωτάτου κόσμου τυγχάνοντος καὶ τοσαύτας διαφορὰς λογικὰς περιέχοντος, τί ἄλλο χρὴ λέγειν αἴτιον γεγονέναι τοῦ ὑποστῆναι αὐτὸν, ἢ τὸ ποικίλον τῆς ἀποπλώσεως τῶν ἀφ' ὁμοίας τῆς ἑνάδος ἀποῤῥεόντων; *Ita cum summa diversitate constet mundus, totque diversas contineat rationales naturas, quæ alia caussa dicenda est, cur subsistat, quam varios decidendi modos, eorum qui ab unitate similiter non defluunt?* Alter ita se habet: ἀνάγκη μὲν προηγεμένως τυγχάνειν τὰ σωμάτων φύσιν ἀλλὰ ἐκ διαλειμμάτων ὑφίστασθαι διάτινα συμπλώματα γινόμενα περὶ τὰ λογικὰ, σώματων· *Necesse est non præextitisse corporum naturam, sed per intervalla subsistere propter aliquos casus qui contingunt naturis rationæ præditis, & quæ corporibus indigent.* A

III. Itaque hoc etiam nomine non Justiniani solum, sed & aliorum convicia sensit Origenes. *Quis Propheta*, inquit Theophilus Pasch. 1. *sentire docuit* (Origenem) *propter ruinam & lapsus de cælis animarum, Deum esse compulsum corpora fabricare? Quis juxta beatum Lucam, eorum qui viderunt, & ministri fuerunt sermonis Dei, huic tradidit ad docendum, negligentia & motu, & fluxu de altioribus rationabilium creaturarum, provocatum Deum mundi hujus condere diversitatem?* Et postmodum: *Dicit enim propter peccata intelligibilium creaturarum mundum esse cœpisse.* Hieronymus in Epist. ad Eph. 1, 4. non expresso Origenis nomine, sententiam ipsius exponit: *Alius dicit*, inquit, *ante visibiles creaturas cœlum, terram, maria, & omnia quæ intra ea sunt, fuisse alias invisibiles creaturas, in quibus & animas, quæ ob quasdam caussas soli Deo notas dejectæ sint deorsum in vallem istam lacrymarum ..... Itaque priusquam animæ, inquiunt, præcipitarentur in mundum, & mundus ex animabus fieret, cum habitatricibus suis in infimum ipse dejectus, elegit Paulum Deus.* Quæ quamvis ex alterius opinione recitata sint, his tamen consensisse Hieronymum contendit Rufinus Invect. 1. sed calumniam à se removet Hieronymus libr. 1. Apolog. in Rufin. cap. 6. Augustinus vero libr. 11. de Civit. Dei, cap. 23. Origenem nominatim adoritur: *Animas dicunt, non quidem partes Dei sed factas à Deo peccasse à Conditore recedendo; & diversis progressibus pro diversitate peccatorum à cœlis usque ad terras, diversa corpora quasi vincula meruisse. Et hunc esse mundum, eamque caussam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur, in libris enim quos appellat περὶ ἀρχῶν, id est, de principiis, hoc sensit, hoc scripsit.* Atque hæc valide postmodum oppugnat. Oppugnat etiam cum alibi, tum maxime libro contra Priscillianistas, & Origenistas, cap 8. cum scripsisset ad eum Orosius in Commonitorio, id esse Origenistis quibusdam persuasum, *Mundum novissime ideo esse factum, ut in eo animæ purgarentur, quæ ante peccaverunt.* Isidorus libr. 8. Origen. cap. 5. *Origeniani*, inquit, *animas in mundi principio dicunt peccasse, & pro diversitate peccatorum de cœlis usque ad terras lapsas, diversa corpora quasi vincula meruisse, eaque caussa mundum factum fuisse.* Quæ fere αὐτολεξεὶ repetit Honorius Augustodunensis in libro de hæresibus. Denique S. Thomas adversus eandem opinionem libr. 2. contr. Gentil. cap. 44. acerrime decertat. B C D

Quoniam autem ita cum antecedentibus conjuncta est, ut quæ ad tuendam Origenis caussam supra attulimus, hic quoque valere possint, quid attinet plura conquirere; cum præsertim Hieronymus, postquam c. 1. Epist. 59. ad Avitum, quæcunque in 1. libr. περὶ ἀρχῶν damnosa sunt, collegit, inter quæ frequens occurrit isthæc quam tractamus opinio, talia illum denuntiare dicat: *Hæc juxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quæsita tantum, atque projecta, ne penitus intractata viderentur?* E

IV. *Iam sane quomodo diversos motus rationabilium creaturarum, variasque sententias caussam dedisse diversitatis mundo huic, sermo superioris disputationis ostendit, vivendum ne forte simul cum initio exitus quoque huic mundo conveniat. Dubium enim non est, quin finis ipsius in diversitate multa adhuc & varietate reperiendus sit, quæ utique varias in hujus mundi fine deprehensa rursus diversitatum alterius mundi post hunc futuri occasiones præstabit, quod scilicet hujus mundi finis initium sit futuri.* Verba sunt Origenis libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. superioris quæsiti cum isthoc, quod hoc loco nobis excutiendum proposuimus, connexionem declarantis. *Possibile enim videtur*, inquit libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. *ut rationabiles naturæ, à quibus nunquam auferetur liberi facultas arbitrii, possint iterum aliquibus motibus subjacere ..... Quos motus sine dubio rursum varietas corporum & diversitas persequitur, ex qua mundus semper adornatur, nec unquam poteris mundus nisi varietate ac diversitate constare, quod effici nullo genere possit extra materiam corporalem.* Doctrinæ igitur suæ cohærentiam servavit Origenes, & quod ex dogmatibus suis effici putavit, id manifesta assertione decrevit: nam in sequentibus, repudiatis nonnullis, qui mundo huic pares usquequaque mundos ac consimiles in futuris sæculis continenti successione produci affirmabant, quod libertati arbitrii officeret ejusmodi sententia; alios quidem, sed plane diversos conditum iri statuit; an autem dignitate superiores, an inferiores, vel æquales nescire se faretur. Addit præterea mundum hunc, qui & ipse sæculum dicitur, multorum sæculorum esse finem, ac multorum porro sæculorum initium. Sed velut dubitanter ait: tandem post multorum sæculorum creationem & interitum, aliquid sæculis majus F

in

A in omnium restitutione futurum esse, cum Deus erit omnia in omnibus. Libro deinde Operis ejusdem tertio, cap. 5. postquam mundum cœpisse, & interiturum esse ostendit, objici adversus hanc assertionem solere scribit : *Si cœpit mundus ex tempore, quid ante faciebat Deus, antequam mundus fieret? Otiosam enim dicere naturam Dei otiosum est simul & absurdum, vel putare quod bonitas aliquando non fecerit, & omnipotentia aliquando non egerit potentatum.* Atque id demum præclare solvere se putat hac responsione : *Nos vero consequenter respondebimus observantes regulam pietatis, & dicentes quoniam non tunc primum, cum visibilem istum mundum fecit Deus, cœperit operari; sed sicut post corruptionem hujus erit alius mundus, ita & antequam hic esset, fuisse alios credimus.* Duplex his confirmandis adhibet Scripturæ testimonium, alterum ex Isaiæ 65. 17. & 66. 22. ubi cœlum novum, & terram novam creaturum se prædicit
B Deus : alterum ex Eccles. 1. 9, 10. quod est hujusmodi : *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est : Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub Sole novum; nec valet quisquam dicere : Ecce hoc recens est; jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos.* Mundos autem istos non plures simul esse, sed perpetua serie sibi succesturos fore censet. Atque hæc ipsa reprehensionis caussa indidem transtulit Hieronymus in Epistolam 59. ad Avit. cap. 3. Eadem porro est Origeniani hujus loci ratiocinatio, quæ libri 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. ubi ait, omnipotentem Deum esse, hoc est παντοκράτορα, quatenus aliqua habet in quæ potentiam suam exercere possit : *& ideo, ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse esse :* quod si quis aliquando non fuisse velit ea quæ deinceps facta sunt, huic fatendum esse necessario omnipotentem tunc non fuisse Deum, omnipotentiam vero deinde accepisse, cum habere cœpit
C quæ potentia sua gubernaret. *Quod si factum nunquam est,* inquit, *quando non omnipotens fuerit, necessario subsistere oportet etiam ea per quæ omnipotens dicitur, & semper habuit in quibus exercuerit potentatum, & quæ fuerint ab ipso, vel Rege, vel Principe moderata.* Officiose quidem & amico adversus Origenem animo, at non perinde vere, id sibi velle eum adnotat Genebrardus, *Deum Patrem omnipotentiam suam ostendisse, dum genuit Filium : ac nisi genuisset, non fuisse omnipotentem :* nam de rebus numero pluribus, in quæ imperium teneat Deus, non de una aliqua, qualis est Filius agere Origenem manifestum est : sed & res creatas in animo habuisse satis illud evincit quod sequitur : *De quibus plenius in locis propriis, in quibus de creaturis ejus disputandum fuerit, disseremus.* Ac superior ille locus Origenis, vel alter certe ipsi consimilis, refertur à Methodio in libro περὶ τῶν ὑμητῶν, cujus excerpta habet Photius Cod. 235.
D εἰ ἀγένητον, inquit, δημιουργὸς ἄνευ δημιουργημάτων, ἢ ποιητὴς ἄνευ ποιημάτων, ἐδὲ παντοκράτωρ ἄνευ τῶν κρατυμένων. τὸ γὰρ δημιουργὸν εἶναί τε δημιουργήματα ἀναίτιον, καὶ τὸ ποιητὴν εἶναι ποιήματα, καὶ τὸ παντοκράτορα διὰ τὰ κρατούμενα λέγεσθαι. ἀναγκαῖον ἐξ ἀρχῆς αὐτὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γεγονέναι, καὶ μὴ εἶναι χρόνον, ὅτε οὐκ ἦν τοῦτο. Et deinde : ἀλλὰ μὴν ἀλλοιοῦσθαι, καὶ μεταβάλλειν τὸ ἀπερίτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον συμβήσεται θεῖον. εἰ γὰρ ὑστερον πεποίηκε τὸ πᾶν, δῆλον ὅτι διὰ τοῦτο μὴ ποιεῖν εἰς τὸ ποιεῖν μετέβαλε. τοῦτο δὲ ἄτοπον μὴ τῶν προειρημένων. οὐκ ἄρα δυνατὸν λέγειν μὴ εἶναι ἄναρχον καὶ συναΐδιον τῷ Θεῷ τὸ πᾶν. *Si non est opifex sine opificiis, vel conditor sine re condita, neque omnipotens sine rebus gubernatis; namopificem necesse est propter opificia, & conditorem propter res conditas, & omnipotentem propter res gubernatas dici : necesse est ab initio hæc à Deo fuisse facta; neque esse tempus, quando hæc non fuerint.* Et deinde : *Sed variari, & mutari immutabilem & invariabilem Deum continget. Nam si deinde omnia fecit, manifestum est illum à non faciendo ad faciendum transisse; Absurdum autem illud ex antedictis. Dici ergo non*
E *potest non esse principii expers, & Deo coæternum hoc universum.* Dignum & istud est animadversione quod ait Adamantius Homil. 4. in Isaiam : *Quæ ante mundum fuerint, ignoramus, fuerunt porro quædam ante mundum. Quæ post mundum secutura sunt, ad certum non apprehendimus; erunt autem alia post mundum.* Ne quis vero Dei Filium hic intelligat, qui ante sæcula à Patre genitus est, vel Spiritum sanctum, qui nunquam non ab utroque processit, aquas illas super quas ferebatur Spiritus Dei, & tenebras quæ erant super faciem abyssi, creatas quidem, sed hoc tamen mundo antiquiores intelligere se declarat. Et demum, *Ea,* inquit, *quæ post extremum sæculum futura sunt in sæcula sæculorum quis potest exponere? Garrulorum est hominum horum notitiam polliceri.*

F Quod autem materiam Deo coæternam impugnans differit in Comment. in Genes. 1. 12. & libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. sic accipiendum est ; repudiare eum quidem materiam illam ἀγένητον, ortu & principio carentem, qualem invexerant Philosophi quidam, & Marcionistæ defendebant, Deo coævam, & alterum rerum principium : at nihilo secius materiam aliam admittere, non ortus quidem & principii expertem, sed ante sæcula ita à Deo procreatam, ut lumen à Sole proficiscitur. In eo ergo ab Hæreticis illis dissentiebat, quod duo hi rerum principia ponerent, Deum, & materiam, utrumque utrique coæternum, neutrum ab altero pendens; ille Deum unicum rerum universarum statueret principium, qui materiam ex se nunquam non produxerat. Mundos autem ex materia illa deinceps conflari fingebat. Ita discrepabat à Marcionistis, quamvis ipsorum argumentis uteretur.

Hermogenem enim Hæreticum eodem modo ratiocinatum esse refert Tertullianus libro A
peculiari ipsum oppugnans; Deum enim ajebat semper fuisse Dominum, Dominum autem
ab omni retro ævo esse non potuisse, nisi semper fuisset aliquid, cujus esset Dominus; proin-
deque materiæ semper Dominum fuisse; unde efficitur, nunquam non fuisse materiam.
Hanc ratiocinationem à veteribus Philosophis sumserant Marcionistæ, eamque in Proclo
obterit Philoponus de æternitate mundi. At quamvis mundum ex materia quidem æter-
na, à Deo tamen conditum dixerit post Socratem Plato; & in tempore quoque creatum
affirmaverit, ut tradunt Ambrosius, & Zacharias Mitylenæus; atque ita dixisse eum Ari-
stoteles & Theophrastus censuerint; Platonici tamen recentiores, ut magistrum suum cum
Aristotele conciliarent, factum quidem mundum dixisse Platonem fatebantur, at ab æter-
no; adeo ut principio temporis careret, sed principium caussæ, Deum nempe haberet; *nec* B
esset hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium, ut ait Augustinus libr. 10. de Civit. Dei,
cap. 31 qui & hoc comparatione quadam explicari à Platonicis ita scribit: *Sicut enim, inqui-
unt, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium; quod tamen vestigi-
um à calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero
factum esset: sic, inquiunt, & mundus, atque in illo Dii creati, & semper fuerunt, semper existente
qui fecit, & tamen facti sunt.* Atque hanc fuisse Platonis mentem pertendunt Boëtius: Sim-
plicius item, Taurus, Porphyrius, & Proclus: Censorinus, Apulejus, & Macrobius. Vi-
gente hacitaque Origenis temporibus, & vulgo inter Platonicos recepta sententia, in eam
quoque ille concessit.

In alterum porro, de perpetua mundorum propagatione placitum unde inductus sit, si quis C
quærere velit, nihil occurrit verisimilius quam id ab eo esse confictum ad illud Stoicorum,
quod conflagraturum mundum hunc statuit, aliumque huic omni ex parte consimilem, vel
parum certe discrepantem proditurum; adeo ut non hujus solum figuram penitus referat,
sed eosdem etiam casus, eadem omnia; alteroque hoc etiam combusto, alium oriturum
postea, ac deinde alium, renascentibus semper ac conflagrantibus mundis. Platonici vero,
& Pythagorei, ab Ægyptiis instructi, mundum quidem incorruptibilem autumabant, sed
sideribus post longos anfractus ad eandem stationem reversis, rursum eventura eadem,
eosdemque nascituros homines, & in pristinam formam reditura omnia, quam simili vigen-
te astrorum positione tenuerunt. Quamvis autem ejusmodi deliriones libro 5. contra
Cels. exploserit Adamantius, pro eo ac debuit; nihilominus tamen ex his recoctis suum illud D
procudisse dogma censuerim; accedente præsertim gemino, quem recitavimus supra Salo-
monis, & Isaiæ loco, ad quem falsa interpretatione detortum interpolatas illas Philoso-
rum opiniones concinnavit.

V. Minime illud quidem silentio pressum Patres Origeni condonarunt, nam & refellitur
à Methodio apud Photium Cod. 235. & ab Hieronymo Epist. 59. ad Avit. cap. 2. his verbis:
In secundo autem libro (περὶ ἀρχῶν) *mundos asserit innumerabiles, non juxta Epicurum uno tempore
plurimos & sui similes, sed post alterius mundi finem alterius esse principium: & ante hunc nostrum
mundum, alium fuisse mundum: & post hunc alium esse futurum, & post illum alium, rursumque ca-
teros post cæteros. Et dubitat utrum futurus sit mundus alteri mundo ita ex omni parte consimilis, ut* E
*nullo inter se distare videantur; an certe nunquam mundus alteri mundo ex toto indiscretus, & simi-
lis sit futurus.* Mox adducit verba Origenis: *Et idcirco arbitror pro varietate caussarum diver-
sos mundos fieri; & elidi errores eorum, qui similes sui mundos esse contendunt.* Tradita fuisse hæc
eadem ab Origene lib. 1. & 3. περὶ ἀρχῶν, refert Hieronymus cap. 1. & 3. ejusdem Epistolæ;
quamobrem & hunc in crimen vocat Apolog. libr. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 3. Justinianus quo-
que in Epistola ad Menam ita scribit: ὑποτίθεται δὲ καὶ διαφόρους κόσμους συνίστασθαι τε καὶ σωίζεσθαι, τοῦτο
μὲν παρελθόντας, τοῦτο δὲ μέλλοντας. *Statuit autem & diversos constitisse mundos, & constare, partim
præteritos, partim futuros.*

Notanda vero accurate quæ præcedunt: κἀκεῖνο δὲ τὸ πάσης δυσσεβείας ἀνάμεστον ἑαυτὸ ἔστι
μυθολογίας, τὸ λέγειν ὅτι πάντα τὰ γένη, καὶ τὰ εἴδη συναΐδια ἐστι τῷ θεῷ. *Illud vero omni impietate ple-* F
num ipse fabulatur, dicens omnia genera & species esse Deo coæternas. Ipsa etiam verba adducit Ju-
stinianus ad calcem Epistolæ è libr. 1. περὶ ἀρχῶν. Parem suo tempore propugnasse doctri-
nam Origenistas quosdam significare videtur Orosius in Commonitorio ad Augustinum;
*Primum omnia antequam facta apparerent, semper in Dei sapientia facta mansisse dicentes hoc verbo:
Deus enim quæcunque fecit, faciendo non cæpit.* Quæ multis refutat Augustinus in libro contra
Priscillianistas & Origenistas, cap. 8. Pulsat eadem de causla Origenem Nicephorus, non
genera & species, sed ἀΐδιματα Deo coæterna statuisse ipsum prædicans; perperam scilicet,
ut videtur, accepta Origenis sententia, aperte tamen exposita libr. 1. περὶ ἀρχῶν, apud Ju-
stinianum in fine Epistolæ ad Menam: *Genera*, inquit, *omnia & species semper erant; non ita
de singularibus differentibus numero dixerit quispiam.* Hanc in sententiam Origenem magistri

sui

A sui Platonis Ideæ perpulerunt. Itaque genera & species Deo esse coæterna eatenus dixerit, quatenus Deus ab omni retro ævo ea in mente habuit.

VI. Veruntamen quantumvis hæc diserte videatur affirmasse Origenes, id tamen præmisit in Proœmio librorum περὶ ἀρχῶν. *Est prætereà illud Ecclesiastica prædicatione definitum, quod mundus iste factus sit, & à certo tempore cœperit, & pro ipsa sui corruptione solvendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit, jam non pro manifesto multis innotuit: non enim evidenter de his in Ecclesiastica prædicatione sermo profertur.* Quarum rerum obscuritatem significari ait per alas illas quatuor Seraphinorum duorum, quæ Dei faciem ac pedes velabant. Unde existimari potest, quæcunque super hoc argumento conscripsit, velut meras conjecturas proposuisse, non tanquam dogmata asseverasse. *Orig. Hom. 4. in Isaiam*

B Prætermittere vero minime decet illud Hieronymi è libr. 1. in Epist. ad Tit. non longe ab initio: *Sex millia nec dum nostri orbis implentur anni, & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origenes fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteræq; Virtutes servierint Deo, & absque temporum vicibus, absq; mensuris, Deo jubente, subsistiterint.* Materiam autem à Deo ante mundum creatam posuerunt Philo, Tatianus, Lactantius, & alii, ex qua mundum postea fabricaverit.

VII. Multorum disputationibus ita celebrata est ea Origenis opinio, quæ Paradisi constitionem ad allegoricam expositionem detorquet, ut nostrum quoque postulare videatur examen. Arbitratus ille est Paradisum hunc qui terrestris vulgo dicitur, positum in tertio cœlo fuisse, arbores vero, aliaque quibus velut terrestris quidam notatur locus, ac reliqua denique C omnia allegorice explicavit: nam animas in cœlo degentes, per Adamum & Evam in Paradiso creatos signari opinatus est; crimina quæ illic animæ admittunt, per vetiti mali esum; animarum exilium propter delicta, per expulsionem primorum parentum è Paradiso; terrenum corpus & mortale animabus impositum, per scorteas tunicas, quibus Adamum & Evam Deus induit.

Idipsi objiciunt Methodius apud Epiphanium Hær. 64. cap. 47. & Photium Cod. 234. Eustathius de Engastrimytho, ipse Epiphanius capit. 4. ejusdem Hæreseos, & in Ancorato, cap. 54. quibus locis ostendunt opinionem suam firmasse Origenem hoc Pauli testimonio 2. Cor. 12, 2, 3, 4. ubi raptum se fuisse ait in tertium cœlum, & in Paradisum; ex eoque collegisse idem esse Paradisum ac tertium cœlum; quod negant Methodius & Epiphanius, Paradisum D à tertio cœlo distinguendum esse asserentes. *Quis audiat*, inquit alibi Epiphanius, *in tertio cœlo donantem nobis Origenem Paradisum, & illum quem Scriptura commemorat, de terra ad cœlestia transferentem, & omnes arbores, quæ scribuntur in Genesi, sic allegorice intelligentem, quod scilicet arbores Angelicæ fortitudines sunt, cum hoc veritas non recipiat?* & postea: *Sed dicis: Legimus quod S. Paulus raptus sit usque ad tertium cœlum, & usque in Paradisum. Bene dicis: Quando ponit tertium cœlum, & postea addit; Et in Paradisum; ostendit alibi esse cœlum, & alibi Paradisum.* Atque id Johanni Hierosolymitano objectum, minime ab ipso purgatum fuisse ait Hieronymus Epist. 61. ad Pammach. cap. 3. qui & in cap. 10. Danielis: *Eorum*, inquit, *deliramenta conticescant, qui umbras & imagines in veritate quærentes, ipsam conantur evertere veritatem; ut flumina & arbores & Paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere.* Sophronius quoque in Epistola ad E Sergium, & Anastasius Sinaita lib. 7. Anagog. Contemplat. & Johannes Damascenus in libro de hæresib. & Cedrenus, Paradisi plantationem ab Origenistis sublatam, corpus Adamo & Evæ detractum, & serpentis colloquium refutatum criminantur. Sed audiamus ipsum Origenem: *Cuinam quæso*, inquit, *sensum habenti convenienter videbitur dictum, quod dies prima, & secunda, & tertia, in quibus & vespera nominatur & mane, fuerint sine Sole, & sine Luna, & sine Stellis; prima autem dies sine cœlo? Quis vero ita idiotes invenitur, ut putet velut hominem quendam agricolam Deum plantasse arbores in Paradiso, in Eden contra Orientem, & arborem vitæ plantasse in eo, id est lignum visibile, & palpabile, ita ut corporalibus dentibus manducans quis ex ea arbore vitam percipiat? & rursus ex alia manducans arbore boni & mali scientiam capiat? Sed & illud quod Deus post meridiem deambulare dicitur in Paradiso, & Adam latere sub arbore, equidem nullum arbitror* F *dubitare, quod figurali tropo hæc à Scriptura proferantur, quo per hæc quædam mystica indicentur.* Vide item Homil. 1. in Genes. & lib. 4. contr. Cels. *Epiphan. in Epist. ad Ioh. Hieros. cap. 3.* *Orig. lib. 4. de princip. cap. 2.*

In eam sententiam traxit Origenem Philo ad allegoriam hæc ipsa itidem flectens in fine libri de opificio sex dierum, & in 1. libr. allegor. Legis. traxit & Papias, & Irenæus, & Pantænus, & Clemens Alexandrinus, quos Paradisi descriptionem ad mysticam expositionem deflexisse narrat Anastasius Sinaita libr. 7. Anagog. Contemplat. eorumque deinde exemplo Gregorium utrumque. Origenem vero secutus est Ambrosius, & Paradisum terrestrem in cœlo tertio collocavit, eodem innixus Pauli loco, ex quo opinioni suæ robur additum Origenes existimavit. Hæc ille quidem in libro de Paradiso, cap. 3. quamvis alibi *in 1. Cor. 6.* Paradisum terrestrem ab eo distinguat, in quem sublatus fuit Paulus. At in Epistola ad Sabinum

binum omnia hæc ad allegoriam convertit. Hieronymus autem ante mundi hujus fabricam conditum Paradiſum affirmat in Traditionibus Ebraicis in Geneſ. Quod ſi conditum hunc ante mundum opinatus eſt, utique extra mundum fuiſſe cenſuit. Moſes bar Cepha libr. de Paradiſo, medium ipſum terras inter & firmamentum locat; in eumque dimiſſam putat pii latronis animam, quod & de aliorum ſanctorum animabus affirmant Severianus, & Eulogius. Quin etiam errorem Origenis paulo ante ſuam ætatem à Franciſco Georgio renovatum ſcribit Sixtus Senenſis lib. 5. Biblioth. Annot. 34. totamque ejus loci quæſtionem proximis Annotationibus exhaurit.

Par. 1. c. 8. *Severian. Orat. 5. de Coſmog.* *Eulog. apud Phot. Cod. 230.*

Alibi tamen Origenes Paradiſum Eden, ſeu terreſtrem eundem eſſe ſcribit ac Paradiſum illum, in quem piorum animæ poſt obitum dimittuntur; quem cum in terris collocaverit, ut ſupra dixi, illum quoque in terris eſſe neceſſe eſt. *Qui autem*, inquit Homil. 1. in Cantic. *dignus fuerit redire & eſſe cum Chriſto, quique in parvo fidelis inventus conſtituetur ſuper multa, ille guſtabit & capiet voluptatem Domini, perductus ad locum quendam qui pro hujusmodi ciborum copiis & varietatibus, deliciarum nominatur locus. Propter quod & in Eden poſitus dicitur, quod delicias indicat.*

VIII. Ut Paradiſi plantatione myſticum quid notari finxit ſibi Adamantius, ita ſcorteārum tunicarum, quibus Adamum poſt noxam Deus induit, textura corpus ipſum terrenum & mortale ſignificari ſomniavit, quo Adami anima illigata eſt, cum antea immortalis eſſet & incorporalis; alioqui ridiculum fore Deum aſſerere, ſic tanquam coriarium & ſutorem, animantes glubiſſe, & detractas pelles conſuiſſe. Hunc refellunt errorem Irenæus, & Tertullianus: jam enim ante Origenis ætatem inoleverat. Refellit quoque & in Caſſiano quodam damnat Clemens Alexandrinus, ut monuit me Paulus Pelliſſonus, in quo plusne ingenii amœnitatem an præſtantiam doctrinæ laudem neſcio. Refellunt & Juſtinus, ſeu quisquis auctor eſt Quæſtionum ad Orthodoxos, & auctor Dialogorum qui Cæſario Gregorii Nazianzeni fratri tribuuntur, & Gregorius Nyſſenus, & Chryſoſtomus, & Anaſtaſius Sinaita, & Rupertus. Eundem exprobrant Origeni Methodius, Epiphanius, Hieronymus, Sophronius, Stephanus Gobarus Tritheita, Johannes Damaſcenus, Glycas, Cedrenus, & Nicetas.

Irenæus lib 1. cap. 1. *Tert. adv. Valent. c. 34. & libr. De reſurr. carn. c. 7.* *Clem. Alex Strom. l. 3.* *Juſtin. qu. 49.* *Cæſ. Dial. 3 Interr. 149* *Greg. Nyſſ. orat. cat. cap. 8.* *Chryſoſt. Hom. 18. in 3. Gen.* *Anaſt. Sin. Contempl. anagog. in Hexaem. libr. 11.* *Rupert. lib 3. cap. 27. in 3. Gen.* *Meth. apud Epiph. Hær. 64. & apud Phot. Cod. 234.* *Epiph. hær. 64. & in Epiſt. ad Joh. Hieroſ. c. 3.* *Hier. Epiſt. 61. ad Pamm. c. 3.* *Sophron. in Epiſt. ad Serg.* *Gobar. apud Phot. Cod. 232.* *Joh. Dam. de Hæreſ.* *Glyc. part. 1. & 4. Annal.* *Nicet. Theſ orth. fid. lib. 4 hær. 31.*

In varios profecto ſenſus tractus eſt iſte Scripturæ locus: Methodius veſtes ſcorteas, non quidem mortale corpus eſſe dixit, ſed corporis antea immortalis, deinde vero mortalis effecti diſſolutionem ſignificare. Gregorius Nazianzenus corporis nuditate exprimi vult immortale prius & nullis obnoxium morbis Adami corpus; veſtibus vero, mortalitatem, gravitatem, ac infirmitatem, quæ corpus illud invaſerunt. Nonnulli vero, quos refellit Theodoretus quæſt. 39. in Geneſin, ſcorteas tunicas eſſe dixerunt arborum cortices, quæ ſunt velut arborum pelles & indumenta.

His ſuffragatoribus errorem ſuum excuſaret Origenes, ſi ejus eſſet manifeſtus. At quanta fuerit ipſius in hac quæſtione fluctuatio ex ſequenti loco patebit, quem Catenæ uno conſenſu Origeni tribuunt. Is ergo in Gen. 3. 21. poſtquam ineptum eſſe dixit; Deum fingere detractas animalium pelles conſuentem, ſubdit: πάλιν τε φυγόντα τὸ ὕτως ἄτοπον, λέγειν τὰς δερματίνους χιτῶνας ἐκ ἄλλης ἢ ἐκ σώματος, πιθανὸν μὲν, καὶ εἰς συγκατάθεσιν ὅπαπάσαδε δυνάμενον. ὑ μὲν σαφὲς, ὡς ἀληθές· εἰ γὰρ οἱ δερματίνοι χιτῶνες σάρκες ἐσίν, πῶς πρὸ τούτων φησὶν ὁ ἀδάμ· τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστῶν μου, καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός μου. *Rursum vero ſi quis rem adeo abſurdam fugiens dixerit ſcorteas tunicas non alias eſſe quam corpora, probabile erit id quidem, & ad aſſenſum trahere valens; non clarum tamen, quale eſſe debet quod verum eſt. Nam ſi tunicæ ſcorteæ carnes & oſſa ſunt, quomodo antea dicit Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea?* Addit præterea nonnullos his circumſeptos anguſtiis exiſtimaſſe ſcorteas tunicas eſſe moriendi neceſſitatem Adamo & Evæ poſt peccatum impoſitam: quod ipſum difficultate non carere cenſet. Clarius in orthodoxam videtur concedere ſententiam Homil. 6. in Gen. cum ait: *Velim conferre illa infelicia indumenta, quibus primus homo, cum peccaſſet, indutus eſt, cum his ſanctis & fidelibus indumentis. Et quidem illa dicitur Deus feciſſe: Fecit enim, inquit, Deus tunicas pelliceas, & induit Adam & mulierem ejus. Illæ ergo tunicæ de pellibus erant ex animalibus ſumtæ: talibus enim oportebat indui peccatorem, pelliceis, inquit, tunicis, quæ eſſent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Itaque Auctor Dialogi de orthodoxa fide, qui Origeni vulgo tribuitur, ipſum inducit veram & in Eccleſia receptam opinionem de tunicis illis ſcorteis, adverſus Marinum Bardeſianiſtam propugnantem.

IX. Inter criminationes quas adverſus Origenem collegit Epiphanius Hær. 64. cap. 4. & in Epiſtola ad Johannem Hieroſolym. una hæc eſt: *Inter multa etiam illud auſus eſt dicere, perdidiſſe imaginem Dei Adam:* quod & Hieronymus repetit in Epiſtol. 61. ad Pammach. cap. 3. Quaſi Adamum voluerit in pœnam peccati, non gravi duntaxat corpore, ſic tanquam

Epiphan. Epiſt. ad Joh. Hieroſ. cap. 4.

A quam compedibus fuisse constrictum, sed imagine etiam Dei, ad quam conditus fuerat, excidisse. At paulo inferius docet Epiphanius non idem super hac quæstione sensisse Origenistas omnes: *Quidam enim eorum*, inquit, *dicunt quod imago Dei quam prius accepit Adam, illo peccante perierit: alii suspicantur corpus, quod Filius Dei habiturus esset ex Maria, ipsam esse imaginem; alii sensum; alii virtutem; isti Baptisma; hi quod homo ad Imaginem Dei dominetur omnibus.* Nicetas vero in Thesauro orthodoxæ fidei, libr. 4. Hær. 31. dixisse ait Origenem Adamum, antequam peccaret, effigiem humanam corporeis involucris immunem, & sola humana forma præditam conservasse; admisso autem peccato formam illam amisisse, cum corpus hoc animæ subiit. Tum deinde de Origene hæc disserit: *Aliud enim Deum, aliud id quod ad imaginem efformatum est; aliud item similitudinem, aliud id quod ad similitudinem effectum est, esse statuebat.*

B *Atque primas quidem imagines & similitudines Dei Angelos, aliasque Virtutes esse dicebat: nos autem secundos ab illis, ut minores illis, qui ad illorum scilicet imaginem efformati simus. Deinde ad deteriora deflectens imaginem invisibilis Dei Vnigenitum Filium vocat, Apostplica voce corrupta, nec eo adjecto, quod in illo mutationi obnoxium non est; nosque ad imaginem Dei, seu Filii Vnigeniti factos esse scribit, quod impietate non caret.*

Certe si satis constaret dixisse Origenem per peccatum imaginem Dei Adamum amisisse, Augustinum tamen sibi suffragantem haberet, qui libr. 6. de Genes. ad liter. cap. 27. ita loquitur: *Hanc imaginem in spiritumentis impressam per didit Adam per peccatum, quam recepimus per gratiam justitiæ.* Id nihilominus emollit libr. 2. Retractat. cap. 24. non erasam ex homine hanc imaginem dicens, sed ita deformatam, ut fuerit reformanda. At si doctrina

C Origenis, non ex adversariorum conquestionibus, sed ex ejus spectetur verbis, prout à Rufino, levi prorsus interprete, conversa sunt, sine causa hic ipsum vapulare fatebimur. Nam animo hominis, non corpori imaginem Dei impressam esse docet, cum à Deo conditus est: Dei vero similitudinem tunc adipisci, cum animum virtutibus exornat. *Hunc sane hominem*, inquit Homil. 1. in Genes. *quem dicit ad imaginem Dei factum, non intelligimus corporalem. Non enim corporis figmentum Dei imaginem continet, neque factus etiam corporalis homo dicitur, sed plasmatus, sicut in consequentibus scriptum est: ait enim: Plasmavit Deus hominem, id est finxit de terræ limo. Is autem qui ad imaginem Dei factus est, interior homo noster, est invisibilis & incorporalis, & incorruptus atque immortalis. In his enim talibus Dei imago rectius intelligitur. Si qui vero hunc corporeum putent esse, qui ad imaginem & similitudinem Dei factus est,*

D *Deum ipsum corporeum, & humanæ formæ videntur inducere, quod sentire de Deo manifestissime impium est.* Mox imaginem Dei, ad quam formatus est homo, ipsum esse asserit Christum, quatenus figura est substantiæ Dei, non quatenus corpore à Maria sumto indutus. *Ad hujus ergo*, inquit, *imaginis similitudinem homo factus est, & propterea Salvator noster, qui est imago Dei, misericordia motus pro homine, qui ad ejus similitudinem factus fuerat, videns eum deposita sua imagine maligni imaginem induxisse, ipse motus misericordia, imagine hominis assumta, venit ad eum.* Ostendit deinceps peccando similes nos effici Diabolo; recte agendo Christo; *Sed nemo*, inquit, *desperet videns similitudinem suam magis esse cum Diabolo, quam cum Deo, posse se iterum recuperare formam imaginis Dei, quia non venit Salvator vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.* Manifestius etiam illud è libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. *Igitur summum bonum ad quod natura rationabilis*

E *universa festinat, quæ etiam finis omnium dicitur, à quamplurimis etiam Philosophorum hoc modo terminatur, quia summum bonum sit, prout possibile est, similem fieri Deo. Sed hoc non tam ipsorum inventum, quam ex divinis libris ab eis sumptum puto. Hoc namque indicat Moyses ante omnes, cum primam conditionem hominis enarrat dicens: Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Tunc deinde addit: Et fecit Deus hominem, ad Dei imaginem fecit eum, masculum & feminam fecit eos, & benedixit eis. Hoc ergo quod dixit, ad imaginem Dei fecit eum, & de similitudine siluit, non aliud indicat, nisi quod imaginis dignitatem in prima conditione perceperit; similitudinis vero perfectio in consummatione servata est: scilicet ut ipse sibi eam propriæ industriæ*

F *studiis ex Dei imitatione conficeret, cum possibilitatem sibi perfectionis divinitus datam per imaginis dignitatem, in fine demum per operum expletionem perfectam sibi ipse similitudinem consummaret:* & illud è libr. 4. in Epist. ad Rom. *In initiis homo cum propositum fuisset, ut ad imaginem & similitudinem Dei fieret, ad imaginem quidem factus est, similitudo autem dilata est, ob hoc ut prius consideret in Deo, & ita fieret similis ei, & ipse audiret, quia similis ei fiet omnis qui confidit in eo.* Hanc imaginis & similitudinis distinctionem videtur perstrinxisse Methodius, cum scripsit in libro de resurrectione, datum fuisse homini à Deo, τὸ θεοειδὲς, καὶ θεοείκελον, καὶ πάντα πρὸς ἐκεῖνο ἀπηκριβωμένον πλὴ πρωτότυπον Ϙ παιδὸς, καὶ μονογενοῦς εἰκόνα· *Imaginem ac similitudinem Dei præferre, & omnia ad perfectam hanc Patris ac Vnigeniti primigeniam effigiem.* Reprehendit id quoque Jan- *Tom. 1. lib. 2. c. 7.*
senius, quasi per imaginem Dei Adamo impressam, animæ solum inspirationem notari putaverit Origenes; per similitudinem vero, habitualis gratiæ infusionem (Scholæ verba usurpamus;) ac proinde Origenem, nulla gratiæ hujus habitualis dote instructum in creatione tradidisse Adamum, atque eam ab actibus totam suspendisse; eoque multum de naturæ integræ

dignitate derogasse, in qua Adamus, cum in faciem ipsius spiravit Deus, Spiritum sanctum A accepit. Verum postremus ille Origenis locus ex proxime præcedenti explicandus est: unde apparebit vitam ipsum mortalem cum futura comparasse vita, & existimasse nos in illam prodeuntes, ab ortu præferre imaginem Dei, hoc est, ut ait ipse, *possibilitatem perfectionis divinitus datam*. tum cum crearetur Adamus; adumbratam vero per recte facta similitudinem, in sequenti ævo, sive *in consummatione*, omnibus numeris iri absolutum. Quod si imaginem Dei nihil aliud esse voluit Origenes, quam *possibilitatem perfectionis divinitus datam*, ut præ se fert Rufiniana interpretatio, sequitur ipsum neutiquam censuisse ea Adamum excidisse, quippe quem plena nunquam non libertate fruiturum esse sexcenties asseverarit. Eandem porro imaginis & similitudinis distinctionem retinuerunt Victorinus lib. 1. adversus Arium, & Eucherius Lugdunensis lib. 1. in Genesin, & Nicetas in Thesauro orthodoxæ fidei, B lib. 4 Hær. 31.

X. Ex superioribus lux conciliatur obscuro ac difficili Origenis loco Tom. 14. in Matth. pag. 356. ubi ab hominibus qui humo formati sunt, eos distinguit, qui ad Dei similitudinem fuere procreati: ὕστερον γάρ ποτε ἐκείνων, inquit, ἔπλασε κύριος ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἐπὶ τὸ πλευρὰς αὐτοῦ τὴν ἑσπέραν. Factos quippe ad imaginem Dei homines, interiores homines & spiritales intelligit, sensilium ac corporalium rerum contagione immunes. Unde statim adjicit: οὐδέ ποτε γὰρ γυνὴ κατ' εἰκόνα, οὐδὲ ἀνήρ. ἀλλ' οἱ μὴ διαφέροντες, ἄρρεν· οἱ ὑλικώτεροι, θηλύ· Qui carni autem dediti sunt, & fluxis ac sordidis rebus delectantur, eos esse statuit virum & uxorem, duos nempe in una carne. Similiter Philo hominem ex humo fictum ab eo sejungit & secernit, qui ad imaginem Dei creatus est; sed rem aliter explicat; hunc quippe ho- C minem esse vult & ἀρχέτυπον & νοητὸν, sive hominis ideam, quæ Dei menti inest; illum vero hominem esse mortalem ac terrenum, ad hujus formam expressum. Inique ergo consuleretur in Origenem, si ex eo loco Præadamitas invexisse homines argueretur, cum alias sæpe Adamum ab initio rerum à Deo creatum asserat, ac primum hominem appellet. Iniquius etiam consuleretur in ipsum, si ex hoc altero, quem exhibet Methodius apud Photium Cod. 235. erroris ejusdem insimularetur: οὔτε ἦν ἀπὸ ἀδὰμ, ὡς φασί τινες, πρότερον ὃν ὢν ὁ ἄνθρωπος, τότε πρῶτος πλασθεὶς εἰς κόσμον παρῆλθεν· οὔτε αὖ κόσμος πρὸ ἓξ ἡμερῶν τῆς τοῦ ἀδὰμ γενέσεως ἤρξατο δημιουργεῖσθαι· *Neque ergo ab Adamo, ut ajunt quidam, homo qui antea non erat, tunc primum formatus in mundum venit: neque rursum mundus ante sex dies quam fieret Adam, condi cœptus est.* Non hic quidem Præadamitas, ut dictum est, sed pejus quid fingit; nempe ante hunc mundum mundos D alios extitisse. Ait quippe Methodius ibi ipsum de Universi æternitate disserere.

QUAESTIO DECIMA TERTIA.

DE ALLEGORICA SCRIPTURÆ INTERPRETATIONE.

I. *Allegoriis nimis indulsisse Origenem Patres clamant.* II. *Varia afferuntur loca, in quibus literam visus est pessundedisse.* III. *A quibus morem hunc interpretandæ Scripturæ acceperit, exquiritur.* IV. *Idem aliquando suam literæ dignitatem* E *servat.* V. *Refelluntur Eustathii Antiocheni adversus Origenis allegorias querelæ.*

I. QUANDOQUIDEM Theologiæ fundamentum est Scriptura sacra, & ex perversis fere sanctorum Librorum interpretationibus hæreses profectæ sunt, plurimum Reipublicæ Christianæ interest, salvos eorum sartosque servare sensus, & nimium in ea explicanda ingenio suo permittentium hominum quorundam licentiam coërcere. Propositum id unice fuit vetustis Ecclesiæ Patribus, ut ex perpetuis illorum adversus Scripturæ corruptores velitationibus intelligimus; adeo ut Origenes, quod in divinis Voluminibus edisserendis pessundato nonnunquam, vel neglecto historico sensu, allegori- F cis expositionibus rei veritatem oblimasset, multorum insimulationes vivus vidensque expertus sit, ut ipse queritur Homil. 13. in Genes. *Si ergo incipiam & ego*, inquit, *Veterum dicta discutere, & sensum in eis quærere spiritalem, si conatus fuero velamen Legis amovere, & ostendere allegorica quæ scripta sunt, fodio quidem puteos; sed statim mihi movebunt calumnias amici literæ, & insidiabuntur mihi, inimicitias continuo, & persecutiones parabunt, veritatem negantes stare posse nisi super terram.* Et quoniam perlate patet iste error, multorumque errorum veluti seges est, idcirco è novem criminationibus à Pamphilo in Apologia collectis, quarta & sexta eo pertinere reperiuntur. Theophilus quoque Paschal. 1. *Quæ enim illum ratio*, inquit, *quis disputationum ordo perduxit, ut allegoriæ umbris & cassis imaginibus Scripturarum tolleret veritatem?*

A tem? *Veritatem historiæ*, ait Epiphanius Epist. ad Joh. Hieros. cap. 2. *allegoria depravans mendacio infinita verba multiplicat*: quod eidem objicit Hær. 64. cap. 4. adjicitque ad falsarum opinionum præsidium testimonia Scriptoribus sacris perperam afficta ab eo afferri. Eadem de caussa hunc culpat Hieronymus in Epist. 61. ad Pammach. cap. 3. At in cap. 10. Danielis, nomini Origenis pepercit, rem ipsam coarguit. Coarguunt & Basilius Hom. 9. in Hexaëm. & Chrysostomus Homil. 13. in Genes. & Augustinus libr. 13. de civit. Dei, cap. 21. & libr. 8. de Genes. ad liter. cap. 1. & Anastasius Sinaita libr. 7. Anagog. Contemplat. & Michaël Glycas Annal part. 4. & Nicetas Choniates in Thesauro orthod. fid. libr. 4. Hær. 31. & his omnibus antiquior Eustathius Antiochenus in libro de engastrimytho; cujus incursiones in Origenem & assultus infra retundemus.

B II. Jurené an injuria lis ea adversus Origenem mota sit, videamus. Sæpe quidem historicum sensum proculcandum ac contemnendum esse docet: velut libr. 6. contr. Cels. τὸ γράμμα ἀποκλείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. γράμμα μὲν τὴν ἀφὴν τῶν ὠμάσεν ἐκδοχὴν τοῦ θείου γραμμάτων, πνεῦμα δὲ τὴν νοητήν. Ibidem imperitiæ eos arguit qui rebus procreandis sex veros dies Deum insumsisse putant: & libr. 7. refellens Celsum, qui instituta quædam Christi Mosaicæ Legi contraria esse pugnabat, duplicem esse Legem respondet, alteram juxta literam, alteram juxta intellectum: Legem quæ est πρὸς τὸ ῥητὸν, ab Ezechiele appellari δικαιώματα οὐ καλά· Ezech. 20. καὶ πρόσταγμα οὐ καλὰ. at Legem quæ est πρὸς διάνοιαν, ab eodem Propheta δικαιώματα καλὰ, & πρόσταγμα καλὰ nuncupari. Idem Homil. 6. in Genes. *Quæ nobis*, inquit, *ædificatio erit legentibus Abraham tantum Patriarcham, non solum mentitum esse Abimelech Regi, sed & pudicitiam conjugis prodidisse? Quid nos ædificat tanti Patriarchæ uxor, si putetur contaminationibus exposita per conniventiam maritalem? Hæc Iudæi putent, & si qui cum eis sunt literæ amici, non spiritus:* & Homil. 10. sequenti: *Sæpe jam dixi, quod in his non historiæ narrantur: sed mysteria contexuntur.* Homilia vero 2. in Exod. *Si secundum historiæ narrationem suscipienda essent quæ scripta sunt, videtur hoc quod dicit Scriptura, quia non fecerunt obstetrices secundum quod præceperat ei Rex Ægypti, stare non posse*: & paulo post: *Hæc interim propter eos qui amici sunt literæ, & non putant Legem spiritalem esse, & spiritaliter intelligendam. Sed nos qui omnia quæ scripta sunt, non pro narrationibus antiquitatum, sed pro disciplina & utilitate nostra didicimus scripta, &c.* & deinde: *Quia timebant obstetrices Deum, fecerunt sibi domos: quod dictum nullam consequentiam secundum literam habere potest*: & postea: *Nolite putare, ut sæpe jam diximus, veterum vobis fabulas*

D *recitari, sed doceri vos per hæc, ut agnoscatis ordinem vitæ.* Homilia sequenti hæc scribit: *Et tu ergo nisi ascenderis ad montem Dei, & ibi occurreris Moysi, id est nisi excelsum Legis ascenderis sensum, nisi ad spiritalis intelligentiæ cacumen evaseris, non est os tuum apertum à Domino. Si in humili loco literæ steteris, & historiæ textum Iudaicis narrationibus innectas, non occurristi Moysi in montem Dei, nec os tuum aperuit Deus, neque instruxit te quæ oporteat te loqui.* Homilia 11. in librum eundem talia quoque offendas. *Si quis est, qui legens Moysen murmurat adversus eum, & displicet ei Lex quæ secundum literam scripta est, quod in multis non videtur servare consequentiam, ostendit ei Moyses Petram, quæ est Christus, & adducit eum ad ipsam, ut inde bibat, & reficiat sitim suam.* Homilia 3. in Levit. Judæos inepte & inutiliter servasse ait præceptum, quo immundorum & ca-

E daverum contactos prohibetur, atque id allegorice intelligendum esse tradit, quod & in Homil. 7. in Levit. multis inculcat. Præterea Homilia eadem 3. præceptum Levitici exponens, quod pro peccato non spontaneo arietem immaculatum siclo sancto emptum offerri jubet, secundum literam absurdum id esse decernit, & ad spiritualem expositionem trahit. Homilia 4. ad mandatum de azymis, quæ quisquis retigerit, sanctificatum iri Lex sancit, sic ait: *Enimvero nullo modo vel rei natura, vel veritas religionis hoc recipit, & ideo redeundum nobis est ad expositiones Evangelicas atque Apostolicas, ut Lex possit intelligi. Nisi enim velamen abstulerit Evangelium de facie Moysi, non potest videri vultus ejus, nec sensus ejus intelligi. Vide ergo quomodo in Ecclesia Apostolorum discipuli adsunt his quæ Moyses scripsit, & defendunt ea, quod & impleri queant, & rationabiliter scripta sunt: Iudæorum vero Doctores, & impossibilia hæc & irrationabilia*

F *sequentes literam faciunt*: quibus consimilia habentur Homil. 9. in Josue. Hæc insuper commentatur Homilia 5. in Levit. ad Moysis præceptum de hostia pro peccato, quod extat Lev. 6, 25. & seq. *Hæc omnia nisi alio sensu accipiamus, quam literæ textus ostendit, sicut sæpe jam diximus, cum in Ecclesia recitantur, obstaculum magis & subversionem Christianæ religioni, quam rationem, ædificationemq; præstabunt.* Addit postmodum Scripturam constare corpore, anima, & spiritu; literam nimirum sensu, qui intra ipsam deprehenditur, & umbra quadam rerum cœlestium; corpus usui fuisse iis qui nos præcesserunt, nobis animam, spiritum iis qui cœlestem hæreditatem consequentur: multis deinde interjectis ait: *Triplicem namque in Scripturis divinis intelligendæ inveniri sæpe diximus modum, historicum, moralem, & mysticum: unde & corpus inesse ei, & animam, ac spiritum intelleximus.* Apertissimum vero quod legitur Hom. 7. in Lev. *Si adsideamus literæ, & secundum hoc vel quod Iudæis, vel id quod vulgo videtur, accipiamus quæ in Lege scripta sunt, erubesco dicere & confiteri, quia tales Leges dederit Deus: videbuntur enim magis elegantes,*

& rationabiles hominum Leges, verbi gratia, vel Romanorum, vel Athenienſium, vel Lacedæmoniorum. Si vero ſecundum hanc intelligentiam, quam docet Eccleſia, accipiatur Dei Lex, tunc plane omnes humanas ſupereminet Leges, & vere Dei Lex eſſe creditur. Homilia 6. in Iſaiam aliqua aſſerit haberi in Evangeliis, quæ juxta literam falſa ſint & mendacia; quale illud Servatoris eſſe dixit: *Si crediderit us, non ſolum quæ ego facio facietis, ſed & majora horum facietis*: at juxta ſpiritalem ſenſum, majora Chriſti operibus opera Apoſtolos edidiſſe; Chriſtum quippe homines *corporaliter*, hos *ſpiritualiter* ſanaſſe. Tomo 10. in Johann. pag. 150. veritatem Evangeliorum ſervari, eorumque diſſonantiam ſolvi nonniſi per anagogen poſſe ſcribit: & in Joh. 2. 13, & ſeq. p. 173, 174. dubitat, reverane nummularios & propolas Templo exturbarit Chriſtus, uti Evangelia narrant: quemadmodum columbas & turtures pro Chriſto oblatos, aliud aliquid quam volucres, *divinum*, ſcilicet *quiddam*, *& humana contemplatione auguſtius* fuiſſe conjectat Homil. 14. in Luc. Quendam præterea ejus locum in Gen. 3, 21. Catenæ afferunt, in quo poſtquam multis diſſeruit de ſcorteis tunicis, ita demum concludit: λεκτέον ὅτι οὐ δεῖ προσέχειν τῷ γράμματι τῆς γραφῆς, ὡς ἀληθῶς. τὸ γὰρ κεκρυμμένον θησαυρὸν ἐν τῷ γράμματι ζητεῖν. *Dicendum non adhærendum eſſe literæ Scripturæ, quaſi vera ſit, ſed occultum in litera theſaurum eſſe inveſtigandum.* Denique Socrates quantumlibet Origeniani nominis ſtudioſus, ſic tamen ſcribit: ὅτις (ὠφελήσῃς) σοφὸς ὢν διδάσκαλος, καὶ κατιδὼν ὅτι τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου μοϋσέως ἀστεῖος φρὸς τὸ γράμμα ἐπισοβῆναι, τὸν περὶ τοῦ πάσχα λόγον εἰς διανοίαν ἀνήγαγεν ἐν πάσχα μόνον ἀληθινὸν γενῆσθαι λέγων, ὅπερ ὁ σωτὴρ ἐπετέλεσεν ἐνεργήσας καθ' ἑαυτὸν ἀντικειμένων δυνάμεων διὰ τοῦ προσομιλῆσαι τῷ σαυτοῦ, τροπαῖόν τοῦτο κατὰ τοῦ διαβόλου χρεσάμενος. *Socr. libr. 5. c. 21.* Quæ ſic interpretatur Epiphanius Scholaſticus: *Qui cum ſapiens eſſet magiſter, & conſideraret quod impoſſibilitas Moſaicæ legis ad literam eſſet infirma, rationem Paſchæ ad modum contemplationis evexit, unum Paſcha ſolummodo verum fieri dicens, quod Salvator celebravit adverſus contrarias poteſtates, dum crucem ſuſciperet, & hoc trophæo uteretur contra Diabolum.* Sed quoniam huic argumento totum libri 4. περὶ ἀρχῶν caput 2. conſecravit, ſummam capitis hujus, quod in Philocalia Græce ſcriptum habetur, huc referre operæ pretium eſſe duco. Primum igitur ad allegoricam Scripturæ interpretationem adſtruendam, Judæorum imperitiam caſtigat, quibus quo minus Chriſtum ſuſciperent, impedimento fuere diverſa Scripturæ vaticinia, quæ quamvis allegorice ad Chriſtum pertinerent, eadem tamen juxta literam accipientes, in Jeſu minime completa putaverunt. Addit eundem Scripturæ interpretandæ modum Valentinianos, Marcioniſtas, aliosque Hæreticos compuliſſe ut geminum admitterent Deum, juſtum alterum mundi Opificem, bonum alterum Chriſti Patrem; nec non & ex Orthodoxis quosdam, ut male de Creatore ſentirent. Fatendum inſuper ait, multa quidem myſtica, & figuris involuta in Scripturis contineri: quæ tamen illa, & cujusmodi ſint ignorari; tum nonnulla recenſet, quæ myſteriis ſcatere ita contendit, ut literæ ſenſum neutiquam repudiare videantur. Non Prophetarum autem libris, ſed Novi etiam Inſtrumenti Voluminibus occultos & reconditos ſenſus ineſſe dicit. Cum homine poſtmodum, qui corpore, anima, & ſpiritu conſtat, Scripturam confert, corpore itidem, hoc eſt communi & hiſtorico ſenſu conſtantem; anima quoque, ſublimiori nempe ſenſu; ac demum ſpiritu, profundiſſimo ſcilicet ſenſu & reconditiſſimo. Tum ſubjungit hiſtoricum aliquando ſenſum non reperiri, ſed animam ſolum, & ſpiritum, id quod variis Apoſtoli locis approbat; ac ne hæc quidem omnibus obvia eſſe, ſed iis duntaxat, qui in Scripturæ meditatione ſubacti diuturno ſtudio fuerint. Ait deinde myſteria hominibus tradere volentem Spiritum ſanctum, ea hiſtorici ſenſus integumentis implicuiſſe, qui reconditioris doctrinæ penus tantum & promtuarium eſt: quem ne quis interioris & occultæ doctrinæ præceptis vacare putaret, *iſta de cauſſa procuraſſe divinam ſapientiam offendicula quædam, vel intercapedines intelligentiæ fieri hiſtoriales; impoſſibilia quædam & inconvenientiam per medium inſerendo, ut interruptio ipſa narrationis velut obicibus quibusdam legenti reſiſteret objectis, quibus intelligentiæ hujus vulgaris iter ac tranſitum negaret*, & ita ad alium tramitem, celſiorem nempe & eminentiorem diverteremus; multa igitur hujusmodi haberi in Scriptura, *vel minus geſta, vel quæ omnino geri non poſſent; interdum etiam quæ poſſent quidem geri, nec tamen geſta ſunt*; præcipue vero in Lege, quæ multa habet, *in quibus nulla prorſus ratio utilitatis oſtenditur; interdum vero & impoſſibilia decernuntur*; ſed & in toto Veteri ac Novo etiam Teſtamento. Hinc varias Scripturæ tangit hiſtorias, in quibus hiſtorici ſenſus veritatem fruſtra requiri affirmat; fruſtra, exempli cauſſa, exiſtimari tres priores ab orbe condito dies fuiſſe ſine Sole, Luna, & Stellis; priorem etiam ſine cœlo, quod ſupra jam excuſſimus: inepte quoque & inſulſe credi Deum in Paradiſo plantaſſe arbores, & eam quæ vitæ dicitur, & quæ ſcientiam boni & mali continere; Deum poſt meridiem ambulaſſe in horto, & Cainum à facie Dei exiviſſe, quæ à nobis fere tractata ſunt: multa ejusmodi poſſe col'igi è Scripturis, *quæ ſcripta ſunt quidem tanquam facta; non tamen ſecundum hiſtoriam competenter & rationabiliter fieri potuiſſe, credenda ſunt*: hujus generis eſſe, quod narrat Evangelium, in excelſum montem à Diabolo Jeſum eſſe ſubvectum, ut uni-

A universa mundi regna inde ei monstraret: & quod præcipit Moyses exterminari omne masculinum, quod octavo die non fuerit circumcisum: & Tragelaphum inter munda animalia, Gryphum inter immunda haberi; cum hic ab homine non possit capi, ille ne esse quidem: licet Gryphes & Tragelaphos & esse & capi proditum sit à Veteribus: sabbatho item loco suo non moveri, nec onus levare; & quod habent Evangelia: *Neminem in via salutaveritis*; duas neutiquam habendas tunicas nec calceamenta: dexteram percutienti maxillam, sinistram esse præbendam, *cum omnis*, inquit, *qui percutit dextra manu sinistram percutiat maxillam*; oculum, qui sit offensioni & scandalo, eruendum; non adducendum amputatum præputium: quæ omnia à se allata esse scribit, ut intelligamus res non solum rationi contrarias, sed etiam quæ fieri minime possint, in litera contineri. Subnectit postea
B non omnem idcirco sese historiæ sensum aspernari, cum *multo plura sint, quæ secundum historiam constant, quam ea qua nudum sensum continent spiritalem*; cujusmodi nonnulla commemorat, puta Decalogi præcepta. Deinde vero multam adhibendam ait cautionem & diligentiam, quo mysticus sensus à sensu literæ discernatur; tum notam hanc ac regulam ad id utilem proponit; quotiescunque de Hierusalem, vel Judæa, vel Israële, vel Jacob vaticinantur aliquid Prophetæ, hoc ex ipsius Pauli instituto ad cœlestem Hierusalem, vel Judæam, vel Israëlem, vel Jacob anagogice esse referendum; & pari etiam modo quæcunque de Ægypto, Babylone, Tyro, & Sidone prædictum est: cum in cœlo loci sint terrenis istis cognomines, ac locorum istorum incolæ, animæ videlicet. Denique multis interpositis sic concludit: *Sunt quædam quorum significationem proprie nullus omnino potest humanæ*
C *linguæ sermonibus explicare, sed simplicitore magis intellectu, quam ullis verborum proprietatibus declarantur. Ad quam regulam etiam divinarum literarum intelligentiam retinenda est, quo scilicet ea quæ dicuntur, non pro utilitate sermonis, sed pro divinitate sancti Spiritus, qui eas conscribi inspiravit, censeantur.*

III. Primus hunc interpretandæ Scripturæ morem Origenes non invexit. Scribit Eusebius lib. 2. Histor. Eccles. cap. 17. multa Philonem de Therapeutis (qui Ascetæ erant Christiani Ægyptum incolentes) commemorare: sed illud præcipue, totos in meditatione Philosophiæ dies traducere solitum fuisse ipsis, & in præceptis sapientiæ sibi traditis allegorice explicandis; quippe qui verba existimarent signa esse rerum abditarum, quæ allegoriarum ope sint eruendæ: atque hanc porro consuetudinem Therapeutas illos à majoribus accepisse,
D ὁι τῆς αἱρέσεως τύτων ἀρχηγέ) γεγράφθαι, πολλὰ μνημεῖα τ ἐν τοῖς ἀλληγορεμένοις ἰδέας ἀπέλιπον. *Qui sectæ ipsorum auctores multa monumenta doctrinæ in allegoriis posita reliquerunt.* Hoc ipsum clarius Philonem his verbis repetere ait aliquibus interjectis Eusebius: αἱ δὲ ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων γίνον) αὐτοῖς δι ὑπονοιῶν ὸν ἀλληγορείας. ἅπασα γὰ ἡ νομοθεσία δοκεῖ τοῖς ἀνθρώποις τύτοις ἐοικέναι ζώῳ. ἣ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς λέξεις, ψυχὴν ὸ τ ἐναποκειμένον νοῦν τ λέξεσιν ἀόρατον νῦν. *Interpretantur autem sacras Scripturas figurate per allegorias. Universa quippe Lex viris illis animali similis esse*
videtur: & corpus quidem ipsa esse verba, animam autem esse delitescentem & occultum sensum, qui aspectari non potest. Quam similitudinem Origenes quoque usurpavit, ut superius dictum est. Itaque si stare velimus id quod scribit de Philone Photius Cod. 105. ἐξ ὧ, οἶμαι, ἅπας ὁ ἀλληγορικὸς τ γραφῶν ὸν τῇ ἐκκλησίᾳ λόγ ἔσχεν ἀρχὴν εἰσρυῆναι. *Ex eo, opinor, omnis allegorica Scripturæ*
E *interpretandæ ratio in Ecclesiam irruendi habuit initium*; & quod ait Bellarminus, Testamenti Veteris Scripturas Philonem primum exposuisse, ita accipiendum est, primum eorum esse Philonem, quorum expositiones in Testamentum Vetus ad hanc ætatem pervenerunt. Cum veteres ergo Therapeutæ majorum suorum instituta persequentes Scripturam allegoricis explanationibus illustrarent, hanc ab illis consuetudinem accepisse Philonem ipsum verisimile est, cujus luculentæ in Scripturam allegoriæ supersunt. Aristobulus quoque Judæus Philone vetustior Commentariis suis in Pentateuchum Mosis, allegorias inseruerat. At Porphyrius apud eundem Eusebium libr. 6. Histor. cap. 19. refert, Origenem ex assidua librorum Chæremonis Stoici, & Cornuti tractatione, haustum hunc allegoriarum modum ad Scripturas sacras transtulisse. Cur non & eo impulsum dicam Metrodori Lampsaceni exem-
F plo, quem narrat Tatianus totum Homerum in allegorias traxisse, & Heraclidis Pontici Homericarum allegoriarum scriptoris? Equidem præter superiora Paulum præcipue Origeni auctorem fuisse censeo, cur allegoricas expositiones sectaretur: is namque in Epistola ad Galatas per allegoriam dicta scisciit, quæ in Scriptura de Isaaco & Ismaële, hoc ex ancilla nato, illo è libera, commemorantur. Inde Origenes lib. 4. contr. Cels. νύμφας τε ἢ θεραπαινίδας ἀναγκαίως δὴ προπολογίαν ὐχ' ἡμεῖς διδάσκομεν, ἀλλ' ἄνωθεν ὑπὸ σοφῶν παρειλήφαμεν. ἂν εἴς τις ἔφασκε διηγεῖσθαι τ ἀκροατὴν δὴ προπολογίας· λέγετέ μοι ὁι τ νόμον ἀναγινώσκοντες, τ νόμον ὐκ ἀκύετε: quæ verba habentur Gal. 4. 21. Itaque arcessitis è Paulo testimoniis allegorias suas tueri consueverat Origenes; velut illo Pauli è 1. Cor. 10. 4. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus*: & isto è 2. Cor. 3. 6. *Qui & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non literæ, sed spiritus: Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat*: & reliquo capite, ac sequenti, ex quo illud

præcipue usurpabat: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus*; & hoc etiam è Col. 2. A 16, 17. *Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei, aut neomeniæ, aut Sabbathorum: Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, aliisque multis, quæ libr. 4. de princip. cap. 2. & libr. 4. contr. Cels. recitantur. Nonnulla quoque Johannes, nonnulla etiam Christus Dominus ad allegoriam trahenda docuit: quibus exemplis fretus Origenes in allegorias poterat excurrere, si modum tenuisset. At Celsus ejusmodi interpretationes in calumniam trahebat, cum diceret multa in Scripturis haberi honestati morum parum consentanea, iisque allegoriarum prætextum à Judæis & Christianis consulto obtendi, cum omnem tamen allegoriam respuerent, ac meræ essent fabulæ. Respondet Origenes in eam sententiam, quasdam historias historicum complecti sensum, quasdam dedita opera ad id esse scriptas, ut allegorice interpretentur: cui multis Scripturæ locis fidem facit. Tum quia adjecerat B Celsus conscriptas in Libros sacros allegorias turpes esse & absurdas, hoc in Philonis vel Aristobuli Commentarios jactum suspicatur Origenes ab impuro Sophista, quamvis multa inde Græci Philosophi suos in usus excerpserint: Numenium quoque Pythagoreum, πολλαχοῦ δὲ συγγεγραμμένων ἀπὸ ἐκλιθέμβρου τοῦ μωϋσέως καὶ τῶν προφητῶν, καὶ ὡς ἀπιθάνως αὐτοῦ προπολογοῦντος. Atque hæc Adamantio ad interpretandam allegorice Scripturam alluxisse facem reperio. Quo eum etiam perpulit præbita à Marcione occasio, pestifero Hæretico, qui cum perpetuis velitationibus conflictabatur: is enim cum allegorias à Scripturæ expositionibus penitus excluderet, ejus oppugnandi studio contraria omnia secutus est, allegoriisque consulto indulsit. Quod & adversus literæ sectatores factum ab eo conjicere licet ex iis quæ Homilia 14. in Levit. ipse conscripsit. C

IV. Attamen accuratius scripta ejus evolventi multa occurrent, in quibus suam literæ dignitatem servat, & de ea æqua ac recta scribit; historicum in aliquibus admittens sensum, allegoricum in pluribus, in multis utrumque. Quid usitatius illi ad populum peroranti, quam mysticæ expositioni interpretationem literæ veluti fundamentum substernere? Homilia quidem priore in Genesin versum 27, & 28. primi capitis edisserens ab explanatione literæ auspicatus ad allegoriam transit. Homilia sequenti verba facturus de fabrica arcæ Noiticæ: *Primo omnium*, inquit, *videamus quæ de ea secundum literam referuntur, & quæstiones proponentes quæ objici à pluribus solent, etiam absolutiones earum ex his quæ nobis sunt à majoribus tradita, requiramus; ut cum hujuscemodi fundamenta jecerimus, ab historiæ textu possimus ascendere ad spiritalis intelligentiæ mysticum & allegoricum sensum, & si quid in eis arcanum continetur,* D *aperire.* Homilia 7. in Genes. de Isaaco & Ismaële agens Apostolum narrat allegorice interpretandam eorum historiam censuisse; tum ait: *Quid ergo? Isaac non est secundum carnem natus? non cum peperit Sara? non est circumcisus? hoc ipsum quod ludebat cum Ismaele, non in carne ludebat? Hoc est enim quod mirabile est in Apostoli sensu, quod de quibus non potest dubitari, quin secundum carnem gesta sint, hæc ille dicit esse allegorica: ut nos quid faciendum sit in cæteris noverimus, & in his maxime, in quibus nihil divina lege dignum historica videtur indicare narratio.* Homilia 14. in Levit. *Cum Scripturas quis legit, & literam quidem sequitur, intellectum autem repudiat spiritalem, hic matrem quidem Israelitam habet, id est literam; sensum vero, quia spiritalem non sequitur, sed carnalem, isti est Ægyptius pater*: & mox: *Nos vero qui ex utroque genere Israelitæ sumus, & literam, & spiritum in Scripturis sanctis defendimus.* Totam vero in ejus rei tractatione E Homiliam contrivit, quæ undecima est in Num. ubi de primitiarum oblatione disputans, *Hanc ergo Legem*, inquit, *observari etiam secundum literam, sicut & alia nonnulla, necessarium puta.* Posteà sic ait: *Sunt qui ita dicant, quia si aliquid Domino observandum est secundum literam, cur non & cuncta serventur? Si vero ad spiritalem intelligentiam, quæ Lex continet, referenda sunt, nihil omnino secundum literam, sed spiritaliter debent universe discerni. Nos autem utriusque assertionis insolentiam temperantes, qualis regula in hujuscemodi Legis sermonibus observanda sit, ex auctoritate divinarum Scripturarum proferre tentabimus.* Tum haberi dicit in Scriptura Leges, mandata, justificationes, præcepta, testimonia, & judicia, à se invicem discreta & diversa, quæ neutiquam permiscenda & confundenda sint, licet hæc omnia nonnunquam unico Legis nomine significentur: Legem ergo, juxta Apostolum, umbram habere futurorum bono- F rum; reliqua non item: *hæc ergo singula, quæ nequaquam penitus secundum literam observanda dicit Apostolus, omnia fere apud Moysen sub Legis titulo designari*: quæ autem mandati nomine censentur, puta ista hæc: Non occides, non adulterium facies, non furaberis, & reliqua hujusmodi, secundum literam esse observanda; nam *quid opus est in his allegoriam quærere, cum ædificet etiam litera?* inde sic concludit: *Ostendimus ergo esse quædam quæ omnino non sunt servanda secundum literam Legis, & esse quædam quæ allegoria penitus immutare non debet, sed omnimodo, ita ut Scripturæ de iis continent, observanda sunt.* Ostendit postmodum aliqua secundum literam servanda esse, & allegoricũ tamen sensum complecti, velut illud: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, quod juxta Apostolum & mysteria continet, & secundum literam observandum est. In hoc etiam censu ea collocat quæ de

Ismaële

A Ismaële & Isaco in Scripturis tradita ad allegoriam Paulus retulit, & quæ de primitiis offerendis sanciuntur. Subjungit denique: *Ostendimus, (ut opinor) auctoritate Scripturæ divinæ, ex iis quæ in Lege scripta sunt, aliqua penitus refugienda esse, & cavenda, ne secundum literam ab Evangelii discipulis observentur; quædam vero omnimode, ut scripta sunt, obtinenda; alia autem habere quidem secundum literam veritatem sui, recipere tamen utiliter & necessario etiam allegoricum sensum. Atque eorum discretionem sapienti Scripturarum interpreti permittit.* Constat certe plerisque locis sensum utrumque admittere Codices sacros, ut testis est ipse Paulus 1. Corinth. 10. 1. & Galat. 4. 24. constat & illud, solam in nonnullis allegoriam esse requirendam; quidquid contra obtendant Scholastici quidam; velut ubi de spontanea sui ipsius castratione Christus loquitur: atque in istis verum est quod ait Hieronymus

B Apolog. 1. in Rufin. cap. 6. *Quando dico tropicam intelligentiam, doceo verum non esse quod dicitur, sed allegoriæ nubilo figuratum.* Non alium autem aliis inesse sensum quam historicum censent aliqui. At Origenes etiamsi hunc solummodo in aliquibus requirendum esse sensum putet, ne hæc quidem tamen mysteriis vacare existimat; hujus enim illud pronuntiatum est Homil. 1. in Exod. *Ego credens verbis Domini mei Iesu Christi, in Lege & Prophetis jota quidem unum, aut unum apicem non puto esse mysteriis vacuum, nec puto aliquid horum transire posse, donec omnia fiant.* Unde libr. 4. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. pleraque Scripturæ sacræ mysteria hominibus ignorabilia esse fatur. Perpauca quidem, sed ad purgandum Origenem satis appositа protulit Apologiæ auctor è libr. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 2. magna exparte petita, in quibus Veteris Testamenti historias, non fictitias, sed veras esse prædicat,

C & abiis necessario admittendas, qui salutem adipisci cupiunt. Quid quod historicam sæpe, mysticam, & moralem in Scriptura expositionem rimatur; velut Homil. 17. in Genes. disserens de benedictionibus Patriarcharum; *Quæres*, inquit, *nobis tripartitam (ut in aliis fecimus) explanationis materiam subjicit, ita ut benedictiones historiæ locum servent; prophetia vero mysticum atque dogmaticum; quorum correptio & objurgatio moralem dirigat stylum*: atque triplicem hanc explanationem in reliqua Homilia persequitur. Quæ quidem in Origenis gratiam ab Interpretibus conficta & interpolata ne caussere: ecce enim tibi illum Tomo 15. in Matth. p. 382. dictum hoc Christi: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, ad allegoriam, spreta litera converti vetantem, & ne quis id attentare audeat, historiis Ethnicorum quibusdam absterrentem.

D V. His animadversis facilis est jam dijudicatio, æquane censura Origenem vexaverit Eustathius Antiochenus, qui acerrime præ reliquis ipsius allegorias insectatus est in Diagnostico de engastrimytho. Ac primum id queritur, eum cætera allegoriis alioqui pervertere solitum, Deos illos quos de terra ascendentes videre se, Sauli dicebat Pythonissa 1. Reg. 28. 13. ad literam exposuisse. Profecto de illa Samuelis evocatione idem quod Origenes plurimi tradiderunt; ut dicemus infra. In eo autem quod Angelum simul cum illo ascendisse ratus est, multorum quoque juvatur suffragiis, qui Angelos ψυχοπομπὲς animabus adjungunt, quemadmodum superius ostendimus. Nullam ergo sui carpendi ansam hic obtulit. Difficilior ejus foret defensio, si id objecisset, quod à multis objici solet, omnia eum fere in allegoricum traxisse sensum, præterquam illud Sospitatoris, quo vo-

E luntariam sui ipsius, cœlestis regni consequendi caussa, exectionem commendat, & illud quo unicam servandam tunicam, abjicienda calceamenta, in crastinum neutiquam prospiciendum esse ait; quæ allegoricam tamen interpretationem maxime omnium postulabant. Attamen temerarius juvenilis ætatis calor excusationi est, quo vigente talia attentavit; sed prodeuntibus annis mutasse consilium id mihi persuadet, quod spontaneam castrationem damnaverit Tom. 15 in Matth. p. 368. ut alibi à nobis observatum est. Alterum id expostulat Eustathius, quod Paradisum terrestrem, & fructiferas Paradisi arbores allegorica expositione aboleverit. Hoc ipsum fere criminati sunt, quotquot allegoricas ipsius interpretationes damnasse notavimus. At patrocinatur Philo Judæus, è cujus libris

F περὶ κοσμοποιίας, & Allegor. Leg. 1. suam de Paradiso sententiam mutuatus est. Futilis est sequens Eustathii cavillatio in vocabulo μῦθος, quo Paradisi historiam Origenes appellavit; cum Grammatici sciant μῦθος nomine res quoque vere gestas significari, quemadmodum Historiarum nomine fabulæ quoque nonnunquam intelliguntur. Propertius libr. 4. Eleg. 1. *Hactenus historiæ*, cum Trojæ fabulas fuisset persecutus. Pergit conqueri Eustathius, quod effossos ab Abrahamo puteos in allegoriam derivaverit, qui sua tamen ætate supererant. Verum vel illud postremum iniquam ejus criminationem satis refellit; nam Origeni qui tot in Judæa transegit annos, ignoti esse non potuerunt hi putei; tamne vero projecti ipsum pudoris fuisse credemus, ut rem in propatulo positam, & omnium oculis obviam, commentitiam esse ac fictitiam affirmaverit? Isaaci præterea & Rebeccæ res gestas immutasse eum refert. Certe Homilia 10. in Genes. quam hic designasse videtur Eustathius, id habet Origenes: *Sæpe jam dixi, quod in his non historiæ narrantur, sed mysteria con-*

texun-

texantur: quod ita intelligo, narrari historias quidem, sed non tam id agi, quam mysteria contexi: cum & Homilia 15: in Genes. Scripturam asserat, non tantum historicis servire narrationibus, quantum rebus & sensibus mysticis. Sin secus sensit, Eustathii querelam probo. Dictum illud quoque de iis velim, quæ peccata ab eo circa Jobi historiam idem ait. »Iniquum vero prorsus & ineptum est quod subjicit, perperam ab Origene Lazarum, quem propter virtutem Christus diligebat, in hominem peccatis laborantem anagogica interpretatione fuisse mutatum. Consulat Lector Tomum 28. in Johann. pag. 349. Origenem culpa immunem comperiet: nam postquam Lazari historiam, juxta literam, fuse explicavit, hac præterea homines signari addit, qui peccatis admissis, amicitia cum Jesu prius contracta, quæ animæ vita est, excidunt, & novis rursum gratiæ auxiliis excitati eandem recuperant. Aliud est autem laborare peccatis, aliud hominis peccatis laborantis imaginem gerere; postremum hoc Lazaro tribuit Origenes, prius vero minime. Quid ad sequentia porro respondeam, non habeo, in quibus insimulatur Adamantius, quod contra Evangelii auctoritatem Judæos negavit lapides in Christum jaciendos sustulisse, remque ad Tropologiam detorserit: nam vetustate imminutis Commentariis in Johannem, pars illa intercidit, in qua hæc Evangelii narratio explanatur. Quomodo ergo ab Origene accepta sit, incertum est. Denique ægre Eustathio est, quod argumentis ex nominum interpretatione petitis, in allegorias Adamantius nonnunquam excurrat, cum duo sæpissime homines moribus & ratione vitæ penitus discordes idem tamen nomen gerant. At non tam inde allegorias Origenem arcessere verum est, quam aliunde petitas hoc insuper argumento, quantumvis levi confirmare.

QUAESTIO DECIMAQUARTA ET ULTIMA.

QUÆSTIUNCULAS ALIQUOT QUASI PER SATURAM COMPLEXA.

I. *Quæritur Origenis sententia de ligandi & solvendi potestate Sacerdotibus concessa.* II. *Excutitur ejusdem de Eucharistia opinio.* III. *Quædam ipsius de matrimonio dogmata notantur.* IV. *Utrum magicis artibus faverit, exploratur:* V. *& de Engastrimytho quid statuerit;* VI. *ecquid de mendacio,* VII. *& de jurejurando.*

I. POSTREMAM hanc quæstionem aperiet brevis de Sacerdotum potestate, juxta Origenis sententiam, disputatio. Is Tomo 12. in Matth. pag. 279. scribit potestatem clavium habere Episcopos, & quæ ab ipsis vel ligata vel soluta sunt in terris, ligata esse & soluta in cœlo; si modo Petri virtutes æmulentur: sin peccatorum vinculis alligati teneantur, frustra eos ligare & solvere. Quod si meritis licet ac pietate inferiores Petro, nihilominus ligatum iri sperent in cœlo, & solutum, quæ in terris ligaverint & solverint; legitimum eos Scripturarum ignorare sensum, & superbia excæcatos esse. In hunc locum annotat Sixtus Senensis alludere Origenem ad errorem ab Hussitis postmodum propugnatum, qui Papæ & Episcoporum potestatem ex morum sanctitate pendere volebant, ut quotiescunque peccando fierent Petri dissimiles, una potestatem ipsius amitterent; damnatumque hunc esse à Trid Syn. Sess. 14. Can. 10. his verbis: *Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, anathema esto.* Assentior Sixto, & peccare ajo Origenem, atque hanc videri amplecti hæresin, in qua deinde versati sunt Donatistæ, cum à Sacerdotum sanctitate Ecclesiæ potestatem suspenderunt. Attamen commodam hæc possunt interpretationem admittere. Fruſtra, inquit, ligandi vel solvendi potestatem sibi arrogant Episcopi, quæ Petro præcipue concessa est, nisi eadem qua Petrus sanctitate & æquitate floreant: hoc est, nisi eandem quam Petrus æquitatem in solvendo & ligando adhibeant. Cum ergo tam sancte jure suo Petrus uteretur, ut eos tantum criminibus solveret, qui id pœnitentia sua & pietate essent promeriti, solos noxios ligaret; si quis Episcopus Petro dissimilis potestate abutens sua insontes ligaverit, indignos solverit, non perinde in cœlo se res habebit. Subsidio est Origeni istud Hieronymi libr. 3. in Matth. 16, 19. *Istum locum Episcopi & Presbyteri, non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.* Noxios dicit, qui noxis impliciti, nulla scelerum pœnitudine tanguntur: alioqui nemo solvi potest nisi noxius.

Sixt. Sen. l. 6. Ann. 70.

Asserit præterea Origenes Tomo 13. in Matth. p. 336. ligandi & solvendi potestatem omni-

A omnibus à Christo fuisse concessam, quicunque noxios ter reprehenderint. Ita Tomo 12. pag. 275. omnem Christi discipulum petram esse ait, super quam Ecclesia Christi ædificatur; cœli claves perfectis quibusque tribui; & quæcunque tandem Petro pollicitus est Christus adepturum, quisquis Petro similem se præstiterit. Verum posteriora hæc allegorice dicta esse, non dogmatice, illud evincit quod subest: εἴ τις λέγει τοῦτο (σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος) πρὸς αὐτὸν (χριστὸν,) ἐ σαρκὸς καὶ αἵματος ἀπεκαλυψάντων αὐτῷ, ἀλλα ὁ ὢν τοῖς οὐρανοῖς πατὴρ, τεύξεται τῆς εἰρημένων, ὡς μὴν τὸ γράμματ τοῦ εὐαγγελίς λέγει, πρὸς ἑαυτὸν τὸ πέτρον. ὡς ὃ τὸ πνεῦμα αὐτὸ διδάσκει, πρὸς πάντα τὸν ἡγούμενον ὁ πέτρος ἑαυτοῦ. Ostendunt idem & sequentia, in quibus portas Inferi esse peccata, hæreses esse Dæmones, regna cœlorum virtutes esse dicit. Priore autem, quem laudavimus, loco, licet ligandi & solvendi potestatem omnibus
B tribuat, quicunque ter peccantes corripuerint; peculiari tamen modo, & pleniori potestate, ac potiori jure Petro id concessum fuisse vult, cum in uno duntaxat cœlo solvere illos & ligare posse affirmet, Petrum autem in omnibus. Adde easdem apud Patres sæpe locutiones occurrere, quæ ad rectam itidem interpretationem revocandæ sunt. Irenæus libr. 4. cap. 20. *Omnes justi sacerdotalem habent ordinem.* Tertullianus libr. de exhortatione castitatis, cap. 7. *Nonne & Laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos, & sacerdotes Deo, & Patri suo fecit.* Gregorius Nyssenus libr. de perfectione: δι' ἃ τοίνυν καὶ τοιούτων πέτρα καὶ ἡμεῖς ἐσόμεθα, μιμούμενοι, καθὼς ἔστι δυνατὸν, ἐν τῇ τροπῇ φύσει τὸ ἀτρεπτον καὶ ἀμετάθετον. *Per hæc & hujusmodi nos quoque petra erimus, imitantes, quoad ejus fieri potest, immutabili naturam, quod constans & immutabile est.* Ambrosius Comment. in Luc. 9. *Qui carnem vice-*
C *rit, Ecclesiæ fundamentum est, & si æquari Petro non potest, imitari potest.* deinde: *Magna autem Christi gratia, qui omnia prope vocabula sua Discipulis ipsis donavit: Ego sum, inquit, lux mundi, & id tamen, quo ipse gloriatur, Discipulis nomen indulsit, dicens: Vos estis lux mundi: Ego sum panis vivus; & : Nos omnes unus panis sumus: Ego sum vitis vera; & tibi dicit: Plantavi te vitem fructuosam omnem veram. Petra est Christus (Bibebant enim de spiritali sequente petra; petra autem erat Christus;) etiam Discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut & ipse sit Petrus, quod de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo ut & tu petra sis.* Augustinus libr. 2. Quæst. Evang. cap. 40. *Sacerdotium vero Iudæorum nemo fere fidelium dubitat figuram fuisse sa-*
D *cerdotii regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi & veri principis Sacerdotum. Nam nunc & omnes unguntur, quod tunc Regibus tantum & Sacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus ad Christianum populum scribens: Regale sacerdotium, utrumque nomen illi populo convenire declaravit, quo illa unctio pertinebat.* Ligandi quoque & solvendi potestatem eorum omnium, qui peccantes fratres objurgationibus incessunt, communem esse volunt Augustinus de verbo Domini, Homil. 15. Theophylactus in Matth. 18, 18. & Anastasius Nicenus Quæst. 61.

II. Magnis vero & repetitis controversiis vexatus est ille Origenis de Eucharistia locus, quem hic Tomo 11. in Matth. pag. 253, 254. exhibemus. Summa illius hæc est: Quendam objicit sibi dicentem, cum juxta Christi pronuntiatum, quod in os intrat, hominem non inquinet, ita quod in os intrat, hominem sanctum non efficere, licet secus de pane Christi simpliciores sentiant. Respondet Origenes, quemadmodum non cibus edentem inqui-
E nat, sed ejus conscientia qui cum dubitatione comedit; & quemadmodum impuro homini mundum nihil est, non ex se, sed propter impuri hujus hominis immunditiam; ita quod per verbum Dei, & precem consecratum est, non ex se comedentem efficere sanctum, alioquin & ei qui peccatis pollutus comedit, sanctitatem collaturum; sed ex eo tum emolumentum capi, cum pura mente, & integra conscientia accipitur: neque abstinendo ab hoc pane vel eundem comedendo, ex hac abstinentia vel esu, bono aliquo nos fraudari vel augeri, sed ita duntaxat, si vel nequam vel probi simus, dicente Paulo 1. Corinth. 8. vers. 8. *Neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus.* Subjungit præterea, quemadmodum in ventrem demittitur, quod intrat in os, ac deinde ejicitur in secessum; ita panem consecratum, secundum id quod materia concretum huic
F inest, in ventrem demitti, & ejici in secessum, sed per precationem quæ illi accessit, utilem comedenti effici pro ejus fidei portione; nec panis materiam, sed prolatum super eo sermonem, eum juvare, qui non indigne ipsum comedit. Denique panem illum, typicum & symbolicum corpus appellat. Reliqua ad esum corporis Christi spiritalem pertinent, non sacramentalem ut superiora, contra quam opinatus est Vincentius Bellovacensis Specul. doctrinal. libr. 18. cap. 43. Origenem hac de caussa immerito castigans. Facilis est loci hujus juxta Ecclesiæ doctrinam expositio: nam ut ex corporis Christi esu adjumentum quis capiat, non esus ipse sufficit, sed integra præterea & intaminata mens requiritur, alioquin judicium sibi manducat & bibit, qui noxis pollutus ad altaris sacramentum accedit. Itaque non ex se solum & simpliciter edenti sanctitatem confert, sed ita, si ab edente certa fides, & purus animus adhibeantur. Similiter homo hoc abstinens Sacramento, vel quod

nondum sibi sit satis probatus, vel quod nondum justam attigerit ætatem, vel alia quavis A
legitima de caussa, detrimentum ex hac abstinentia non capit; imo nec bono aliquo inde
privari, ait Origenes; quod ita intelligo; cum homo nondum sibi satis probatus, vel alicu-
jus criminis sibi conscius, si ad altaris Sacramentum accedat, judicium sibi manducet &
bibat, atque ex hoc esu & potu mortem animæ suæ conscisçat, nedum fructum aliquem
inde percipiat, sequitur ut si hæc reformidans Sacramento abstineat, bono aliquo non
privetur, dum non sumit corpus Christi; cum malum tantum fuisset nacturus, si sumsis-
set. Materia autem constans illa panis pars, quam in secessum ejici ait, ea sunt acciden-
tia materiæ panis inhærentia & ejus propria, quæ corrupta à stomacho, & in novam con-
versa substantiam, vel in secessum abeunt, vel humani corporis formam induunt. Preca-
tionem vero illam, quæ panem comedentibus utilem efficit, & sermonem super pane B
prolatum, quid aliud esse dicam, quam mysticam illa verba, quibus panis consecratur, &
quæ ἐυχὴν ac mysticam precem nonnulli Patres appellant? quia precationem, licet
non expressam, involvunt, qua Deum rogat Sacerdos, ut prolatis à se mysticis verbis
idem efficiat, quod effecit olim, cum eadem ipse proferret. Atque per hæc cum pa-
nis in corpus Christi efficiatur conversio, comedentem accidentia illa minime juvant,
sed per mystica illa verba fit, ut esu corporis Christi adjuvemur. Typicum denique & sym-
bolicum corpus appellat, vel quod sub specie & similitudine panis delitescat; & cum
corpus Christi re ipsa sit, typo & symbolo panis esse videatur: quod idem est ac si sacramen-
tale dixisset, quia non nudum Christi contingimus corpus, sed sub symbolis involutum.
Quapropter Homilia 7. in Levit. sic disserit Adamantius: *Est & in Novo Testamento litera,* C
quæ occidat eum, qui non spiritaliter quæ dicuntur, adverterit. Si enim secundum literam sequaris
hoc ipsum quod dictum est: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum; oc-
cidit hæc litera. Spiritaliter hæc intelligi jubet, quia sacramentaliter carnem suam mandu-
cari & sanguinem suum bibi sancit Christus, non quo modo carnes alias dentibus comminui-
mus. Nec responsionis hujus robur infringit Edmundus Albertinus, cum ait, negare illic
Origenem comedi carnem Christi secundum literam; quisquis autem comedit Christi car-
nem, licet non in propria specie & figura comedat, Christi tamen carnem secundum li-
teram comedere. Infitior enim carnem Christi eum comedere secundum literam, qui
illam non in propria specie & figura comedit; nam comedere secundum literam, illud
est, ita comedere, quomodo esculenta comedere consuevimus, nimirum ori inserta den- D
tibus permolere, lingua versare, palato degustare, gula sorbere, in ventriculum demissa
concoquere, intestinis excepta à fæcibus secernere, & in corporis alimentum distribue-
re. Hac ratione cum Christi caro neutiquam à nobis comedatur, non comeditur profecto
secundum literam, sed sacramentaliter. Vel eucharisticum panem eatenus appellat Orige-
nes corpus typicum & symbolicum, non quatenus absentis corporis Christi typus est & sym-
bolum, quod vult Edmundus Albertinus, aliique cum eo Heterodoxi: sed quatenus, cum
re ipsa sit corpus Christi, aliarum rerum typus est & symbolum, puta sui ipsius extra Sacra-
mentum, ut fuit olim in cruce, & ut est nunc in cœlo; vel resurrectionis nostræ, juxta Ni-
cænum Concilium; vel *unius illius corporis, cujus ipse (Salvator) caput existit, cuique nos, tan-*
quam membra, arctissima fidei spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit, juxta Triden- E
nos Patres; vel fidei & promissionis, juxta Clementem Alexandrinum. Penitus confir-
mant expositionem istam similes locutiones Origenis, in quibus res quædam symbolicæ ap-
pellantur, vel symbolice tales, talesve esse dicuntur; non quod revera tales, talesve non sint;
sed quod cum tales, talesve revera sint, aliarum tamen rerum symbola sint. Sic Tomo 32.
in Johann. pag. 405. Johannem ait symbolice recubuisse in sinu Christi: non quod revera
in sinu Christi non recubuerit, sed quod recubitus ille symbolum esset propensi affectus &
pronæ fidei quam erga Christum gerebat Johannes. Similiter Tomo eodem pag. 412. ait,
symbolice noctem fuisse, cum Jesum proditurus Judas exiit; non quod revera nox non esset,
Johannes quippe noctem fuisse scribit cap. 13. vers. 30. sed quod nox illa symbolum esset
noctis alterius quæ Judæ animo incubabat. Quin etiam Tom. 14. in Matth. pag. 363. Pau- F
lum jussisse ait, ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus, quos symbola fuisse vult verarum re-
rum, symbolice monogami sint; non quod revera monogamos non esse velit, tales enim esse
debere satis hoc loco docet; sed quod monogamia illa symbolum sit munditiei animæ,
quam tueri debent, qui sacra administrant. Idem præterea Tom. 16. in Matth. pag. 410.
summum Judæorum Sacerdotem, symbolicum appellat; non quod Sacerdos revera non es-
set: quis enim hoc neget? sed quod symbolum esset veri Sacerdotis Christi. Ibidem sacri-
ficia Mosaicæ Legis, symbolica appellat: non quod revera sacrificia non essent; sed quod
symbola essent sacrificiorum quæ fiunt pro peccatis. Addit demum, cum subjugi, corpo-
re nempe suo, vectum Jesum excepit vera Jerusalem, superna scilicet, tunc dissipatam fuisse
Jerusalem, quæ umbra est: umbram dicens, pro eo quod symbolum dixerat: non quod

Jeru-

Alber. de sacr. Euch. libr. 2. in Exam. testim. Orig. cap. 1.

A Jerusalem inferior, terrena nimirum, revera Jerusalem non esset; sed quod umbra esset & symbolum supernæ Jerusalem. Pari modo igitur, cum corpus Christi appellat symbolicum & typicum, non illic revera adesse negat Christi corpus, sed præsens illic Christi corpus symbolum & typum esse vult rerum aliarum, earum nempe quas commemoravimus, puta sui ipsius extra Sacramentum. Id quod satis indicat Origenes, cum proxime subjungit: πολλὰ δ' ἂν καὶ περὶ αὐτοῦ λέγοιτο τοῦ λόγου, ὃς γέγονε σὰρξ, καὶ ἀληθινὴ βρῶσις· *Multa autem de ipso Verbo dici possint, quod caro factum est, verusque cibus*, &c. in quibus disserit de Christi corpore extra Sacramentum. Nulla hac, quam damus, aptior vel solidior excogitari potest loci hujus solutio, utpote quæ ex consimilibus Scriptoris ejusdem testimoniis petita sit, & mentem ipsius manifesto declaret. Frustra igitur ex superioribus Adamantii de
B Eucharistia verbis præsidium causæ suæ arcessere conati sunt multi temporum istorum Heterodoxi. Frustra quoque locum ab Hæreticis depravatum suspicatus est Sixtus Senensis Biblioth. lib. 6. Annot. 66. Frustra ab Erasmo interprete corruptum conjectati sunt Genebrardus, & Perronius; cum integritatem loci manu scriptorum Codicum Græcorum consensus aperte probet.

Præter duo illa Origenis testimonia, quibus de Eucharistiæ sacramento perperam sensisse visus est, alia quatuor generis ejusdem affert Petrus Martyr in libro contra Gardinerum, unde causam suam non parum confirmari putat. Prior locus depromtus est ex Homil. 16. in Num. *Bibere dicimus sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed & cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit, sicut & ipse dixit: Verba quæ locutus sum, Spiritus &*
C *vita est.* At manifeste facit illud pro Catholica causa, nam sacramentalem sanguinis Christi potationem ab alia secernit, qua verbum Christi auribus & mente, spiritali quodam modo bibitur. Nec plus valet pro adversariorum partibus alterum hoc è Tract. 35. in Matth. *Panis iste quem Deus verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, Verbum de Deo Verbo procedens, & panis de pane cœlesti:* cui consimilia reperire est Homil. 7. in Levitic. ab Hermanno Bodio in Collectaneis adversus Catholicam doctrinam usurpata: nam si juxta literam id sumendum putamus, ut sumendum vult Martyr, quomodo panis ille qui cœnanti Christo oblatus est, fractus, & Discipulis distributus, quemque suum esse corpus dixit Christus, nihil aliud est quam *verbum animarum nutritorium*, quod contendit Bodius? quomodo panis ille, secundum id quod ex materia concretum habet, in ventrem abit, & in secessum ejicitur, ut ex
D Origenis Tomo 11. in Matth. objecisse Martyrem supra notavimus, si panis ille *Verbum* est *animarum nutritorium?* Certe tota hæc Origenis de pane illo dissertatio Tractat. 35. in Matth. allegorica est. Nec validius est, quod hinc colligit Martyr corpus Christi esse panem, cum scripserit Origenes: *Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur.* Panis enim dicitur corpus Christi, quia panis fuit, & nunc quoque cum corpus Christi est, panis speciem gerit. Hinc appellatur etiam ἅρτος ἁγιαζόμενος, & consecratus panis, hoc est, ut sic loquar, panis transubstantiatus in corpus Christi.

Apertissima vero loci tertii sententia, ut frustra eam perversa explicatione corrumpere Martyr contendat. Talis ille est Hom. 9. in Lev. *Ritus quidem apud Veteres propitiationis pro hominibus qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur, edocuit: sed tu qui ad Christum venisti, Pontificem*
E *verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, & reconciliavit te Patri, non hæreas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem Verbi, & audi ipsum tibi dicentem, quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Agitur hoc loco de sacrificiis Mosaicis, quæ figura erant mortis Christi: idcirco non hærendum scribit Origenes in sanguine carnis, hoc est in sacrificiis Testamenti Veteris, sed mentem ad sanguinem Christi, & sacrificium Novæ Legis esse erigendam. Quis hic cavillationi locus?

Sumtum è libro 8. contra Cels. postremum Origenis testimonium sic se habet: ἡμεῖς δὲ τῷ παντὸς δημιουργῷ εὐαρεστοῦντες, καὶ τὰς μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχὰς τὰ ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγόμενοι ἄρτους ἐθίομεν, σῶμα γινόμενον δι' ἐνχὴν ἁγιόντι, καὶ ἁγιάζον τοὺς μεθ' ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους· Celsum refellit Origenes, qui rebus universis præfectos esse Dæmones censens, quæcunque
F ad victum comparant homines, quæcunque vel edendo vel bibendo consumunt, fruges, vinum, baccas arborum, aquam, & ipsum quoque aerem, à Dæmonibus accipere arbitrabatur; multisque in contrariam adductis sententiam, concludit tandem Adamantius, panes qui nobis ad esum offeruntur, Christianos Dæmonibus acceptos non referre, sed Deo rerum conditori, eosque cum gratiarum actione recipere; ac per precationem corpus quoddam sanctum ipsos effici, sanctos efficiens quicunque eo cum sano proposito utuntur. Ad Eucharistiam minime hæc videntur pertinere. Quod & ipse fatetur Albertinus. Quod si quis tamen contradicat, non assentiar modo, sed Ecclesiæ etiam doctrinam his confirmari pertendam; panes quippe ait per precationem, per mystica nimirum verba, corpus effici sanctum, & sanctos efficiens, qui cum sano proposito eo utuntur; corpus videlicet Christi.

Albert. de Sacram. Euch. lib. 2 in Exam. teſt. Orig.

Martyri ſuccenturiatus prodit in pugnam Albertinus, recoctisque aliquot teſtimoniis ex Origene jam ante à Martyre depromtis, quatuor indidem petita de ſuo addit, ad trutinam noſtram revocanda. Prius habetur Tom. 32. in Johann. pag. 411. ubi de offula Judæ à Jeſu porrecta diſſerens, vim ei quandam ac virtutem à Chriſto inditam fuiſſe vult, quæ Judæ utilis eſſe potuiſſet, niſi offulæ prævertiſſet Satanas, & ne beneficia ejus vi frueretur proditor, occupato ipſius corde impediviſſet. Tum id gemino illuſtrat exemplo, priore corporis & ſanguinis Chriſti, quæ pro ejus pietate vel nequitia qui ſuſcipit, utilia ſunt vel noxia; altero panis illius communis quo alimur, quique pro comedentis habitu vel ſanitatem confert ac vigorem, ſi valenti corpore; vel morbum, ſi febriculoſo ac infirmo exceptus ſit. Locus ita conceptus eſt: καὶ ἕτως δὲ ἂν ὡς ἀπὸ Σατανᾶ εἰς τὸ τόπον λέγοιτο, ὥσπερ ὁ ἀναξίως ἐσθίων τὸ ἄρτον τοῦ κυρίου, ἢ πίνων ἀπὸ τοῦ ποτηρίου, εἰς κρίμα ἐσθίει καὶ πίνει, τοῦ μιᾶς ἐν τῷ ἄρτῳ κρείττονος, συνάμεως, καὶ ἐν τῷ ποτηρίῳ, ὑποκειμένη μὲν διαθέσει κρείττονι, ἐνεργαζομένης τὸ βέλτιον. χείρονι δὲ ἐμποιούσης τὸ κρίμα· ἕτω τὸ ἀπὸ τοῦ ἱσπὸ ψωμίον ὁμοιοῦσθαι ἦν τῷ σοφίστῃ καὶ τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις ἐν τῷ λαβεῖν, φάγετε. ἀλλ' ἐκείνοις μὲν εἰς σωτηρίαν, τῷ δὲ εἰδότι τὸ ψωμίον εἰσελθεῖν εἰς αὐτὸν τὸ σατανᾶ· νοείσθω δὲ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ποτήριον τοῖς μὲν ἁπλουστέροις καὶ τὴν κοινοτέραν ἔχουσι τῆς εὐχαριστίας ἐκδοχήν, τοῖς δὲ βαθύτερον ἀκούειν μεμαθηκόσι, καὶ τὴν θειοτέραν, καὶ ὡς τὴν προφίλη τῆς ἀληθείας λόγῳ ἐπαγγελίαν. ὡς εἰ ἐν τοιούτῳ ματι ἐλεγεν ὅτι καὶ ὁ τὸ σωματικὸν τροφιμώτατον ἄρτον πυρετὸν μὲν ὑποκείμενον αὔξει, εἰς ὑγείαν δὲ καὶ εὐεξίαν ἀνάγει. Ex his ſic ratiocinatur Albertinus: Offula Judæ porrecta ejusdem erat generis ac Euchariſticus panis, juxta Origenem: ψωμίον ὁμογενὲς ἦν τῷ σοφίστῃ καὶ τοῖς ἀποστόλοις. atqui offula illa merus fuit panis: merus igitur & ille. Attendiſſe vero ſubtilis ille diſputator quæ in exemplum aſſumuntur, in eo debere convenire, cujus cauſſa inſtituitur comparatio, diſcrepare poſſe in aliis, hoc eſt partim eſſe ὁμοχρῶν, partim ἑτεροχρῶν. hic autem inſtitui ab Origene comparationem offulæ Judæ oblatæ cum pane Euchariſtico, non ad explicandam panis Judæ porrecti naturam, ſed ad declarandum ejus effectum, ac vim juvandi vel nocendi pro ſumentis habitu; atque ita eſſe ὁμοχρῶν, quoad illam efficientiam, de qua hoc loco quæritur; ἑτεροχρῶν vero quoad naturam, de qua nulla penitus hic habita eſt diſputatio. Fimbria veſtis Chriſti quæ αἱμορροοῦσαν ſanavit, ex contactu ſacri corporis Chriſti virtutem contraxerat, itidem ut offula à Jeſu Judæ porrecta. Fimbriæ contactus, pro tangentis pietate vel nequitia, utilis eſſe poterat, vel noxius. Pari ergo jure fimbriæ contactum cum panis Euchariſtici eſu comparare Origenes potuit; utraque enim in eo conveniebant, quod pro tangentis & edentis habitu ſalubria vel damnoſa eſſe poterant; in aliis diſcrepabant. Id ſi feciſſet, utraque ſane dicere potuiſſet ὁμοχρῶν, nempe quoad illam vim & efficientiam; non quoad naturam. Idem dicas de offula Euchariſtico pani aſſimilata. Alioqui cum offulam Judæ porrectam pani illi quo vitam ſuſtinemus, ſimilem eſſe dixit Origenes, hoc eſt ὁμοχρῶν, in eo nempe quod ut illa animæ, ſic ille corpori pro comedentis habitu robur conciliare poteſt, vel morbum; concludam utique eadem virtute pollere panem noſtrum quo veſcimur, ac offulam illam, cui peculiarem vim contactu ſuo Chriſtus indidit: quod eſt abſurdum. Quid ſi præterea offulam illam fuiſſe panem ipſum Euchariſticum Judæ porrectum Origenem exiſtimaſſe dicamus? Profecto locus iſte contrarium, nihil habet huic ſententiæ, quam & Cyrillus, & Anaſtaſius Sinaita amplexi ſunt. Id ſi ſit, plane ὁμοχρεῖς fuerint Euchariſticus panis & offula Judæ porrecta, & quoad efficientiam, & quoad naturam.

Cyrill. in Ioh. 6. Anaſt. Orat. de Synaxi.

Parem propemodum adhibebimus explicationem loco alteri ex Homil. 7. in Levit. quo agitur de præcepto Aaroni, & Sacerdotibus tradito, ne ad altare acceſſuri vinum biberent. Quoniam autem Lex eſt umbra futurorum bonorum, quid hac Lege ſignificetur perſcrutans Origenes Chriſtum hunc eſſe Pontificem cenſuit, Sacerdotes Apoſtolos; & Chriſtum quidem cum ad altare, crucem nempe eſſet acceſſurus, in ſuprema cœna vinum quidem non bibiſſe putavit, his inductus verbis Marci 14, 25. *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Patris mei*: Apoſtolos vero bibiſſe vinum, quia nondum ad altare crucis erant acceſſuri. En tibi ipſa verba: *Videamus, quomodo id vero Pontifici Chriſto Domino noſtro, & Sacerdotibus ejus ac filiis, noſtris vero Apoſtolis poſſimus aptare, &c. Quæritur ergo, quomodo Dominus & Salvator noſter, qui eſt verus Pontifex, cum Diſcipulis ſuis, qui ſunt veri Sacerdotes, antequam accedat ad altare Dei, bibebat vinum; cum vero accedere cœperit, non bibebat. Venerat in hunc mundum Salvator, ut propeccatis noſtris carnem ſuam offerret hoſtiam Deo. Hanc priusquam offerret, inter diſpenſationum moras vinum bibebat: denique dicebatur homo vorax, & vini potator, amicus publicanorum & peccatorum. Vbi vero tempus advenit crucis ſuæ, Accipiens, inquit, calicem benedixit & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & bibite ex hoc. Vos, inquit, bibite, quia non acceſſuri eſtis ad altare. Ipſe autem tanquam acceſſurus ad altare, dicit de ſe: Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis hujus, uſque quo bibam illud vobiſcum novum in regno Patris mei.* Hinc Albertinus effici putat, Chriſti Diſcipulos merum vinum in ultima cœna bibiſſe, quemadmonum Aaron

Aron & Sacerdotes ad altare non accessuri merum vinum bibebant; nec capere se dicit quid contra opponere possimus. Respondeo vero Origenem, cum existimavit vetus illud Levitici præceptum, quo Pontifici & Sacerdotibus ad altare accessuris vino interdicebatur, umbram eorum fuisse quæ Christo & Apostolis contigerunt, quando ille ad altare crucis accessurus vino abstinuit, hi vero nondum ad crucis altare accessuri vinum biberunt, id sibi voluisse, vinum Aaronis & Sacerdotum in eo ὁμοχῶν fuisse Eucharistico vino Christi & Apostolorum, quod utroque abstinerent qui accessuri erant ad altare, ab iis vero qui non essent accessuri ad altare utrumque biberetur; qua de re scilicet hoc loco agebatur: in aliis autem fuisse ὑπερχῶν, ac in eo præcipue quod Aaronis & Sacerdotum vinum, merum esset vinum; Christi vero & Discipulorum, specie duntaxat. Urgebit vero aliquis dicens, nulla hic nota
B distingui vinum illud quod cum publicanis & peccatoribus bibebat Christus, ab eo vino quo in ultima cœna abstinuit, sed utrumque opponi vino Aaronis, ac proinde simile fuisse vinum quo Christus abstinuit in postrema cœna, vino quod cum publicanis & peccatoribus bibit. Respondeo, satis fuisse Origeni, recte institui posse comparationem vinum inter Aaronis, & vinum à Christo sive epotum in vitæ decursu cum publicanis & peccatoribus, sive non potum, sed Discipulis traditum in ultima cœna. Nam quamvis hoc specie tantum esset vinum, revera esset Christi sanguis; illud vero & specie & re vinum esset, non in eo similitudinem quæsivit, vel quærere debuit Origenes, quod utrumque, vinum esset vel re, vel specie, sed in eo quod illo accessurus ad altare Christus abstinuerit, illud non accessurus ad altare
C biberit: quemadmodum veteris Testamenti vino abstinebant Pontifices & Sacerdotes accessuri ad altare, idem vero non accessuri ad altare bibebant.

Tenue vero & infirmum tertii loci robur, quem è Prologo in Canticum profert Albertinus. In eo hominis exterioris, corporis nimirum, proprium quendam esse cibum scribit Origenes, corporeum scilicet & terrenum: interioris vero hominis & spiritualis proprium quoque esse cibum, panem nempe vivum qui de cœlo descendit. Sed ipsa repetamus verba: *Est materialis hujus hominis qui & exterior appellatur, cibus, potusque naturæ suæ cognatus, corporeus iste scilicet & terrenus. Similiter autem & spiritalis hominis ipsius, qui & interior dicitur, est proprius cibus, ut panis ille vivus qui de cœlo descendit. Sed & potus ille est ex illa aqua quam promittit Iesus dicens: Quicunque biberit ex hac aqua quam ego do, non sitiet in æternum. Sic ergo per omnia similitudo quidem vocabulorum secundum utrum-*
D *que hominem ponitur; rerum vero proprietas unicuique discreta versatur, & corruptibili corruptibilia præbentur; incorruptibili vero incorruptibilia proponuntur. Unde accidit, ut simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere quæ sint quæ in Scripturis divinis interiori homini, quæ vero exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudinibus falsi ad ineptas quasdam fabulas & figmenta inania se contulerint, ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumque sumendum non solum ex illa vite vera & vivente in sæcula, verum & ex his vitibus ligni.* Tantum abest, ut hinc aliquid pro sua causa colligere possit Albertinus, ut vel ipsius opinioni contrarium id potius & adversarium sit; vel certe pro neutra parte pugnet. Duplex siquidem cibus, duplex esus interioris hominis intelligi potest: vel esus sacramentalis, quum Christi corpus ore recipimus; vel alter, quum Verbum carnem
E factum fide apprehendimus & comedimus, quorum uterque capite Johannis sexto exponitur; hic quidem à versu 31. ad hæc verba versus 52. *Et panis quem ego dabo*; ille vero ab his verbis ad versum 59. Si esus ille intelligitur, quo Verbum carnem factum fide comedimus, quid inde efficere possit Albertinus, non video. Fatemur enim Verbum carnem factum, quatenus fide apprehenditur & comeditur, animæ proprium esse cibum, non corporis. Et ne quid dissimulem, hunc esse loci intellectum censeo. Sin vero esus sacramentalis hic significatur, suo sibi gladio jugulatur Albertinus; nam cibum illum vocabulo tantum cum cibis reliquis convenire, ait Origenes, suam vero unumquemque proprietatem servare; illos corrumpi, hunc integrum manere: sic nos panem Eucharisticum cum aliis panibus vocabulo convenire dicimus, re ipsa discrepare; hos corrumpi, corpus vero Christi, cor-
F ruptis accidentibus, incorruptum manere: & quamvis corpore, itidem ut alii panes excipiatur, illos tamen in alimentum corporis mutari; hoc animæ, interiori scilicet homini ac spiritali, alimoniam subministrare, accidentibus duntaxat corpus alentibus, postquam in novam substantiam conversa sunt. Qui vero hæc sententiæ suæ accommodabunt Heterodoxi, cum panem Eucharisticum nomine tantum cum panibus reliquis convenire asserat Origenes; illi non nomine solum, sed re ipsa penitus convenire dicant: hunc animæ, hominis nempe spiritalis & interioris, pabulum esse tradat Origenes; illos corpus alere Heterodoxi putent: hos corporeos & terrenos appellet Origenes, ut ab illo distinguat qui spiritalis est, mysticus & sacramentalis: Heterodoxi vero & hunc & illos plane corporeos & terrenos esse decernant.

Ultimum locum, quoniam ex Dialogo de orthodoxa fide, spurio quippe libro, & Ori-

genis nomen falso præ se ferente peritus est, nec ad hoc pertinet institutum, præter- A
mitto.

Bulenger. contr. Casaub. Part. 2. Diatr. 3. c. 167.

Lepidus vero est Albertinus, cum adversus Bulengerum disputat, qui Catholicum de Eucharistia dogma defendebat hoc Origenis testimonio: καὶ γὰρ ὁ ἄρτος μετέχων, τοῦ σώματος κυρίου μεταλαμβάνει· οὐ γὰρ προσέχομεν τῇ φύσει τοῦ αἰσθητῶς προκειμένου, ἀλλ' ἀναγόμεν τὴν ψυχὴν διὰ πίστεως ἐπὶ τὸ τοῦ λόγου σῶμα, ὃ γὰρ εἶπε· τοῦτό ἐστι σύμβολον, ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα, ἀφακτικῶς ἵνα μὴ νομίσῃ τις τύπον εἶναι. *Nam qui fit panis particeps, corpus Christi participat: nec enim attendimus ad naturam rerum sensibiliter propositarum. sed erigimus animam per fidem ad corpus Verbi. Nam non dixit: Hoc est symbolum, sed Hoc est corpus, ostensive, ut ne quis putet typum esse.* Non nodum solvit Albertinus, sed secat hac responsione: *Fictitius locus est, ac Græculi forte alicujus recentioris, Origeni falso affictus: Bulengerus enim ipsemet alium adducit ex eodem Origene locum, ubi plane in contrarium ait de pane & vino Eucharistico illa antitypa esse Dominici corporis:* ἀντίτυπά εἰσι τοῦ ἀναιμάκτου σώματος. *Quemadmodum & in loco ex Commentario in Matthæum supra citato, panem vocat corpus typicum & symbolicum, hoc est corporis typum ac symbolum. Quis autem eum crediderit tam pugnantia scripsisse? Absit igitur à nobis tanta supinitas, ut verba hæc nescio unde sumpta, tanquam Origenis genuina suscipiamus.* Alibi tamen Albertinus citata quædam ab eodem Bulengero loca Origenis, quæ caussæ suæ credidit opportuna, pro germanis admisit: *Sic enim & Origenes*, inquit, *à Bulengero relatus ait contra Casaubonum Diatr. 3. p. 166.* ὅτι τὰ λογικὰ ἡμῶν θυσιαστήρια ἐπιτελούμενα ἁγιάζει ἡ τράπεζαν, ἐν ᾗ ἐστιν αὐτῇ σκεύη. ἀντίτυπα γάρ εἰσι τοῦ ἀναιμάκτου σώματος· *Quæ super rationali altari nostro perficiuntur, sanctificant mensam, & vasa quæ in ipsa sunt. Antitypa enim sunt Dominici corporis.* Commoda sane & facilis disputandi ratio; si C
quæ Catholicam caussam juvant testimonia, pro falsis ea, spuriis, ac fictitiis habere: si quæ videntur eidem contraria, his haud secus ac legitimis & genuinis uti. Vel prior sane solvatur locus, vel postremus non intentetur; quem nos tamen itidem excipimus ut alium, in quo Eucharisticus panis corpus typicum & symbolicum appellatur: nam ἀντίτυπον ἀναιμάκτου σώματος, idem est ac si Sacramentum corporis Christi appellet. Præterea non satis apparet, an *an de pane & vino Eucharistico* illic agat Origenes, ut vult Albertinus. Ait enim quæ *perficiuntur super altari nostro rationali*, hoc est in animo nostro, *mensam, & vasa quæ in ipsa sunt sanctificare*, hoc est animum, & animi facultates. Non video cur hæc ad esum potius sacramentalem referenda sint, quam ad eum quo Verbum carnem factum fide comedimus. Atque ut hic esus est ἀντίτυπον sacramentalis esus, ita Verbum fide apprehensum, & ut ita dicam manducatum, ἀντίτυπον est Dominici corporis. Priore vero loco cum corpus Christi D
ait non esse typum, sic intellige, non esse merum typum & signum sine re signata, quæ vulgaris est typi notio; sed non negat esse typum ac signum alterius generis, nempe re significata conjunctum. Atque hæc in præsentia sufficiant. Qui plura volet, Bellarminum consulat libr. 2. de Eucharist. cap. 8. ubi non allata solum à Martyre Origenis exponit testimonia, sed plurima quoque ejusdem recitat, quibus recte de Sacramento Eucharistiæ sensisse creditus est: & nos quoque nonnulla ad Tom. 11. Origen. in Matth. 15. super eodem argumento observamus.

Albertin. de sacram. Euchar. lib. 2. c. 2.

Albertin. l. 2. c. 5.

III. Ab Eucharistiæ sacramento progrediamur ad sacramentum matrimonii, circa quod à communioribus Ecclesiæ dogmatis Origenes in quibusdam abiisse videtur. Primum Hom. 11. in Jerem. pag. 115. quæcunque ex coitu & voluptate proficiscuntur, purgatione indigere ait: & Tom. 17. in Matth. pag. 498. quodammodo pollutos esse vult, quicunque venereis utuntur: ne eas quidem voluptates excipiens, quarum matrimonium licentiam facit. Deinde libro 2. in Epist. ad Rom. incircumcisum appellat, qui concessis matrimonii jure voluptatibus intemperantius abutitur; circumcisum vero, *si qui in hujusce modi negotio legitimis, & quantum posteritati sufficit utatur officiis.* In quo præterquam quærendæ sobolis gratia, congressum omnem conjugalem videtur respuere, etiam illum qui ut debitum redditur, vel vitandæ tentationis caussa perpetratur. Sed hæc quoque in voce *legitimis* contineri possumus respondere; vel circumcisum quidem eum esse qui procreandæ tantum ad cultum Dei prolis caussa actum conjugalem exercet; at non incircumcisum, qui alios præ- F
terea fines spectat, sed qui intemperanter se gerit. Hieronymus certe lib. 2. in Epist. ad Ephes. cap. 5. reliquos omnes videtur improbare fines, unum hunc admittere, quo soboles comparanda proponitur: *Si*, inquit, *ita uxor subjicienda viro est, ut Christo Ecclesia, inter virum & uxorem erit sancta conjunctio, & nunquam corporis servient passionibus:* Corinthiis vero, ut infirmis, nec dum solida pietate roboratis mutuam debiti solutionem per συγκατάβασιν & indulgentiam Paulum concessisse dicit; at Ephesiis, utpote in Christi doctrina provectioribus ademisse, unicuique tamen vel Ephesios, vel Corinthios æmulari fas esse. Et paulo post: *Liberorum ergo, ut diximus, in matrimonio opera concessa sunt. Voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ. Hoc legens omnis vir & uxor, intelligant sibi post conceptū magis orationi quā connubio serviendū. Et quod in animalibus & bestiis ipso naturæ jure præscriptum*

est,

A *es, ut prægnantes ad partum usque non coeant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, ut merces esset ex abstinentia voluptatum.* Eo accedunt ista Epiphanii Hær. 63. cap. 4. ὁ σεμνὸς δὲ γάμος παιδοποιΐαν ἐκ θεοῦ καλῶς κεκλισμένα ἀπαγορέυει· ἀλλ' ὅτε ἄλλως μεταχειρίζεται τὸ γάμε κακουργίας ἕνεκα θεοῦ τεθεσπίσθω ἀργῶς· *Neutiquam honorabiles nuptiæ ad ignominiam trahentes quæ a Deo condita sunt, liberorum procreationem prohibent: sed nec aliter usurpant nuptialis conjunctionis modum à Deo institutum.* Adstipulatur Augustinus libro de Bono conjugali, cap. 7. *Reddere*, inquit, *debitum conjugale, nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis:* quod iterat cap. 10. & 11. & libr. 1. de nupt. & concupisc. cap. 14. Adstipulatur & Supplementum Summæ S. Thomæ q. 49. a. 5. Quod autem jactat Theophilus Pasch. 2. & 3. Origenem *honorabiles condemnasse nuptias*, non id ex ejus verbis, sed ex doctrinæ ipsius con-

B sequentia arguit: sic enim ratiocinatur; Si in corpora, sic tanquam in ergastula detruduntur animæ noxiæ, non esse illud *cubile immaculatum*, nec *honorabiles nuptias*, quæ formandis corporibus, ac animis puniendis operam dant, cum *propter pœnas animarum, & non propter generationis ordinem, nuptiarum adolescentulis vincula tribuantur.*

Hoc amplius, scribit Origenes Homil. 6. in Num. actibus conjugalibus Spiritum sanctum non adesse. Verba hæc sunt: *Connubia quidem legitima carent quidem peccato; nec tamen tempore illo quo conjugales actus gerantur præsentia sancti Spiritus dabitur, etiamsi Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur.* At constat tamen actum hunc, si suscipiendæ prolis caussa exerceatur, vel debiti reddendi, quia aliud est religionis opus, aliud justitiæ, sanctum esse & pium, ac proinde Spiritus sancti subsidio & ope exerceri. Contradicit nihilominus Auctor

C Operis imperfecti in Matth. 1. 18. aitque, matrimonium etsi utentibus pœnam non inferat, mercedem tamen non præstare.

Postremo iteratas nuptias, non quasi damnosas penitus ac noxias, sed quasi pio & Christiano homine indignas Adamantius traduxit: quod merito criminati sunt Magdeburgenses. *Nunc vero*, inquit Homil. 17. in Luc. *& secundæ, & tertiæ, & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, & non ignoramus, quod tale conjugium ejiciet nos de regno Dei.* Et deinde: *De cœtu primitivorum, immaculatorumque Ecclesiæ, quæ non habet maculam, neque rugam ejicietur digamus, non quo in æternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in regno Dei.* Tum mox: *Puto enim monogamum, & virginem, & eum qui in castimonia perseverat, esse de Ecclesia Dei; eum vero qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem, & cæteris virtutibus polleat, tamen non*

Magdeb. Cent. 3. cap. 10.

D *esse de Ecclesia, & de eo numero qui non habet rugam aut maculam, aut aliquid istiusmodi; sed esse de secundo gradu, & de his qui invocant nomen Domini, & qui salvantur quidem in nomine Iesu Christi; nequaquam tamen coronantur ab eo.* Hinc Homilia 19. in Jerem. non æterno quidem addicendum tradit supplicio digamum, sed participem salutis alicujus futurum, non tamen tantæ felicitatis, quantæ qui purus vixerit. Tomo quoque 20. in Joh. p. 295. in eo neutiquam imitandum Abrahamum pronuntiat, quod ancillæ concubuerit, & defunctæ uxori aliam in senectute superinduxerit. Profecto non Montanistæ, inter quos Tertullianus, nec Novatiani solum hac opinione infecti sunt, sed nonnulla etiam hujus affinia ex orthodoxis Scriptoribus afferri solent, quæ in Decretorum parte 2. causs. 31. quæst. 1. can. 8, 9. & 10. retulit Gratianus. Prior locus est ex Neocæsarienssi Concilio, quo *secundarum nuptiarum con-*

E *nubio* Presbyter interesse prohibetur, cum præsertim nuptiis ejusmodi pœnitentia imponi soleat. Ubi pro, *connubio*, legendum est, *convivio*; sic enim paulo post habetur: *Quis erit Presbyter, qui propter convivium illis consentiat nuptiis?* Ita legitur in ipsis Concilii exemplaribus, ex Græco: πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι· Quod sic reddit Dionysius Exiguus: *Presbyter in nuptiis ejus qui duas uxores ducit, seu digamus efficitur, ne convivetur.* Alter locus est ex Auctore Operis imperfecti Homil. 33. in Matth. 19. quo decernitur, licitum esse secundum Apostoli præceptum secundas adire nuptias, *secundum autem veritatis rationem, vere fornicationem esse: sed cum permittente Deo publice & licenter committitur, fieri honestam fornicationem.* Tertium demum suppeditat Hieronymus lib. 1. in Jovinian. cap. 8. quo secundas

F nuptias vix nuptiarum nomine donandas, & vix excusandas definit. At id non tam ad eas reprehendas, quam ad extollendam viduarum castitatem dictum respondet Gratianus, & ex aliis ejus testimoniis approbat. Tot vero scatet erroribus Operis imperfecti Scriptor, ut in dogmaticis disputationibus minime sit audiendus. Neocæsarienssem autem Synodum de pluribus simul ductis uxoribus agere nonnulli respondent: quam responsionem probare non possum. Malim fateri talem fuisse ea ætate Ecclesiæ severitatem & rigorem, ut licitas licet, aliquam tamen incontinentiæ speciem præ se ferentes nuptias secundas, non celebritate solum carere, eique Presbyterum omnino non interesse, sed pœnitentiæ etiam impositione quodam modo notatam esse vellet.

IV. Theophilus Alexandrinus Pasch. 2. Epistol. Origenem caussatur magicis artibus patrocinium tribuisse. Verba hæc adducit è scriptis Origenis: *Ars magica non mihi videtur alicujus rei subsistentis vocabulum: sed etsi sit, non est operis mali, ne quid habere possit contemtui.*

Tum

Tum multa adversus eum oratorie exaggerat ; res attentius introspicere insuper habet. A Origenem ait Elymæ, Jamnæ, & Mambræ fautorem esse ; deletam fuisse adventu Christi idololatriam, quæ ex arte magica profecta est, ac deletam proinde Magiam ipsam ; aliaque ejusmodi plurima congerit. Quocirca Anonymus apud Photium Cod. 117. inter criminationes in Origenem ab adversariis conflatas hanc nono loco recenset : ὅτι ἐ κακὸν ἡ μαγία· *Malam non esse Magiam.* Meminissent accusatores illi duplicem esse Magiam, ut recte ex Hieronymo, & Justino probant Sixtus, & Genebrardus ; alteram, quæ ex naturalibus causis & principiis res prævidet & prædicit, & nonnunquam etiam efficit, quæ proprie Philosophia est ; alteram, quæ Dæmonum ope & subsidio utens, præstigiis homines fallit & deludit. Magos illos, à quibus Magia dicta est, Deorum religionibus addictos, nomen inde à patria dialecto sortitos refert Porphyrius libr. 3. περὶ ἐμψύχων ἀποχῆς· καθὰ μέν γε ἔθος πέρσαις, B inquit, ἐι περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ αὐτὲ θεράποντες, μάγοι μὴ ὀνομάζονῃ. τὸ γὰρ κῆ ἐπιχώριον διάλεκτον σημαίνῃ ὁ μάγος· *Apud Persas, qui rerum divinarum periti sunt, Deosque colunt, Magi nuncupantur : id enim patria illorum dialecto significat Magus.* Præcipui autem inter Philosophiæ parentes Magi commemorantur à Laërtio in Proœm. Magiam ergo si rem non malam esse dixit Origenes, perinde est ac si Philosophiam rem non malam dixerit. Pari modo accipiendum est quod ait libr. 7. contra Cels. artem προγνωστικὴν medium aliquid esse & indifferens : nam si ex caussarum naturalium inspectione proficiscatur, laudabilis est ; sin ex Dæmonum technis, vituperanda. ὁ λόγος δὴ αἱρεῖ, inquit, φαῦλ' ἄττα νομίζειν εἶῃ τὰ τοιαῦτα (πνεύματα) τὴν προγνωστικὴν δυνάμει, μέσην τυγχανέσην. εἰς ἀπάτλιον ἀνθρώπων χεώμδμα, καὶ πρὸς τὸ θεραπασαι αὐλὴς δοῦ τῦ θεῦ, καὶ ἢ καθαρὰς εἰς ἑαυτὸν ἐυσεβείας· Magicas ergo artes, quæ Dæmonum fallaciis ad- C ministrantur, improbat & rejicit : sed multo etiam disertius sub finem antecedentis libri ; ibi quippe Celsum coarguit, qui magos ἐνθεωτάτους appellaverat, ἀφ' ὧν, inquit, ἡ παρώνυμος τῦ ἔθνους ἑαυτῦ μαγεία καὶ τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν. ὅθι διαφθορὰ καὶ ὀλέθρῳ τῦ χεωμένων αὐτῇ, ἐπιδεδήμηκε· & Homil. 13. in Num. *Nec mireris, si est in magica arte tale aliquid : esse enim hanc artem designat etiam Scriptura, sed uti ea prohibet. Nam & Dæmones Scriptura esse designat, sed coli eos & exorari vetat : recte ergo etiam magica uti prohibet, quia Magorum ministri Angeli sunt refugæ, & spiritus maligni, & Dæmonia immunda.* Reliqua non minus dilucida vitandæ satietatis caussa prætermitto. Tractatu etiam in Matth. trigesimo quinto, Judaicum esse dicit adjurare Dæmonia, neque secundum potestatem à Christo concessam ; quo significari vult S. Thomas id adjurationis genus, quod fit per preces, sacrificia, & vetitas D ceremonias ; non alterum illud, quod fit *potestative*, ut loquitur Thomas, & quo Ecclesia uti solet. Libro etiam 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. ita de Magia disserit, ut pro noxia & pernicioſa hanc ipsum habuisse constat.

S. Th. 2, 2. q. 90. a. 2.

V. Quæ cum ita se habeant, miror id scripsisse Eustathium Antiochenum : ἀλλ' ὁ νομφὸς ὠσεχῆς εἰδωλολατρείας ὄργανα, καὶ νεκρομαντείας ἐυρήματα τῷ δ' ὀκκλησίας θέλων ἐπεισκυκλῆσαι χορῷ τ' θείυ καθαφεύδεῖ γράμμαθ'· *Sed venustus Origenes idololatriæ instrumenta, & necromantiæ inventa in Ecclesiæ chorum inducere volens, in sacram Scripturam mentitur.* Locus habetur in libello de Engastrimytho, quem lucubravit ad id rejiciendum Origenis dogma, quo animam ipsam Samuelis à Pythonissa per incantamenta evocatam decrevit. Eadem de caussa peculiari libro Origenem Methodius Tyrius refellit, ut auctor est Hieronymus. Hunc etiam

Hieron. de script. Eccl. cap. 94.

notat errorem, suppresso licet Origenis nomine, Gregorius Nyssenus in Epistola ad Theo- E dosium de Pythonissa. Ac Eustathius quidem, cujus librum Leo Allatius edidit, variis rationibus ostendere conatur non Samuelem, Samuelisve animam Pythonissæ carminibus fuisse excitatam, sed Dæmonem, vel phasma à Dæmone confictum. Sigillatim hæc persequi, non est otii nostri, nec instituti : satis habet Origenes præsidii in Patrum aliquot consensu, quos Leo Allatius in Syntagmate de Engastrimytho, cap. 7. recenset : Justini in his Dialog. cum Tryph. Sulpitii Severi Histor. sacr. libr. 1. & Anastasii Antiocheni in ὁδηγῷ, quæst. 112. & eorum præterea quos laudat Bellarminus libr. 4. de Christo, cap. 11. His adde antiquissimorum Rabbinorum suffragium, qui tradunt mortuorum animas, si ante annum à morte præteritum evocentur, quo tempore excita fuit Samuelis anima, videri quidem F ab Engastrimytho, non audiri ; audiri ab eo qui oracula scitatur, non videri ; ab aliis nec audiri, nec videri.

VI. Hieronymus libr. 1. Apolog. in Rufin. cap. 4. Origenis locum affert è libr. 6. Stromat. in quo juxta Platonis sententiam mentiri nonnunquam licere defendit. Idem visum est ipsi Hieronymo lib. 1. Comment. in Epist. ad Galat. cap. 2. v. 11. multisque opinionem suam defen-

Chrys. l. 1. de Sacerdotio. Cassianus l. 17. Coll. c. 8. & 17. & seq.

dit. Visum id quoque Chrysostomo, & Cassiano. Sed palam refragatur Augustinus in libro de mendacio ad Consentium, cap. 2. & in Epistola quadam ad Hieronymum, eique assentiuntur Theologi omnes, quodlibet mendacium, simulationem quamlibet damnantes, & pec-

cati nota afficientes.

VII. Qui vero mendacium non usquequaque damnat Origenes, idem jurejurando penitus

A nitus interdicit Tractat. 35. in Matth. ita disputans: *Simile est enim, quod dicit in Evangelio Dominus ipse: Ego autem dico non jurare omnino, & non adjurare omnino. Si enim jurare non licet, quantum ad Evangelicum Christi mandatum, verum est quia nec adjurare alterum licet.* Eadem fuere sententia Athanasius, Chrysostomus, Epiphanius, Hilarius, aliique complures, quos citat Sixus Senensis libr. 6. Annot. 26. eorumque secutus est opinionem Pelagius, ut ab Augustino traditur in calce Epistol. 89. & recentium Heterodoxorum magna pars: cum è contrario sanctum esse & utile juramentum, pie modo & prudenter, & flagitante necessitate adhibeatur, Catholica Ecclesia constituat.

B

CAPUT TERTIUM.

GENERALE ORIGENIANÆ DOCTRINÆ EXAMEN.

I. *Iniqua fere pro Origene, vel contra Origenem judicia.* II. *Recensentur ipsius defensores.* III. *Multa ad Origenianæ nominis oppugnatores confutandos generatim proponuntur. Multa criminationum repugnantia* IV. *Origenistarum errores Origeni afficti.* V. *Rufini interpretis perfidia.* VI. *Patrum falsis criminibus appetitorum exemplum.* VII. *Philocalia à Gregorio Theologo, & Basilio ex Origenis scriptis excerpta.* VIII. *allegoricæ*
C *ipsius interpretationes.* IX. *Frustra hæreseon fons appellatus est.* X. *Librorum ipsius depravatio.* XI. *Multa quoque ad ipsum excusandum in universum adducuntur: perpetua ipsius in proponendis sententiis hæsitatio, ejusdem modestia,* XII. *constans hæreseon insectandi studium.* XIII. *Nimia in scribendo festinatio.* XIV. *Theologicæ quæstiones ipsius temporibus nondum satis excussæ, nec per Ecclesiam definitæ.* XV *Eum tandem temere dictorum pœnituit.* XVI. *Immerito Rufinum reprehendit Hieronymus, propter inscriptum Origenis Apologiæ Pamphili nomen.* XVII. *In multis peccasse Origenem fatendum est.*
XVIII. *Quo numero libri Origenis habendi sint, disputatur.* XIX. *Et utrum inter Hæ-*
D *reticos ponendus ipse sit.*

I. QUOD de Origene Origenisque dogmatis jactabatur olim: Ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus; idem propemodum nunc de eo, iisque merito dici potest, qui de ipsius doctrina sententiam tulere: Ubi bene accipitur, neminem accipi melius, neminem majoribus extolli præconiis, neminis doctrinam acrioribus studiis defendi, ubi male, duriori neminem & asperiori censura defricari. Adeo extrema omnia, non in vita solum, sed post mortem etiam vir ille expertus est; nescio qua fati urgente pertinacia, & perpaucos Adamantium inter, ipsiusque adversarios medias sectari
E partes patiente. Alios quidem tam inique erga ipsum animatos videas, ut in nefariorum ac pestiferorum Hæreticorum censu Origenem ponant, & tanquam de Ecclesiæ propudio ac vibice, sic de eo statuendum esse velint: alii contra tam cæco & effræni studio in eum feruntur, ut omnia ipsius facta ac dicta tueri parati sint, nec aliter dogmata ejus, quam ut ἀνεῖαις δόξαις amplectantur.

Vnus utrisque
Error, sed variis illudit partibus.

Equidem extrema hæc inter, medium quoddam iter tenendum puto, si quis æquus esse, nec sese ipse fallere velit. Fatendum est sæpe peccasse Origenem, & in damnosos errores incidisse; in multis falso & immerito fuisse accusatum, si quis neget profligati illum pudoris
F esse, & supra jam probavimus, & deinceps etiam ostendemus. Præclare Pamphilus in Apologia: *Consequens erat ex his omnibus laborum & studiorum suorum testimoniis amplecti talem virum* (Origenem) *& neque defensionis studio plus dare ei meriti, quam mensura deposcit; neque rursus obtrectandi vitio facile condemnare, & alienum ab Ecclesiastica doctrina temere pronuntiare, cum utrumq; istud præcipitium providens ante divinus sermo prohibuerit dicens: Non sit in te mensura major, neque mensura minor: abominabile est enim in conspectu Domini utrumque, unicuique enim prout dignum est retribuere, justitiæ proprium est. Propter quod & mensura integra, & pondus æquale acceptabile est apud Deum, non hoc quod mentitur veritatem, per quod vel plus donatur rebus, quam merita deposcunt, vel subtrahitur meritis quod debetur.* Igitur utrorumque mihi improbatur ratio, tum qui apologiis suis omni labe purgare Origenem student, tum qui ejus nomen

ab Ecclesia penitus detestantur: sed iis tamen qui ipsius propugnandam susceperunt causam A plus favere me profiteor; scitum quippe est plus reo favendum esse quam actori.

II. Nec me quorundam hominum movent convicia, qui non sua modo defensione indignum Origenem existimant, sed iis etiam temeritatis notam inurunt, quicunque aliquod ei excusationis præstant officium. Quo suo decreto, non quosdam de trivio magistellos, sed principes in literis & pietate insignes viros percellunt. Nam ut Alexandrum Hierosolymitanum, Theoctistum Cæsariensem, Dionysium Alexandrinum, Firmilianum Cæsariensem, Gregorium Thaumaturgum, & Athenodorum, aliosque Origeni coævos prætermittam; & totam denique Palæstinam, Arabiam, Phœniciam, & Achaiam, quæ Origenis partes adversus Demetrium Alexandrinum tutatæ sunt, aperte easdem luculentis scriptis deinde propugnaverunt Eusebius, & Pamphilus, cum in Ecclesiastica Historia, B tum multo magis per Apologiam sex libros complexam, quorum unicus supereſt. Alios quoque magni nominis viros complures Eusebii temporibus Apologias pro Origene scripsisse tradit Photius Cod. 118. Inter Origeniani nominis fautores Athanasium ponit Stephanus Tritheita, cognomento Gobarus, cujus excerpta habet Photius Cod. 232. His accensendus Didymus Alexandrinus, qui pro Origene Apologeticum edidit, & Titus Bostrensis, & Gregorii ambo, Nazianzenum dico, & Nyssenum, qui à Gobaro commemorantur, & Johannes Hierosolymitanus assiduis eam ob rem Epiphanii & Hieronymi probris lacessitus. Methodium quoque, infensum illum Origenis adversarium, sui aliquando odii pœnituit, & inter ejus admiratores ac defensores nomen suum professus est. Tulit eadem ætas addictissimum Origeni Rufinum Aquilejensem, & innumeros per Ægyptum di- C sperſos Monachos, maximis eadem de causa cum Theophilo Alexandrino velitationibus conflictatos. Anonymi cujusdam toties à nobis jam supra laudati Apologiam pro Origene legisse se testatur Photius Cod. 117. Auctoris nomen & ætatem silentio pressit. Quid jam recentiores commemorem, Johannem Picum Mirandulanum, Jacobum Merlinum Victurniensem, Desiderium Erasmum Roterodamum, Sixtum Senensem, Claudium Espencæum, Gilbertum Genebrardum, & novissime Petrum Halloxium, quorum luculentæ extant in Origenis defensionem dissertationes?

III. Horum quidem exemplum sine reprehensione sectari me potuisse puto; neque feci tamen, nec porro faciam: in neutram enim partem nimis conspici velim: tantum quid utrimque afferri in universum possit, disputabo. Primum, quid Origenis causæ maxime D faveat, videndum est; cujus duplex est ratio, vel conflatis in eum criminationibus diluendis, vel ipso Origene excusando. Confutantur primum accusationes hoc argumento, quod pleræque sibi repugnant invicem, & in sese incurrunt. Inter novem criminationes à Pamphilo commemoratas, contrariæ sibi sunt priores quatuor, quæ ad Christum pertinent, ut vel silente ipso Origene, mutuo sese illæ refellant. Quod si quis superius caput, quod Adamantii dogmata complectitur, attentis oculis perlustret, multa illic objecta Origeni crimina adversari sibi invicem deprehendet.

Beda in Collectan. & Florib. cap. de luminarib. Eccles.

IV. Alterum defendendi Adamantii argumentum ex eo petitur, quod Origenistarum Heterodoxorum errores Origeni sæpe afficti sunt, & quod, ut ait Beda, *multi ejus pessimi discipuli multa venenosa sub nomine hujus edidisse videntur.* Cum enim Christianum orbem E in factiones dissipasset ipsius doctrina, ut multa huic falso ab adversariis impacta sunt, ita non pauca tanquam ab ipso tradita propugnarunt ipsius asseclæ; vel quæ re ipsa fuerant ab illo tradita, in aliam sententiam detorserunt: quorum caussa insonti Origeni delegabatur. Caute ergo & diligenter Origenistica dogmata ab Origenicis seponat, & in diversis caussis Origenem ac Origenistas versaricciat, quisquis historiam hanc accurate rimari, & perspectam habere volet.

V. Nocuit & illud Origeni quod maximæ lucubrationum suarum partis Rufinum interpretem nactus est. Cujus tanta fuit in Latine reddendis Veterum scriptis, & tam immoderata licentia, quemadmodum sæpe monuimus, cum multa detrahendo, vel inferciendo, tum pleraque interpolando & recoquendo, ut intelligere debeat quicunque conversum à Rufino Scriptorem aliquem leget, non tam se Auctoris ipsius, quam Rufini sententias & verba legere. Eo vero latius patet id vitium, quod ipsum Origenianæ doctrinæ fontem, libros περὶ ἀρχῶν unus ille ad nos derivarit, & suis quidem sordibus inquinatos; cujus testem citamus Rufinum ipsum in Prologo, & in Præfatione libri 3. Nemo autem superioris Capitis dissertationum fidem hinc elevari posse putet; cum enim magna criminationum pars, quas Origenis oppugnatores jactant, inde petita sit, quid aptius quam responsiones indidem depromere, unde criminationes petitæ sunt? Si quis ergo è corrupto libro prolatas defensiones caussetur, cadat accusationum ex eodem accersitarum fides necesse est. Quod si suum his servetur robur, stabit illarum quoque auctoritas.

VI. Multum etiam ad defensionem Origenis confert Patrum aliorum exemplum, quibus

A bus errores aliqui exciderunt humanitus , quamvis orthodoxam in aliis tenuerint fidem, & inter orthodoxos positi sint. Nam ut alios brevitatis caussa prætermittam, quot recensere possumus, nulla hæreseos suspicione aspersos, & de Trinitate tamen falsa & absurda commentos? Venient in hunc ordinem Justinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Romanus, Gregorius Thaumaturgus, Methodius, Lucianus, & Origenis præcipue discipulus Dionysius Alexandrinus, quem idcirco Anomœorum parentem appellat Basilius Epist. 41. & Arianismi fontem Gennadius libr. 2. de dogmat. cap. 2. cum eum tamen ab his accusationibus vindicet Athanasius, & præter Athanasium Hieronymus, qui eum *in Trinitate Catholicum esse* testatur Apolog. libr. 2. cap. 4. Quam multos integræ & sanæ fidei viros tulit Ecclesia, calumniis proscissos, & ignominiis notatos?

B Unum laudabo præ reliquis Johannem Chrysostomum, vel hanc potissimum ob causam, quod has ipsi conflictationes Origenistarum suspicio peperit. Nam cum Origenistas monachos adversus Theophili Alexandrini injurias tueretur, in suspicionem venit affectati Origenismi, variisque artibus Episcopatu depulsus, Constantinopoli deturbatus, in exilium actus, summa ac prope ferina à submissis satellibus inclementia adhibitus, ægritudine tandem animi ac corporis doloribus extinctus est; Origenisque calamitatem & fortunam Origenistas protegens in se expressit.

VII. Notandum quoque in gratiam Origenis, quæcunque nobis ipsius exhibet Philocalia (multa autem exhibet, etiam ab ejus criminationibus reprehensa) quoniam à Gregorio Theologo & Basilio selecta Philocaliæ nomine affecta sunt, ipsorum quasi suffragio & approC batione munita videri; nam si secus de iis sensissent, eane ἐκλογὰς χρησίμους τοῖς φιλολόγοις Gregorius appellasset in Epistola ad Theodorum Tyanæum Episcopum?

VIII. Allegoricæ præterea ipsius interpretationes Lectores nonnunquam fefellerunt: cum enim sæpe ab expositione literæ ad spiritalem sensum ita transeat, ut vix utriusque præcipiatur commissura, allegoricas interpretationes habuerunt pro dogmaticis assertionibus, & sic in eas, tanquam adversus novas opiniones in Ecclesiam invectas velitati sunt.

IX. Nec fraudi huic esse debet, quod Manichæorum, Sabellianorum, Arianorum, Eunomianorum, Anomœorum, Pelagianorumque pater, & omnium hæreseon fons à nonnullis appellatur. Nam ut ad confingendas Hæreses incentivum scripta ejus malis ingeniis subdiE disse demus, Lectorumne culpam & perversa judicia præstare tenetur? meritone ægri stomachi vitium in cibum sincerum transfertur? Imo vero, summæ ejus in Ecclesia auctoritatis vel ex eo præjudicium sumi potest, quod ex ipsius suffragio magnam erroribus suis vim accedere putarunt Heterodoxi. Annon autem præcipuam figmentis suis fidem ex Scriptura sacra conciliare itidem student Hæretici? annon ex divinis Libris in alienos & nefarios sensus à se contortis pestifera sua dogmata extuderunt? Pari ergo jure errorum omnium, si ita loqui licet, Scriptura sacra, male scilicet accepta, fons dicatur & origo, ob præpostera nempe Hæreticorum ingenia, optima quæque pervertentium.

X. Denique potissimum Origeni ex librorum ipsius depravatione patrocinium conciliatur. Argumentum illud arripuit Anonymus ipsius defensor apud Photium Cod. 117.

D Idem vero peculiari libello dilatavit Rufinus, cujus summa hæc est: Inde Origenis codices ab Hæreticis & malevolis depravatos argui, quod contraria & repugnantia, non in diversis solum ipsius scriptionibus, sed iisdem etiam locis comperiantur, qualia ab homine non insano, nec penitus mente commoto scripta nullus suspicari possit; Patrum aliorum libros pari modo Ecclesiæ perduelles corrupisse, puta Clementis Romani, Clementis alterius Alexandrini, ac Dionysii item Alexandrini, ejus libris manus ab Hæreticis illatas Athanasium demonstrasse, eundem casum Athanasii ipsius Codices sustinuisse; Hilarii quoque & Cypriani, nec sacris ipsis Voluminibus nefarios homines Marcionistas & Apellitas pepercisse, non unam lucubrationum suarum corruptelam ab Adversariis suis profectam

F Origenem ipsum deprehendisse, uti ipse apud Amicos Alexandrinos questus est in Epistola, quam descripsit Rufinus, eandem quoque querelam in alia ipsum Epistola iterasse. Præ aliis vero depravatos fuisse libros περὶ ἀρχῶν idem tradit Rufinus in Prologo iis præfixo. Huic adsonat Vincentius Lirinensis in Libello adversus Hæreses, capit. 23. *Sed dicet aliquis*, inquit, *corruptos esse Origenis libros: non resisto, quin potius & malo: nam id à quibusdam & traditum & scriptum est, non Catholicis tantum, verum etiam Hæreticis.* Auctor Catalogi ad Desiderium: *Multi tamen aliquos ejus* (Origenis) *pessimos discipulos multa venenosa sub ejus nomine edidisse testantur*: quæ verba repetit Beda. Auctor Prædestinati Hær. 22. & 43. minime ab his discrepat, additque Ampullianum quendam Hæresiarcham Bithynum adstruendi sui dogmatis gratia vitiatos à se Origenis libros protulisse. Denique Haymo Alberstatensis in libro de Christianarum rerum memoria ita disserit: *Ego sane de Origene viro tam illustri, abstinentissimæ vitæ & castissimæ, præclaræ doctrinæ, puri & lucidi sermonis, salva fide Pa-*

trum dixerim, quod hæc omnino non scripserit, sed ab Hæreticis ob præclarum nomen ejus effuscandum, maligne conficta sunt & conscripta, & nomini suo prætitulata. A

Constat profecto solenne id esse Hæreticis veteres libros arcessendæ sibi auctoritatis caussa violare. Frequentia occurrunt exempla in Panario Epiphanii. Scribit item Evagrius Nestorianos & Eutychianos sanctorum Patrum lucubrationes sæpe depravasse, multosque Apollinarii libros Gregorio Thaumaturgo, Athanasio, & Julio mutatis titulis adscripsisse. Apollinaristas quoque Cyrilli libros pervertisse auctor est Leontius. Notarios præterea Homilias Origenis, & dictata ex ipsius ore excipientes per nimiam festinationem erroribus aliquibus respersisse crediderim; nec non & indoctas puellas, quarum opera ad exarandos nitidis literis codices utebatur.

Evagr. lib. 3. cap. 31.

Sed Hieronymus totam hanc Origenis, quæ ex librorum ipsius depravatione petitur, B defensionem flocci facit libr. 2. Apolog. adv. Rufin. cap. 4, & 5. & cum Rufino pedem confert, ac loca Origenis in quibus repugnantia extare dixerat Rufinus, designari sibi postulat. Nos certe in superiore capite testimonia attulimus tam sibi contraria, ut Hieronymo satisfacere possint. Ait deinde hac responsione usum non esse Didymum, non Eusebium. Quid tum autem? Si, quæ ab Hæreticis inserta sunt, benigna interpretatione mollivit Didymus, vel perperam defendit Eusebius; si objectum testimonium solvere maluerunt, quod erat in promtu, quam ut falsum repudiare, quod probatu difficilius erat, minusne idcirco incerta & adventitia sunt? Usus erat deinde Rufinus aliorum Patrum exemplo, quorum lucubrationes fuerant violatæ. Ait vero Hieronymus futurum ut si id concedatur, jam incerti sint librorum auctores, nihil ad eos relatum iri qui scripserunt, sed ad corruptores C omnia, ac ne ad illos quidem, cum ignoti sint. *Hac defensionis*, inquit, *perturbatione, nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt.* Attendisset vero Hieronymus ad superiora: scribit Rufinus falsi ea esse suspecta, quibus alia in eodem Scriptore ex adverso opposita extant: his duntaxat falsitatis notam apponit Rufinus; *Non enim*, inquit Invect. 1. in Hieron. *generaliter promisi me prolaturum quæ essent fidei contraria, sed quæ ipsi sibi essent contraria*; ideone porro incerti erunt librorum Auctores, si ea duntaxat illis abjudicentur, quæ reliquis contradicunt? ecquod hinc sibi patrocinium spondere poterunt Marcion, Manichæus, & alii? Tum objicit sibi Hieronymus: *Quomodo in libris eorum* (Patrum Ecclesiæ) *vitiosa nonnulla sunt?* respondet, *Si me causas vitiorum nescire respondero, non statim illos Hæreticos judicabo: fieri enim potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel à librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint: vel certe, antequam in Alexandria, quasi dæmonium meridianum, Arius nasceretur, innocenter quædam & minus caute locuti sunt, & quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.* Excusationem accipio, cur tu eandem pro Origene adhibitam repudiabis? à librariis scripta ejus fortasse corrupta fuisse dicimus; ante Arium minus caute locutum pronuntiamus, vel alio sensu scripsisse, vel denique errasse; idcirconе hæreseos ipsum damnabis? Allata demum Patrum aliorum exempla deridens ait, non hæreseos suspicione vacare Origenem, etiamsi in hæresi Patres alii fuerint. Dicendum potius hæresi vacare Origenem, quamvis in errores lapsus sit, quod paribus impliciti erroribus Patres, omni tamen hæreseos nota sint immunes. Mutilatæ postmodum Epistolæ Adamantii ad amicos Alexandrinos Rufinum arguit Hieronymus; ut si quis mutila- E tum à me Scriptorem esse dicat, cum testimonium aliquod ex eo vel fragmentum ad rem in disputatione positam pertinens adduco: quorsum enim Origenis adversus Demetrium querelas, quæ in reliqua Epistolæ parte continentur, retulisset Rufinus, de librorum ipsius constupratione agens? Ad id autem quod caussatus fuerat Origenes in Epistola ad Alexandrinos, adulteratum à Candido Valentiniano hæretico habiti secum Dialogi Codicem, subjicit Hieronymus: *Intelligimus in hoc tantum Dialogo ab Origene argui hæreticam falsitatem, & non in cæteris libris, de quibus nunquam quæstio fuit: alioqui si omnia quæ hæretica sunt, non erunt Origenis, sed Hæreticorum, omnes autem propemodum illius Tomi his erroribus pleni sunt, nihil Origenis erit, sed eorum quorum ignoramus vocabula.* Quid fiet autem altera Origenis Epistola, in qua scribit Rufinus parem haberi de libris ejus violatis querimoniam? Deinde F non id velle Rufinum diximus, quæcunque hæretica sunt in Origenis lucubrationibus, Hæreticorum esse, sed ea tantum quibus repugnantes sententias Origenes asseruit. In Epistola quoque 65. ad Pammachium & Oceanum, cap. 4. multa in eandem sententiam Hieronymus colligit, idemque habet, quod in Apologia adv. Rufin. propositum est, & à nobis supra confutatum, nempe defensores Origenis Eusebium, & Didymum hac responsione quæ ex librorum ipsius constupratione petitur, minime usos fuisse. Tum ait: *Solus inventus est Origenes, cujus scripta in toto orbe falsarentur.* Itane vero? Annon Evangelistarum, Apostolorumque scripta adulteras Hæreticorum manus senserunt? Parum quoque valet, quod subnectitur: *Ipse Origenes in Epistola quam scribit ad Fabianum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit; & caussam temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit*; nam

nec

A nec hæreticus ille est, nec habendus est, quem temere dictorum pœnituit. Aliud præterea his verbis suggerit nobis defendendi Origenis argumentum Hieronymus; perperam scilicet ab Ambrosio vulgatos fuisse Codices, quos exercitationis gratia secreto Origenes elucubraverat. Hinc denique refellitur illud Baronii ad An. 232. cap. 10. *At in eo certe minus excusatione dignus esse videtur, quod cum sciret sua ab omnibus impugnari, retractatorium nullum ediderit Commentarium; cum ipsi tamen satis otii & temporis superfuerit, ut ad omnes Catholicæ fidei numeros, cuncta quæ à se scripta essent, attemperaret*: nam & pro *retractatorio commentario* haberi potest illa ad Fabianum Epistola, & alios insuper fortasse scripsit, vetustate deinde consumtos.

XI. Quæ ad frangendas Origenis oppugnatorum accusationes, eumque adversus calumnias tuendum, & immunem culpa præstandum valere poterant, collegimus: nunc quid
B ad eum excusandum, & ad conciliandum huic, etiam erranti, hominum favorem conferat, videamus. Utilissimum est inprimis, quod nullam in proponendis opinionibus pervicaciam, nullam in defendendis pertinaciam, quæ præcipua hæreseos nota est, præ se fert, sed fluctuans semper & incertus cogitata sua profert in medium, solenni hac vocula μήποτε, quæ hæsitantis est, lectorum animos occupans, & disputationes suas ordiens, easdemque consueta obtestatione concludens, qua universos ad alia perscrutanda & proponenda hortatur, paratum se significans à suis discedere, ad meliora transire. Sæpe quidem in libris περὶ ἀρχῶν dubitationem suam fatetur: velut lib. 1. cap. 6. *Quæ quidem à nobis etiam cum magno metu & cautela dicuntur, discutientibus magis & pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus: indicatum namque à nobis in superioribus est, de quibus manifesto dogmate terminandum sit, quod &*
C *pro viribus nos fecisse puto, cum determinate loqueremur. Nunc autem disputandi specie magis quam definiendi, prout possumus, exercemur*: quod iterat in fine capitis ejusdem, & initio sequentis. De Incarnatione Christi dicturus hæc præfatur libr. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 6. *De quo nos non temeritate aliqua, sed quomodo ordo loci deposcit, ea magis quæ fides nostra continet, quam humanæ rationis assertio vindicare solet, quam paucissimis proferemus, suspiciones potius nostras, quam manifestas aliquas affirmationes in mediam proferentes.* Nec aliter suam de anima disputationem accipi vult; ait enim libr. 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 8. *Verumtamen quod diximus mentem in animam verti, vel si qua alia in hoc videntur aspicere, & discutiat apud se qui legit diligentius & pertractet; à nobis tamen non putentur velut dogmatu esse prolata, sed tractandi more ac requirendi esse discussa*: & paulo
D post: *Hæc prout potuimus de rationabili anima discutienda magis à legentibus, quam statuta ac definita protulimus.* Plena sunt ejusmodi obtestationum omnia, è quibus nonnullas adducit Pamphilus suam pro Origene Apologiam exordiens, ex ejusque hæsitatione validissimum tuendi ipsius argumentum sumit, idque non semel adversariis objectat. Hinc Gulielmus Parisiensis in part. 1. de universo, cap. 19. hæc scribit: *Hinc est error qui impositus fuit à quibusdam uni è præcipuis Doctoribus Christianorum, & iste fuit è sapientibus Theologis Græcorum, & vocatus fuit Origenes. Apparebit autem tibi ipsum nullatenus ex sententia & assertione dixisse.* Qui minus autem hanc pro Origene excusationem usurpabimus, cum eandem pro Origenis discipulo Gregorio Thaumaturgo usurpaverit Basilius Epist. 64. Merito itaque Johannes Picus Mirandulanus, secundo articulo Apologiæ pro Origene, probat eum, si quid fidei minus consonum scripsit, *neque dogmatice, neque assertive, sed dubitative semper &*
E *inquisitive procedere*; multaque Origenis congregat loca, in quibus apparet ipsius fluctuatio.

Multum etiam modestiam Origenis, & submissos ac humiles de se, suaque doctrina sensus prædicat Pamphilus initio Apologiæ: & merito; quid enim tam ab hæresi alienum, cujus certus character est superbia? Factum itaque optime est ab Halloxio, cum in ejus contestanda demissione & modestia operam suam posuit, & loca ipsius multa coacervavit. *Hall. Orig. def. lib. 2. cap. 2.*

XII. Quid quod internecinum cum Hæreticis bellum perpetuo gerit Origenes, Valentinianis, Marcionistis, Basilidianis, Apellitis, Helcesaitis; eaque teneri ac credi duntaxat jubet, quæ ab Ecclesia recepta sunt. *Illa sola*, inquit in Proœmio lib. 1. περὶ ἀρχῶν, *credenda est*
F *veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione*: quod sæpe repetit: & Hom. 16. in Luc. *Ego vero quia opto esse Ecclesiasticus, & non ab Hæresiarcha aliquo, sed à Christi vocabulo nuncupari, & habere nomen quod benedicetur super terram, & cupio tam opere, quam sensu, & esse, & dici Christianus, æqualem & in veteri & in nova lege quæro rationem.* Unde Pamphilus: *Hoc idem facit etiam* (Origenes) *cum Hæreticorum discutit sectas, quibus omnibus confutatis atq; victis unam solam eam, quam supra exposuit, Catholicæ veritatis sententiam tenet. De quibus singulis qualiter respondeat Hæreticis, & quomodo universa eorum dogmata destruens ipse semper Apostolicam confirmaverit fidem, si velimus omnes sententias ejus congregare, & longum satis est, & erit tam nobis qui scribimus onerosum, quam legentibus tædiosum.* Profecto hæreses, hæreseonque principes à puritia usq; adeo aversabatur, ut Paulo Hæretico, excellentis licet facundiæ viro, in precationi-

bus adsistere nunquam voluerit, etiamsi eodem ac ille contubernio uteretur: φυλάττων, inquit A
Eusebius libr. 6. Histor. cap. 2. ἔτι παιδὸς κανόνα ἐκκλησίας, ὑφηλυπλέρμδρός τε, ὡς αὐτῷ ῥήματι φησί
που αὐτὸς, τὰς περὶ αἱρέσεων διδασκαλίας. *Servans Ecclesiæ regulam jam inde à puero, & ut ipsemet alicubi loquitur, hæreseon doctrinas abominans.*

XIII. Suam præterea in scribendo festinationem Origeni nocuisse credibile est; nam cum tot inter curas animum distraheret, qua verba faciendo ad populum, qua Catechumenos instituendo, qua munia omnia pietatis exequendo, non multum scilicet succisivi supererat otii ad elaborandas scriptiones; proindeq; quod piis exercitationibus impenderat temporis, summa diligentia repræsentabat, ut plus septem notarios scribendo defatigaret, tantumq; librorum ediderit in publicum, ut mirabile sit. Quo factum est, ut sæpe eum σολοικίζοντα deprehenderimus; animo rebus intento, ad orationis composituram incurioso. Quid ergo B
mirum aliqua non satis caute dicta hinc interdum excidisse?

XIV. Potissimum vero juvat Origenem, quod quæstiones pleræque nondum fuerant Theologorum disputationibus ventilatæ & illustratæ, nec Ecclesiæ decretis & sanctionibus definitæ. Avia ergo loca, & nullius ante solo trita peragrantes Theologi, quæ proxima ad verum videbatur via, hac ferebantur confestim, & aberrabant sæpe, sed venia digno errore, nondum recto tramite per Ecclesiam monstrato. Quod aliis igitur Patribus benigne condonari solet, idem ut indulgeatur Origeni æquum ac verum est. Quænam autem communi Ecclesiæ consensu sua ætate recepta & probata essent, tum quæ in utramque partem possent disputari, cauta distinctione secrevit ipse Origenes in Proœmio libri 1. περὶ ἀρχῶν. In postremum hunc censum conjicit quæstiones de animæ origine, de natura Angelorum & Dæmo- C
num, de iis quæ mundi ortum antecesserunt, & quæ post ejus interitum futura sunt, aliaque nonnulla. Eadem in simili caussa usus est exceptione Hieronymus lib. 2. Apolog. adv. Rufin. cap. 4. cum veteres Ecclesiæ Scriptores, quorum codices erroribus infecti sunt, excusare vellet: *Fieri potest ut antequam in Alexandria, quasi Dæmonium meridianum, Arius nasceretur, innocenter quædam & minus caute locuti sunt, & quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.* Reddimus itaque Hieronymo voces suas, & quod pro aliis valere vult, idipsum pro Origene ut valeat, jure nostro postulamus.

XV. Denique cum in Epistola 65. quæ est ad Pammachium & Oceanum, cap. 4. testificetur Hieronymus, ut dictum superius à nobis est, errorum suorum Origenem pœnituisse, idque Fabiano Papæ ipsum significasse per literas, & temeritatis caussam in Ambrosium retulisse, quod secreto edita publicasset; is ab omni hæreseos infamia plane vindicatur, qua ii D
notantur duntaxat, qui temere pronuntiata pertinaciter defendunt. Optime id pro ingenii sui perspicacitate notavit Picus Mirandulanus art. 4. Apologiæ suæ pro Origene: verum minus recte addidit Origenem ante sexagesimum ætatis suæ annum multa titubanter proposuisse, utpote in Theologicis quæstionibus nondum satis subactum; quæ vero deinceps elucubravit, puta libros contra Celsum, & Commentaria in Matthæum, ea tum scripsisse, cum jam Catholica veritas ipsi fuisset comperta: quasi non iidem compareant in iis errores, quos in prioribus admiserat.

XVI. Quoniam autem defensores Origenis percensemus hoc capite, & quæ illi tuendo E
commoda esse possunt, summatim colligimus, locus non admonet, ut Apologiæ sub nomine Pamphili pro eo scriptæ, cujus testimonium toto hoc opere sæpe adhibuimus, verum ac legitimum auctorem indicemus. Lucubrationi huic à se Latinis literis redditæ Pamphili nomen Rufinus adscripserat, uti hodieque adscriptum extat; & in Invectiva priore in Hieronymum tanquam à Pamphilo elaboratam laudaverat: quem secuti sunt deinde Auctor Prædestinati libr. 1. Hær. 43. Socrates libr. 4. Hist. Eccles. cap. 27. & Nicephorus libr. 10. cap. 14. Rufino reclamavit Hieronymus, fucumque Lectoribus factum conquestus est: at in assignando scriptionis hujus auctore varia disseruit. Nam in Proœmio in Dialogos adv. Pelagianos, & Apolog. 1. in Rufin. cap. 2. eam docet primum esse librum è sex libris, quibus constabat Apologia Eusebii pro Origene; ex eoque id esse manifestum, quod in sequen- F
tibus Eusebii libris citetur ille primus; & in primo vicissim sequentes; nihil Pamphilum, teste Eusebio, proprii operis condidisse: & in libro adv. Pelag. ad Ctesiph. cap. 2. *Fecerat hoc*, inquit, *& in sancti Pamphili martyris nomine, ut librum primum sex librorum defensionis Origenis, Eusebii Cæsariensis, quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat, nomine Pamphili martyris prænotaret*: & libr. 6. in Ezech. cap. 18. *Nec mirum si gentilem Philosophum in martyrem & Romanæ urbis Episcopum transtulerit; cum Eusebii quoque Cæsariensis primum pro Origene librum, Pamphili martyris vocabulo commutarit; ut facilius tali laudatore libros impiissimos περὶ ἀρχῶν Romanis conciliaret auribus.* At in Epistola 65. ad Pammach. & Ocean. cap. 4. compositum ab amicis Origenis & sectatoribus librum suspicatur, eoque facilius compositum, quod, nullis aliis à Pamphilo editis scriptionibus, ex earum conflictu verum deprehendi non posset, additque suppositititium hoc opus ad mille versus è principio libri sexti Euse-

bianæ

A bianæ Apologiæ continere. Subjungit postmodum Pamphilum inter & Eusebium magnam fuisse animorum concordiam: *Quomodo igitur*, inquit, *inter se dissentire potuerunt, ut Eusebius in toto opere suo Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus Nicænæ Synodi, quæ fuit postea, defensorem?* Unde concludit vel Didymi esse illud opusculum, vel alterius cujuslibet, qui sexti Eusebii libri *capite detruncato cætera membra sociarit*: hoc est, qui libri sexti initium in priorem inseruerit. Nam libro 3. Apolog. adv. Rufin. cap. 4. hæc habet: *In Cæsariensi Bibliotheca Eusebii sex volumina reperi* ἀπολογίας ὑπὲρ Ὠριγένους: *quæ cum legissem, primum eum librum deprehendi, quem tu solus sub nomine Martyris edidisti, de Filio & Spiritu sancto in bonam partem plerisque blasphemis commutatis; & hoc vel Didymum, vel te, vel alium fecisse nescio quem, quod tu apertissime in libris* ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ, *fecisse convinceris: maxime cum idem Eusebius, ut jam duobus libris docui,* B *scribat Pamphilum nihil proprii operis edidisse.* Ex his efficitur Didymum, aut alium quemlibet, in priorem Eusebianæ Apologiæ librum mille circiter versus ex sexti initio detractos inseruisse, Rufinum vero exposuisse Latine, & sub Pamphili nomine publicasse, cum Eusebii potius dicendus esset; ac nonnulla quoque de Filio Dei & Spiritu sancto, in eo vel ipsum, vel Didymum, vel alium commutasse. Hoc idem reperitur libr. 1. Apolog. adv. Rufin. cap. 2. & libr. 4. cap. 4. quo postremo loco aliqua etiam orthodoxæ fidei minus congrua in Rufini interpretatione extitisse tradit Hieronymus, quæ nusquam hodie comparent; à Rufino, ut opinor, erasa, quo omnem querelæ ansam præcideret. Libri ejusdem secundi capite sexto narrat Hieronymus Apologeticum hunc, primum sibi in codice Rufini visum, Pamphili nomine inscriptum, diversum ab Eusebii Apologetico aliquando existimasse: sed pel- C lecto utroque facile intellexisse primum ex Eusebianis sex libris, eum esse cui à Rufino Pamphili nomen inductum est, quique hoc titulo Latine ac Græce editus est, *immutatis duntaxat sensibus de Filio & Spiritu sancto, qui apertam blasphemiam præferebant*: eo factum ut in libro de scriptoribus Ecclesiasticis Pamphilo lucubrationem hanc adscripserit. Verba ejus sunt: *Scripsit, antequam Eusebius scriberet, Apologeticum pro Origene.* Id ita demum excusat libr. 2. Apolog. adv. Rufin. cap. 6. *Sed cum ipse dicat Eusebius Pamphilum nihil scripsisse, exceptis brevibus Epistolis ad amicos, & primus liber sex voluminum illius eadem & iisdem verbis contineat, quæ sub nomine Pamphili à te ficta sunt, perspicuum est te idcirco librum hunc disseminare voluisse, ut sub persona Martyris hæresim introduceres; cumque de ipso libro, quem Pamphili simulas, multa perverteris, & aliter in Græco, aliter in Latino sit, fraudem tuam errori meo imputare non debes; credidi* D *enim ejus esse librum, quem titulus præferebat*: atque hæc repetit libr. 3. Apolog. cap. 4. Quamvis autem in assignando Apologetici hujus auctore dubius hæreat Hieronymus; Marianus tamen Victorius accuratus Hieronymi editor eum sine dubitatione Eusebio adscribere non dubitavit.

Verum concertationem dirimit Photius Cod. 118. docet enim Pamphilum, cum attineretur in carcere, quinque priores Apologetici illius libros præsente Eusebio elaborasse; sextum vero, perpesso martyrium Pamphilo, ab Eusebio fuisse absolutum. Præcipuum nempe operis auctorem Pamphilum agnoscit, socium vero Eusebium & administrum. Res ipsius verbis melius spectabitur: ἀνεγνώσθη παμφίλου τοῦ μάρτυρος καὶ εὐσεβίου ὑπὲρ Ὠριγένους. τόμοι δὲ τοῦ βιβλίου ἓξ, ὧν οἱ μὲν πέντε παμφίλῳ τῷ σεσωστήκοτι ὁμοίως, συμπαρόντος καὶ εὐσεβίου ἐξεπονήθησαν. ὁ δὲ ἕκτος, E ἐπεὶ ὁ μάρτυς ξίφει τὴν ζῶσαν ἀπαχθεὶς, ἀνέλυσε πρὸς ὃν ἐπόθει θεὸν, εὐσεβίῳ λοιπὸν ἀπαρτίζεται. *Lectus est Pamphili martyris, & Eusebii pro Origene liber sex tomis constans, quorum quinque à Pamphilo in carcere detento, præsente etiam Eusebio, elaborati sunt. Sextus autem, postquam gladio Martyr vita privatus migravit ad Deum quem concupiscebat, ab Eusebio est absolutus*: & deinde: ἣ δὴ ὑπὲρ Ὠριγένους ἀπολογίαν, ὡς ἔφημεν, ὁ παμφίλου σὺν εὐσεβίῳ καθειργμένῳ τῷ δικήματι συνεγράψατο, καὶ ταύτην πρὸς τοὺς ἐν μετάλλοις διαπεμψάμενος διεπέμψατο. *Apologiam autem pro Origene, ut diximus, Pamphilus una cum Eusebio carcere inclusus elucubravit, eandemque ad eos qui in metallis pro Christo exercebantur, misit.* Eusebius ipse scriptam eam à se & Pamphilo fatetur Histor lib. 6. cap. 33. ὅσα δὲ ἀναλαβὼν, inquit, ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ διηγήσωμαι λόγου, ταῦτα ἤδη τῶν ὑπὲρ αὐτοῦ πεποιημένων ἡμῖν τε καὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς ἱερομάρτυρος παμφίλου ἀπολογίας, παρέσται ἀναλέξασθαι. *Quæcunque vero de illo necessario* F *cognoscenda sunt, ea petere licet ex Apologia, quam pro eo ego & sancti temporis nostri Martyr Pamphilus elaboravimus.* Pamphilum igitur & Eusebium auctores habet Apologeticus iste, &, si Photium audimus, primarium quidem & præcipuum Pamphilum. Postremum duntaxat è libris sex unus Eusebius conscripsit. Ad id autem quod objicit Hieronymus, mille versus detractos è postremo Apologiæ libro, qui Eusebii fuit, in priorem illum Pamphili fuisse inductos, proindeque non totum à Pamphilo fuisse lucubratum; respondeo, nec totum lucubratum fuisse ab Eusebio; & utrique adscribi posse. Vana est vero altera Hieronymi petitio, cum ait, summum fuisse Eusebium inter & Pamphilum opinionum consensum; cum autem Eusebius Origenem toto in opere suo probare videatur Ariani fuisse defensorem dogmatis, Pamphilus vero Nicenæ Synodi, quæ fuit postea, defensorem; hinc effici non esse Pamphili & Eusebii totum illud opus, sed partem esse Eusebii, priorem

vero

vero librum alterius cujuslibet, puta Didymi. Non magis enim mirum est diversa de A Origenis doctrina sensisse & scripsisse Pamphilum & Eusebium, quam de Christi divinitate orthodoxam fuisse Pamphili opinionem, Arianam vero & hæreticam Eusebii. Facile quoque diluitur aliud argumentum Hieronymi, nihil proprii operis Pamphilum condidisse asserentis: nec enim proprium ejus opus Apologeticus ille dici potest, quem alterius opera adjutus, Eusebii scilicet, elaboravit. Nunc vero arbitrentur æqui & eruditi Lectores, meritone Rufinum Hieronymus reprehenderit, propter inscriptum Pamphili nomen priori hujus Apologiæ libro. Cæterum cum sex constaret libris hæc Pamphili Apologia, cujus prior duntaxat à Rufino conversus ad nos pervenit, non est cur miretur Baronius Gregorii Neocæsariensis encomiasticam orationem Origeni dictam, quam à Pamphilo Apologiæ suæ insertam fuisse proditum est, in ea hodie non inveniri, cum quinque libris mutilatum hoc B opus habeamus.

XVII. Quamvis autem multa vel ad refellendos Origenis adversarios, vel ad ipsum excusandum attulerimus, in multis tamen peccasse fatendum est. Ac plerosque sane ipsius errores supra jam ab aliis deprehensos agnovimus, vel nondum perspectos notavimus, cum ejus dogmata perpenderemus. Peccandi caussa judicium præceps, & immoderata ingenii lascivia & licentia, cui tam intemperanter morigerabatur, ut cogitata omnia, cruda etiamnum & immatura profunderet. Accessit inepta quædam Scripturæ plerumque explicandæ ratio, vocum singularum notionibus eruendis & expendendis odiose ac putide studens, & in minutis quibusque confectandis ac invicem confligendis morose & frigide laborans. Adde nimium profanarum doctrinarum, ac Platoniæ præsertim Philosophiæ, C quam Tertullianus *hæreticorum omnium condimentarium esse factum* ait, studium, ad cujus normam Theologica dogmata cum exigeret, absurdis opinionibus ipse primum imbutus, mox Ecclesiam conturbavit. Platonis quidem disciplinam affectati sunt vetusti Patres quamplurimi, partim vetustiores Origene, partim eodem recentiores, quicunque præsertim Nicænum Concilium antecesserunt: at ea solum ab illo mutuati sunt, quæ decretis Ecclesiæ consentiebant; Origenes vero totam Academiam visus est in Ecclesiam transtulisse: licet fateatur alicubi *Philosophiam neque in omnibus Legi Dei contrariam esse, neque in omnibus consonam.* Inde tanta errorum seges bonæ frugi succrevit. Ex his satis liquet quam inanes sint Rufini conatus, cum quidquid falsum apud Origenem occurrit, pro spurio & ab Hæreticis intruso haberi jubet; nam multa quidem Origeni afficta fuisse verum est, sed D plura tamen, eaque noxia & damnosa ab illo profecta esse candidum virum fateri decet.

Tertull. lib. de anima cap. 23.

Hom. 14. in Gen.

XVIII. Nunc quærendum superest, quo numero habendi sint libri Origenis, ipseque adeo Origenes: utrum hic inter Hæreticos, illi inter damnatas ac reprobatas scriptiones ponendi sint. Quod erit capitis hujus velut corollarium. Disputemus primum de libris. Invarios Origenem impegisse errores satis à nobis confessum est. At quamvis eos operibus ipsius aliunde assutos daremus, quod multi affirmarunt, planeque iis immunem Origenem agnosceremus, valeret id quidem ad excusationem Auctoris; non ad purgationem librorum. Cum certum sit igitur falsis eos & impiis scatere sententiis, & jam inde à vetustis temporibus malo fermanto fuisse infectos, quæritur penitusne repudiari eos jubeat Ecclesia, & abjici, quemadmodum Hæreticorum libri solent, an ipsorum usum eadem vel probet vel certe E permittat.

Auctor est Pamphilus in Apologia, Hæreticorum loco sua ætate à multis habitos, quicunque libris Origenis uterentur, nec eam quidem concessam ipsis fuisse veniam, *quæ impartiri solet (verbi gratia) his qui Græcorum sæcularium libros, vel nonnunquam etiam Hæreticorum percontandi atque cognoscendi studio decurrunt.* Pamphili circiter temporibus florebat Pachomius Abbas, vitæ sanctitate illustris, quem jam morti proximum, Monachos suos ab earum lucubrationum lectione gravissimis verbis prohibuisse narrat, qui vitam ejus literis consignavit: sed fidem narrationi detrahit perspectum scriptoris adversus Origenismum odium. Multum deinde à Theophilo & Epiphanio laboratum est, omnium de manibus ii libri ut excuterentur: proditum quippe est à Socrate & Sozomeno solas Origenis lucu- F brationes criminatum esse Theophilum, earum licet auctoritate adversus Arianos jam ante Athanasium pugnasset; Alexandriæ concilium conflasse, in eoque illæ ut repudiarentur perfecisse; easdem in Cypria Synodo suasu ipsius Epiphanium damnasse, & ne quis iis legendis operam daret sanxisse, decretum Constantinopolim misisse, idemque ut faceret, Chrysostomum valde fuisse hortatum; eodem ipsum contendisse, Episcopos in suam sententiam pellicere voluisse, & Origeniana denique scripta in Apostolorum templo publica denuntiatione reprobare parantem Sarapionis monitu absterritum fuisse. A Fausstino quoque vetitum eorum usum testificatur Hieronymus Epistol. 76. ad Tranquill. Nec Baronio assentior, contra Sulpitii Severi, Socratis, & Sozomeni auctoritatem falsum esse asserenti, Epiphanium inter, Theophilum, & Chrysostomum de libris Origenis prohibendis

Socrat. lib. 6. c. 9. 12, Sozom. lib. 8. cap. 14.

Bar. Ann. 402. c. 15.

hac

A hac tempestate actum, vel eos in Alexandrina Synodo aut Cypria fuisse proscriptos: nec Gennadio, qui Severum in Dialogo priore referre ait, *suo tempore apud Alexandrinam Synodum Episcoporum decretum, Origenem & cautius à sapientibus pro bonis legendum, & à minus capacibus pro malis repudiandum.* Ait quidem Sulpitius maximam fuisse Monachos inter & Episcopos concertationem *ex ea occasione, quia congregati in unum sæpius Sacerdotes frequentibus decreviſſe Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet.* Gratissimum præterea sibi fuisse asseverat Anastasius Papa in Epistola ad Johannem Hierosolymitanum, quod ab Origenis lectione Christianos revocarunt Arcadius & Honorius. Eo quoque inclinare videtur Vincentius Lirinensis c. 23. contr. Hæres. ut ab usu Christianorum libri isti removeantur. Denique Justinianus in Epistola Encyclica ad Menam & alios Episcopos, cupere se
B scribit omnes Christianos cognoscere scripta Origenis prorsus à Christiana fide esse aliena, ac penitus explodenda.

Sed contra pro libris Adamantii steterunt Theotimus Tomitanus, & Johannes Chrysostomus, aliique complures Episcopi, & καθαιρετικὰ illa Origenianorum operum, quæ Constantinopolim invexerat Epiphanius, subscriptione sua vel assensu confirmare renuerunt. Ea etiam videntur, si non palam approbasse, at certe non penitus respuisse, quicunque suas ex iis Scripturæ sacræ interpretationes transtulerunt, quos in Observationibus pro tempore laudavimus. Et quamvis Ecclesiæ decretis aliquando vetita esset eorum lectio, his tamen contrarius usus derogasse diceretur.

Æquissima hæc profecto, & perpetua Ecclesiæ consensione firmata videtur esse sen-
C tentia, quæ librorum Origenis usum vulgo concedendum definit, ipsius modo errores fugiantur. Ita sensit Hieronymus, quantumlibet Adamantio infensus: *Quia me æparvitatis,* inquit, *quæris sententiam, utrum secundum fratrem Faustinum penitus respuendus sit, an secundum quosdam legendus ex parte: Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum diligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Et mox: *Nec enim propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum pravitatem, si quos Commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt.* Hac imbutus persuasione Theophilus ille Origenimastix, post vexatum misere Chrysostomum, Constantinopoli Alexandriam redux, cum esset in Orige-
D nis lectione deprehensus, scite dixit: τὰ ὠριγένους ἔοικε βιβλία λειμῶνι πάντων ἀνθέων· εἴ τι ἂν ὂν αὐτοῖς ἐφύτρωκαλὸν, τοῦτο δρέπομαι· εἰ δέ τί μοι ἀκανθώδες φανεὶν, τοῦτο ὡς κέντρον ὑπερβαίνω· *Libri Origenis similes sunt prato omni florum genere consito. Si quid in iis ergo bonum invenio, id decerpo: quod si quid spinosum videtur, id tanquam aculeum transilio.* Eandem regulam in Origene legendo Cassiodorus servari jussit; habendaque ait ejus scripta more anethi, ejus succo con- *Cassiod. l. de institut. divin. Scriptur. c. 1.*
diendam sacræ Scripturæ lectionem, decoctum ipsum exsuccumque esse projiciendum: cumque de eo dictum sit: *Vbi bene, nemo melius, ubi male, nemo pejus*, magna ipsum cautione es-
se tractandum: *Quapropter*, inquit, *in operibus ejusdem Origenis, quantum transiens invenire prævalui, loca quæ contra regulas Patrum dicta sunt, ac resti disputatione* (sic enim lego, pro, *hæresin disputatione*) *signavi, ut decipere non prævaleat, qui tali signo in pravis sensibus cavendus esse monstra-*
E *tur. Posteriores autem in toto dicunt esse fugiendum, propterea quia subtiliter decipit innocentes.* Jam antea vero Concilium Romanum, quod sub Gelasio celebratum est, ita de ea re decreverat: *Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda.* Quapropter recte scripsisse videtur Socrates libr. 6. cap. 13. nobiles Origenis adversarios, Methodium, Eustathium, Apollinarium, & Theophilum, à quibus multis ille criminibus compellatus est, satis ostendisse probari sibi, quæcunque minime reprehendissent. Quod cum ita sit, non cuivis tamen è vulgo Christianorum, sed iis solum permittendum esse Origenianarum scriptionum usum censeo, quorum perspecta sit fides, & diuturnis experimentis probata constantia. Hos autem
F probatos effici trapezitas velim, adulterinos doctrinæ nummos à legitimis caute seponere scientes.

XIX. Diximus de libris; de ipso Origene quid sentiendum sit, exploremus. Etsi geminam adversus eum conflaverat Synodum Demetrius Alexandrinus Episcopus, à quibus Sacerdotii honore exutus, ab Ecclesiæ communione prohibitus, & Alexandria pulsus est, consentiente in id decretum toto propemodum orbe: non ante tamen Hæretici nota iterum ipsi inuri cœpta est, quam Epiphanius cum Johanne Hierosolymitano, Theophilus cum Nitriensibus monachis, Hieronymus cum Rufino altercatus est. Nam postquam Synodum Alexandriæ coëgit Theophilus, & Origenis colubros Evangelico ense truncavit, ut ipse ait, Epiphanium rogavit per Epistolam, ut Synodum ipse congregaret, perficeretque, *ut Origenes nominatim, & nefaria hæresis condemnaretur*; cujus consilio Epiphanius demum obsecutus est. Refert Hieronymus libr. 2. Apolog. adv. Rufin. cap. 6. & in Epist.

ad Pammach. & Marcell. Anastasium Romanum Pontificem, Theophilum Alexandri- A
num, Venerium Mediolanensem, Chromatium Aquilejensem, & omnem tam Orientis quam Occidentis Catholicorum Synodum pari sententia & pari spiritu hæreticum illum denuntiasse: quo eum ipse quoque titulo infamat. Theophilus Hydram eum omnium hæreseon & erroris magistrum ac principem nominat Pasch. 1. quemadmodum & Zonaras in Decio. Gelasius Papa in Romano Concilio & Schismaticum eum appellat. Antiochena Ephræmii Synodus anathema dixit Origeni; dixit & Quinta Universalis. In ea
Evagr. lib. 4. c. 32. autem ante omnia quæsitum narrat Evagrius, utrum homines jam vita functi anathematis subjici possint: Eutychius qui Episcopo Amaseno erat à responsis, & Episcopatum Constantinopoleos postmodum adeptus est, quæstionem solvit exemplo Josiæ regis, qui non Dæmonum solum Sacerdotes interfecit, sed mortuorum etiam loculos refodit; quod magno B
omnium, sed Justiniani præsertim applausu exceptum est. Neque semel, sed iterum iterumque in variis Synodi hujus Actionibus id disceptatum est; quas disceptationes summatim retulit Gratianus Decret. Part. 2. Causs. 24. Quæst. 2. decrevitque demum Synodus Hæreticos & in vita & post mortem anathematis esse obnoxios. Itaque anathemate percussus ab ea & Hæreticus Origenes appellatus est. Quod à Sexta subinde Synodo fuit approbatum: nam hujus inter Acta relata est Sophronii ad Sergium Epistola, qua eodem Adamantius appetitur maledicto; & Actione 8. repetitur professio fidei à Macario Antiocheno oblata Constantino Imperatori, in qua damnat Origenem, Didymum, & Evagrium, eorumque delitamenta; & Actione 17, & 18. probatur Anathema Origeni à Quinta Synodo inflictum, & in Edicto Constantini Imperatoris ad Populum habitantem C
in Occiduis partibus; probatur denique in Epistola Leonis II. Papæ ad Constantinum. Facundus præterea qui trium Capitulorum defensionem suscepit, Origenem inter Hæreticos libr. 12. cap. 1. aperte recenset. Quin & Patrum multorum suffragiis eodem numero habitum tradit Cassiodorus libr. de instit. divin. Script. cap. 1. Hæresiarcharum deterrimum appellat Pelagius 2. Papa. Ab Ecclesia cum aliis Hæreticis proscribitur à prima Lateranensi Synodo. Denique Græci recentiores, aliique etiam plurimi eodem ipsum convicio prosciundunt. Hæc ergo in præjudicium trahunt Origenis adversarii, nec hiscere contra licere ulli existimant.

Qui contrarias autem sectantur partes, talia regerunt, à Demetrio licet, plurimisque ipsi consentientibus Episcopis segregatus fuerit ab Ecclesia Origenes, ipsius tamen cau- D
sam susceptisse & propugnasse Palæstinam, Arabiam, Phœniciam, & Achaiam: & juxta testificationem Hieronymi, non ipsius errores, sed adversariorum invidiam has ei turbas peperisse: nullam Demetrianarum Synodorum mentionem factam à Theophilo & Epiphanio infensissimis Origenis adversariis, ac nullam proinde ipsarum rationem duxisse: eundem ab Hieronymo, & jam ante à Didymo alterum Ecclesiarum post Apostolos magistrum nuncupari; quod quis de homine Hæretico dictum putet? horum auctoritate refelli Theophilum, cum Origenem queritur Ecclesiæ Doctorem appellari: pium Episcopum Theotimum Epiphanio librorum Origenis damnationem urgenti respondisse, ὅτε ὅσιον ἦν τὸν πάλαι τετελευτηκότα ὑβρίζειν, ὅτε βλασφημίας ἐκτὸς τὸν παλαιοτέρων διαβάλλειν κεῖσιν, καὶ τὰ παρ' ἐκείνων δεδοκιμασμένα ἀθετεῖν· *Neque fas esse hominem jampridem defunctum contumelia* E
afficere, neque absque calumnia veterum judicium improbare, & quæ ab ipsis decreta sunt rescindere: ipsum Epiphanium non Origenis proscriptionem, sed librorum ejus duntaxat damnationem postulasse: ὡς αὐτὸν ὠσεὶ ἀκοινώνητον ἦν ὑπέφαινεν, ἀλλὰ τὰ βιβλία μόνα διέβαλε· *Non ipsum Origenem extra communionem esse decrevit, sed libros solum criminatus est*; inquit Georgius Alexandrinus Episcopus in Vita Chrysostomi, cap. 43. non ita vero intelligendum Gelasium, cum Schismaticum eum appellat, quasi secessionem à supremo Ecclesiæ capite fecisse eum voluerit, sed dissidia ac turbas in Ecclesiam intulisse; σχίσματα βαλόντα ἐν ἐκκλησίᾳ· *Cum schismata in Ecclesia concitasset*: ut de eo scribit Petrus Alexandrinus in Mystagogia: quod ad Quintam Synodum attinet, judicare posse Synodos de fide, non de personis, præ- F
sertim mortuis; hinc factum ut quæ de Theodoro, Theodoreto, & Iba decrevit Quintum illud Concilium, temporis progressu vim & auctoritatem pæne amiserint: scitum illud esse S. Thomæ Quodlibeto nono, artic. ult. neminem ad assensum Ecclesiæ adhibendum necessario adstringi in iis, quæ ad *substantiam fidei* non pertinent: Vigilium Papam in Constituto ad Justinianum, Theodori, Theodoreti, & Ibæ errores refellere & damnare, auctoribus ipsis, quoniam in pace Ecclesiæ obierunt, parci jubere, quod eatenus probandum ait Baronius ad An. 553. cap. 185. si modo constet eum qui in Ecclesiæ pace obierit, neque hæresin dum viveret, pertinaciter defendisse, neque in Ecclesiæ communione simulate perseverasse; Origenem autem quis dogmatis suis pertinaciter hæsisse dicat, quem tam submisse de se & moderate sensisse ostendimus, tantaque modestia, quæ sentiebat, declarasse? quis Ecclesiæ communionem simulate secutum eum existimet, qui fidei professionem

A sionem ad Fabianum Papam dedit, exorientes hæreses acerrime insectatus est, nullam cum Hæreticis societatem iniit, Catholicorum Episcoporum familiaritate ad mortem usque constanter usus est? Caverat certe jam ante Justinianum Nicæna Synodus, ne absente eo, cujus agebatur causa, sententia ferretur. Unde præclare Pontianus Episcopus in Epistola ad Justinian. *In extremo Epistolæ vestræ cognovimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum, & scripta Theodoreti, & Epistolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad nos usque non minime pervenerunt. Quod si & pervenerunt, & aliquatibi apocrypha, quæ contra fidei regulam sint, legerimus, dicta possumus respuere, non auctores jam mortuos præcipiti condemnatione damnare. Quod si adhuc viverent, & correcti errorem suum non condemnarent, justissime damnarentur.* Cum ait ergo Justinianus in Edicto adversus tria Capitula: *Si vero quidam dicunt, non oportere Theodorum post*
B *mortem anathematizari, sciant qui talem Hæreticum defendunt, quod omnis Hæreticus usque ad finem vitæ in suo errore permanens, juste perpetuo anathemati, & post mortem subjicitur: & hoc in multis Hæreticis & antiquioribus & propioribus factum est, id est Valentino, Basilide, Marcione, Cerintho, Manichæo, Eunomio, & Bonoso: hoc autem idem & in Theodoro factum est, & in vita accusato, & post mortem anathematizato à sanctis Patribus;* minime id pertinet ad Origenem; nam etsi in errores lapsus sit aliquando, ab iis tamen, postquam ab Ecclesia semel forent damnati, recedere se nolle neutiquam professus est: error fuit in intellectu; pertinaciæ crimen in voluntate non fuit. Denique suam Origeni famam & nomen satis asseruit Leo III. Pontifex Maximus, cum inter Lectiones ex Patrum lucubrationibus decerptas, & Romano insertas Breviario, nonnullas quoque ex Origenianis libris petitas eidem inseruit.

C Qui ergo omnem hæreseos suspicionem ab Origene abesse volunt, cum iis qui invidioso Hæretici nomine ipsum infamant, ita conciliari posse censeo; si duplici notione sumi Hæretici appellationem dicamus, vel ad eum significandum qui hæresin aut fabrefecerit aut secutus sit, eam licet ejurare paratus, simulatque fuisset ab Ecclesia repudiata; vel ad designandum eum qui non hæreseos duntaxat auctor & asseclas; sed perpetuus etiam propugnator, & pertinax adversus Ecclesiæ auctoritatem assertor fuerit: priore igitur notione Hæretici nomen à Patribus Adamantio imponi, ut hæreseos auctor, non assertor significetur. Quo sensu orthodoxi quoque Patres quamplurimi hæretici dici possunt, velut Irenæus, Papias, Cyprianus, & alii. Hæc insuper adhiberi potest responsio, ignominiosam Hæretici appellationem non aliter ab Ecclesia, quam ex hypothesi cuiquam infligi, ita si
D spretis Ecclesiæ decretis in hæresi obierit; quæ quidem in Origenem minime cadit criminatio. Acquiescamus igitur in hoc Hieronymi placito è Traditionibus Ebraicis: *Hoc unum dico: vellem cum invidia nominis ejus, habere etiam scientiam Scripturarum, floccipendens imagines, umbrasque larvarum, quarum natura esse dicitur, terrere parvulos, & in angulis garrire tenebrosis,* & in illo ex Epist. 65, ad Pammach. & Ocean. c. 3. *Quod si quis Judas Zelotes opposuerit nobis errores ejus, audiat libere;*

Interdum magnus dormitat Homerus,
Verum operi longo fas est obrepere somnum.

Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi. Erraverunt in fide alii, tam Græci, quam
E *Latini, quorum non necesse est proferre nomina, ne videamur eum non sui merito, sed aliorum errore defendere..... Nunc vero cum simpliciter errorem ejus fatear, sic legam ut cæteros, quia sic erravit ut cæteri. Sed dicas: Si multorum communis est error, cur solum persequimini? quia vos laudatis ut Apostolum: tolle amoris ὑπερβολὴν, & nos iollimus odii magnitudinem:* & in isto è Prolog. libr. 2. in Mich. *Nam quod dicunt, Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere Veterum scripta, quod illi maledictum vehemens esse existimant, eandem ego laudem maximam duco, cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus & vobis placere non dubito.*

CAPUT QUARTUM.

F

FORTUNA DOCTRINÆ ORIGENIANÆ.

Capitis quarti partitio.

Tribus Sectionibus constat caput istud; I. Explicat quid Origeniana doctrina in Oriente passa sit ab Origenis ipsius ætate, ad altercationem usque Hieronymi & Rufini, tum etiam quanam in Occidente fortuna jactata sit. II. Continet, quidquid Origenismi causa actum est, à Theophili dissidio cum Ægyptiis monachis & Johanne Chrysostomo, ad tempora Synodi Chalcedonensis. III. Ab ea tempestate, ad hanc usq; ætatem Origenismi fortunam persequitur.

SECTIO PRIMA. A

I. *Procellarum adversus Origenis etiamnum viventis doctrinam concitarum series summatim repetitur.* II. *Sedata Origenis morte odia non multo post recrudescunt.* III. *Pierius Alexandrinus Origenes junior dictus. Theognostum Alexandrinum inter Origenis asseclas ponit Photius.* IV. *Arianis temporibus Origenis doctrina denuo impugnari cœpta est ab Orthodoxis, quod ejus sibi patrocinium asciscerent Ariani:* V. *quam tamen benigne interpretari maluerunt Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus.* VI. *Origenianas partes tuentur Hilarius, Euzoius, Titus Bostrenus, Didymus, Ambrosius, Eusebius Vercellensis, Victorinus Petabionensis, Gregorius Nyssenus, & ipse etiam Hieronymus, qui subinde tamen mutavit consilium, quas oppugnant Theodorus Mopsuestenus, & Apollinaris.* VII. *Duplex Origenistarum genus, Orthodoxorum, & Heterodoxorum.* VIII. *Origenistæ Heterodoxi ex Ægypti monasteriis fere prodierunt.* IX. *Johannis Hierosolymitani cum Epiphanio & Hieronymo dissensio,* X. *& Hieronymi cum Rufino:* XI. *quos ingratiam reducere student Archelaus & Theophilus.* XII. *Scribit ad Pammachium Hieronymus adversus errores Johannis Hierosolymitani,* XIII. *& ad Theophilum.* XIV. *Augustinum quoque per literas ab Origenismo absterret.* XV. *Romam revertitur Melania cum* B C *comite Rufino,* XVI. *qui cum Apologiam Pamphili, libellum de adulteratione Operum Origenis, & ejus libros* περὶ ἀρχῶν *in Urbe publicasset, à Marcella repressus est.* XVII. *Certior de his factus Hieronymus libros* περὶ ἀρχῶν *interpretatur.* XVIII. *Tres libros contra Hieronymum scribit Rufinus.* XIX. *Anastasius Papa damnat errores Origenis,* XX. *& ipsum Rufinum.* XXI. *Hieronymus & Rufinus scriptis mutuo se lacessunt.* XXII. *Mortem oppetunt Melania senior, & Rufinus.* XXIII. *Origenismi tradux Pelagianismus, Pelagianismi Nestorianismus.* XXIV. *Renascitur in Hispania Origenismus, sed eliditur opera* D *Augustini, penitusque tandem in Occidente profligatur.*

I. QUAM varia hominum judicia & voluntates experta sit Origenis doctrina dicturos, paucula quædam repetere oportet, præmissa jam à nobis, cum ipsius vitam scriberemus. Demonstratum est autem turbarum omnium, quæ adversus Origenem magno Ecclesiæ detrimento concitatæ sunt, auctorem & incentorem fuisse Demetrium Alexandrinum. Nam cum ab Alexandro Hierosolymorum, & Theoctisto Cæsareæ Episcopis Presbyterii ordinem suscepisset, ægre latum à Demetrio, & in eum severe admodum consultum est, qua ludibriis castrationem ipsius propinando, qua per Synodum ex aliquot Ægyptii Episcopis à se conflatam Presbyterii honore hunc exuendo, & ab E Ecclesiæ communione arcendo; cum jam eum docendi munere abdicandum, & Alexandria submovendum alia Synodus sanxisset. Tam gravi autem hominum flagrabat invidia, ut Synodorum illarum decretis consentiret universus orbis, excepta Palæstina, Arabia, Phœnicia, & Achaia. Diximus quoque, consentaneum videri, vexandi ejus undequaque causas quærentem Demetrium, opiniones ob novitatem suspectas, & ab Ecclesiæ usu alienas traduxisse; ac forsitan damnasse: Demetrio autem successisse Heraclam, Heraclæ Dionysium Origeni faventem, nec concitas tamen adversus Origenem procellas Demetrii obitu fuisse consopitas, ingravescentibus multorum odiis, quos urebat ipsius gloria. Patebant præcipue horum insimulationibus ipsius Opera, quæ vel ex tempore recitata, & ex ore concionantis excerpta, ac proinde non satis pensiculate composita; vel ad instituendum secreto Ambrosium, non in publicam lucem lucubrata, & F præter Origenis tamen consilium ab Ambrosio publicata; vel immoderato ingenii luxuriantis calore profusa, malevolorum castigationibus obnoxia erant; cum præsertim adulteratis ipsius Operibus suos etiam errores Hæretici inseruissent, ut diximus. Sed nec facile dictu est, majorine ei fuerint detrimento calumniæ invidorum, an infinitæ amicorum laudes & præconia, quibus adversariorum malevolentia acuebatur. *Nonne tibi*, inquit Origenes Homil. 25. in Luc, *omnes videntur plus amasse quam expedit, & dum virtutem uniuscujusque mirantur, dilectionis perdidisse mensuram? Quod quidem in Ecclesia patimur, plerique enim dum plus diligunt quam meremur, hæc jactant, & loquuntur, sermones nostros doctrinamque laudantes, quæ conscientia nostra non recipit. Alii vero tractatus nostros calumniantes ea sentire nos criminantur, quæ nunquam sensisse nos novimus.* Calumniis itaque appetitus Origenes, & novorum dogmatum suspe-

A suspectus, sparsis de se rumoribus mature occurrit, scripta ad Fabianum Papam, aliosque Præsules Epistola, qua sententiam suam de rebus divinis declaravit.

II. Vita functum laudibus prosecutus est Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Theotechnum, seu Theoctistum Cæsarienſem Episcopum, ut à Gobaro apud Photium Cod. 232. proditum est. Et vero quas vivus animorum turbas exciverat Origenes, morientem restinxisse credibile est; nulla enim perseverantis post ejus obitum odii indicia veteres nobis memoriæ suppeditant. Sed non multo post in superstitem ejus famam novæ tempestates incubuerunt. Primum eo extincto Methodium Tyrium Episcopum Diocletiani temporibus doctrinam ipsius impugnasse reperio: narrat quippe Hieronymus scriptos fuisse ab eo libros de resurrectione contra Origenem, de Pythonissa, & de arbitrii libertate. Operis de resurrectione fragmentum insigne Panario suo intexuit Epiphanius Hær. 64. cujus Excerpta etiam repræsentavit Photius Cod. 234. Idem Cod. 235. Excerpta affert ex ejusdem Ecloga περὶ τῆς χλωπῆς & Cod. 236. περὶ τῆ αὐτεξουσίου, quibus Origenis dogmata castigantur. At eum sui demum judicii pœnituisse, & velut palinodiam canentem admiratorem se Origenis professum esse in Dialogo quem Xenonem inscripsit, auctor est Socrates libr. 6. cap. 13. Sed Socrati contradicit Baronius ad An. 402. mendaciique reum peragit hoc argumento, quod laudatum primo à se Origenem postea damnarit Methodius, ut Eusebius tradit apud Hieronymum libr. 1. Apolog. in Rufin. cap. 2. tantum abest ut damnatum à se primo, deinde laudarit. Quasi non laudasse primum Origenem potuerit Methodius, & deprehensis postmodum erroribus vituperasse, & iisdem demum excusatis ad priorem sententiam rediisse. Addit Baronius ex Methodii contra Origenem lucubrationibus plurima depromsisse Epiphanium; quod facere erubuisset, si scisset pristinam sententiam Methodium revocasse. Valeret id sane, si in Dialogo illo Xenone scripsisset Methodius, quæcunque à se adversus Origenem dicta sunt, falsa esse; sin vero id sibi voluit duntaxat, errasse quidem Origenem, sed errore condonando, nimisque severe eum acduriter à se exceptum, cui favere potius propter pietatem, & præclara in Ecclesiam merita debuisset, quo tandem recidit Baronii ratiocinatio? Postremum illius adversus Socratem argumentum hoc est; Methodiani Dialogi mentionem extare nullam apud Eusebium, nullam apud Rufinum, ac proinde suppositititium esse. Videratne vero Baronius sex Apologiæ libros à Pamphilo & Eusebio in gratiam Origenis scriptos, in quibus quæcunque pro illo facere poterant, diligenter collecta fuerunt, nec Xenonis proinde Dialogi mentio prætermissa.

Hieron. in libr. de script. Eccles. c. 94.

III. Sane tanta erat his temporibus Origenianæ doctrinæ celebritas & existimatio, ut hinc ad facti pœnitentiam adductum fuisse credam Methodium, cum vix quenquam ad suas pelliceret partes; cuncti ferme Adamantio adhærescerent. Quem tamen à Petro Alexandrino Episcopo & martyre, qui Methodii ætati suppar fuit, male habitum reperio. Loca quædam ex ipsius libris profert Justinianus in Epistola ad Menam, unde quam infensus ipsi adversus Origenem animus fuerit, intelligitur. Tunc autem inter sectatores Origenis Alexandriæ florebat vir magni nominis Pierius Presbyter, quem rara eruditio, indefessus labor, felix ingenium, temperantiæ ac paupertatis studium, utiles & jucundæ ad populum conciones tantum commendarunt, ut junior Origenes diceretur: quasi in ea laude, laudum omnium, quæ Ecclesiasticum virum deceant, summa contineretur: ἦν γάρ τοτε ἐν τοῖς ἀξιολογωτάτοις ὠριγένης. *Tunc enim inter celeberrimos Origenes habebatur*, inquit Photius Cod. 119. ubi de Pierii scriptis differit. Idem Cod. 106. Theognosti Alexandrini Hypotyposeon libros septem recensens, eum ait sive assectandi, sive defendendi Origenis studio ductum decreviſſe Dei Filium esse creatum, & ratione præditis tantum præesse, eademque de Spiritu sancto ac Origenem proposuisse, & corpora Angelis ac Dæmonibus item ut illum tribuisse. At Codice tamen 232. Athanasium scribit Photius Theognostum in multis locis admittere. Sane studiosissimum virum, & disertum, & admirandum eum appellat Athanasius, ipsiusque præsidium adversus Arianos usurpat: atque idcirco prætermissam ab Eusebio mentionem illius probabile est, quod ab Arianis partibus fuerit alienus. Quapropter corruptas ejus Hypotyposes ab hujus sectæ patronis, quemadmodum & Clementis librum eodem titulo inscriptum, non immerito Andreas Schottus conjectat. Quod si integer ad nos Photii codex perveniſſet, ætatem ejus compertam haberemus. Unum hoc scire licet, Athanasio antiquiorem fuisse illum, Origene recentiorem.

Athanas. de Synodi Nican. decretis. & de peccat. in Spir. sanct. Schottus in Schol. ad Photii Cod. 106.

IV. A Methodii ætate ad Ariana tempora suus Origeni honos videtur constitisse. Orto autem Ario, patrocinium hæresi suæ quærentes Ariani, Adamantii nomen caussæ suæ prætexere studuerunt. Ex ipsius ergo operibus collegerunt diligenter, quæcunque Filii dignitatem labefactare, vel suam denique de Trinitate opinationem juvare videbantur. Atque id tolerabile erat, si hac sine væcordia ipsorum stetisset; verum nefariæ etiam doctrinæ virus iisdem passim affuderunt scriptis, ut suum penitus Origenem facerent. Cujus ad ele-

vandam auctoritatem, qua tantum gloriabantur Ariani, animum appulerunt Orthodoxi; A reclamantibus è contrario Arianis, & suum Origenianæ doctrinæ ac famæ honorem servari merito volentibus. Quot ergo fere vel fautores habuit Ariana hæresis, vel oppugnatores; totidem propemodum Origenianam doctrinam vel amplexi sunt, vel detestati: nec aliunde tempestates adversus eum hoc tempore coortas existimo. Partium istarum studia manifesto cernas in clarissimis horum temporum Præsulibus, Eustathio Antiocheno, & Eusebio Cæsariensi. Hic Arianæ factionis signifer, quemadmodum appellatur ab Hieronymo libr. 1. in Rufin. cap. 2. ut Origenianæ famæ consuleret, ad scribendam pro Origene Apologiam induxit amicum suum & familiarem Pamphilum Presbyterum, Origenis ita studiosum, ut omnes Origenis libros undequaque conquisitos Cæsariensi Ecclesiæ dedicaret (verba sunt Hieronymi in Epistol. ad Marcell.) & maximam eorum partem manu sua descri- B beret, qui Hieronymi ætate in Cæsariensi Bibliotheca etiam tum servabantur. Caussam Apologiæ scribendæ hanc fuisse narrat Photius Cod. 118. ut ad pios homines ad metalla ob Christi caussam damnatos solatii ergo mitteretur. Cum eam vero martyrio extinctus absolvere non potuisset, supremam adjecit manum Eusebius, & in Historia quoque Ecclesiastica pro Origeniana caussa præclare decertavit. Ægre quidem id fert Anastasius Bibliothe- C carius, nam in Historia non semel queritur multorum pietate ac doctrina illustrium virorum laudes Eusebium iniquo silentio obtrivisse, vel leviter tantum & invidiose attigisse, quo summa omnia tribueret Origeni suo, *nesciens quæ diceret, vel de quibus affirmaret.* Quasi vero alium fama ac meritis parem Origeni tulerit hæc ætas. Illius quidem laudes mala forsitan mente congessisse Eusebium fatendum est, sed quoad rerum gestarum attinet fidem, Epiphanium fere, vel Hieronymum, aliosve consentientes habuit. At Eustathius stans ab Orthodoxis, propterea que Sabellianismi ab Arianis insimulatus, Origenem adortus est, ejusque sententiam de Engastrimytho peculiari opere explodendam suscepit. Scribit Pamphilus in priore libro Apologiæ, quem interpretatus est Rufinus, tanto hominum illorum odio tunc temporis arsisse Origenem, ut non ille solum *velut hæreticus accusaretur, & corruptio, & perditio animarum*, sed ejus etiam scriptorum lectioni dediti proscinderentur, & venia censerentur indigni, quæ iis condonari solet, qui profanis vel hæreticis libris addicti sunt, planeque pro Hæreticis haberentur. *Denique*, inquit, *cum multis hujus vitæ, & religiosis proposito viris, in quibus nihil prorsus culpæ inveniunt, inimicitias propter hoc solum habent, si eorum studia circa memorati viri libros propensius esse perspexerint, invidiosius etiam* D *ista fingentes, quod ab his in loco sanctorum Apostolorum, vel Prophetarum, tam ipse, quam dicta ejus habeantur.* Addit paulo post indoctos plerosque, ac in Origenianorum voluminum tractatione rudes, vel rerum in quæstione positarum ignaros, incognita tamen caussa Adamantium calculo suo damnare fuisse solitos; alios bonam frugem, qua ipsius referti sunt libri, prætermittere; noxia quæque & criminationi opportuna ad invidiam faciendam colligere; nonnullos etiam in ejus lectione versatos, postquam per eum satis profeciisse se intellexissent, tum vero à magistro suo discessisse, & anathematis eum confodisse, ne quid ab eo scilicet accepisse viderentur. Deinde subjicit: *In tantum autem horum de quibus diximus progressa malitia est, ut quidam etiam conscribere adversus eum ausi sint, & libellis editis derogare ei viro, qui per tot annos magister Ecclesiæ fuit.* Tradit insuper libros eos potissimum fuisse appeti- E tos, *quos per spatium & quietem in secreto conscripserat*, quod inuis apertius disseruisse existimaretur; præ aliis vero libros περὶ ἀρχῶν, in quibus dogmatum suorum velut penu collocaverat. Novem autem præcipuis capitibus constabant criminationes adversus ipsum à malevolis conflatæ, quas recenset & refellit Pamphilus, & nos supra fuse excussimus. Itaque moriens Pachomius Abbas Monachos suos ab Origenianarum lucubrationum lectione severa obtestatione absterruit.

Anastas. in Hist. ad A. Chr. 244. & 246.

V. Has turbas Origeni peperit Ariana factio, dum ejus suffragium studiosius ambit: quam cum acrius ulciscerentur Orthodoxi, Origenis caussam non satis distinxerunt ab Ariana, & utramque damnarunt. Affectus quoque eadem injuria est Dionysius Alexandrinus Origenis discipulus, & in læsæ Trinitatis suspicionem vocatus, unde in multis à F Basilio non admissum, maxime ubi Arianorum confirmaret hæresim, scribit Gobarus. At utrumque crimine exolvit Athanasius, ut superius à nobis traditum est; nec pluris illi fuit Catholicarum partium, quam veritatis studium: ipseque Basilius & Gregorius Theologus objecta sibi ab Arianis Adamantii testimonia, in commodum trahere maluerunt sensum, quam contemptis iisdem debito honore auctorem fraudare. Imo vero ex ejusdem Operibus assidua lectione à se contritis, egregia quæque selecta in unum congesserunt volumen, & ob res præclare cogitatas Philocaliæ titulo inscriptum (unde & Origenem Φιλόκαλον nominat Gregorius Nazianzenus in Epistolis) ad Theodorum Tyaneum Episcopum miserunt. Quin etiam feruntur iidem, quotiescunque Origenis scripta legentes, Dogmata ipsius propria, & à communi usu discrepantia nancisserentur, geminum χ affixisse,

Gobar. apud Phot. Cod. 232.

Plato-

A Platonicorum more, qui cum Platonem lectitarent, loca insignia hoc charactere notabant: ut refert Laërtius in Platone. Hac lectione instructus uterque Arianorum impetus fortiter retudit. Id ex Socrate discimus, qui & illud addit: μέγα γὰρ κλέος τὸ ὠργάνης καθ' ὅλης τότε τῆς οἰκουμένης ἐφέπλωτο· *Totum quippe orbem tunc temporis magna Origenis gloria pervaserat.* Scriptis profecto Apologiis tutati sunt ipsum viri illustres, quo tempore defensioni ejus operam suam Pamphilus consecrabat, ut testificatur Photius Cod. 118. Ipsius tamen nonnulla, dissimulato licet ejus nomine, carpunt Athanasius, & Basilius. Ille in Vita Antonii lapsus animarum, & conversiones è mentibus in animas reprehendit: hic in tertio Commentariorum in Hexaëmeron damnat anagogicas ipsius expositiones, quibus Virtutes quasdam superiores, quæ locum in cœlo tenere meritæ sunt, aquis quæ sunt supra firma- B mentum, significari docet; quæ vero inde deturbatæ sunt, aquis notari quæ sunt sub cœlo. *Socrat. lib. 4. c. 26.*

VI. Dum pro Origene starent Semones illi, ipsum sibi in scribendo assectandum proponebat Hilarius Pictaviensis. Narrat quippe Hieronymus hunc in Phrygia exulantem magnam Psalmorum partem commentariis illustrasse, in eoque Opere imitatum fuisse Origenem, nonnullis tamen de suo adjectis; expositiones etiam in Jobum & in Matthæum è Græco Origenis in linguam Latinam transfudisse. Auctor est præterea Hieronymus Euzojum Cæsariensem Episcopum Gregorii Nazianzeni condiscipulum & æqualem, *cor ruptam Bibliothecam Origenis & Pamphili in membranis instaurare esse conatum*: Origenianas etiam partes secutos esse Titum Bostrorum Episcopum, & Didymum Alexandrinum, quem C apertissimum Adamantii propugnatorem appellat, quique editis in libros περὶ ἀρχῶν Commentariolis nihil non orthodoxum iis contineri pertendit, quemadmodum & Eusebius, Ambrosium quoque Mediolanensem, Eusebium Vercellensem, & Victorinum Petabionensem multa Origenis vel Latinitati donasse, vel imitatos fuisse tradit idem Hieronymus. Tam aperte autem Origeni adhæsit Gregorius Nyssenus, ut non eum solum prosecutus sit laudibus, sed dogmata etiam ejus aliquot tenuerit: adeo ut ab Origenistis corrupta ipsius scripta, & adulterata peculiari libro demonstrare conatus sit Germanus Patriarcha, cujus excerpta habet Photius Cod. 233. Certe in Disputatione de homine, animarum προϋπαρξιν & μετενσωμάτωσιν reprobat Gregorius, à nomine autem Origenis abstinet. Hie- ronymum quoque ipsum etiam tum juvenem, portentosum Origenis ingenium, & singu- D laris eruditio ita ceperant, ut in ejus laudes sæpe excurreret, & pro mero Origenista haberi posset: verum per ignes cineri doloso suppositos incedere se subinde intelligens, pedem retulit, ut in sequentibus declarabimus. Nec tot tamen Origeniani nominis patronis absterriti sunt Theodorus Mopsuestenus, & Apollinaris, quo minus illi palam hic detraheret, ille multis etiam scriptis opusculis oppugnaret; sed levis est momenti Hæreticorum hominum obtrectatio. Auctor quoque Dialogorum, qui Cæsario Gregorii Nazianzeni fratri adscribuntur, & Maximi tamen Cæsario recentioris, & Gregorii Nyssleni fragmentis farti sunt; Auctor, inquam, ille de Origene male sensit, ac scripsit, μυθολόγον eum appellans, ἀκοὰς μὲν θέλγοντα, ψυχὰς δὲ οὐ τρέφοντα· *Aures quidem mulcentem, animas vero minime nutrientem*; & τὸ ὀργὰς ἐπώνυμον, inepta & frigida allusione, quales Scriptor ille com- E minisci amat: & ἀνοσιώτατον· Item dogmata ejus σηλυτήρια, φθοροποιὰ, τὰς ἁπλουστέρας σκολίζοντα esse dicit. *Dialog. 3. Resp. 151.*

Manifestum porro est ex superioribus quantum erraverit Halloxius, aliique nonnulli, qui ante Epiphanii cum Johanne Hierosolymitano & Chrysostomo dissensiones, Origenem à nemine pro Hæretico habitum fuisse, primumque Epiphanium in eum signa movisse memoriæ prodiderunt: nam *velut Hæreticum accusatum* fuisse diserte scribit Pamphilus in Apologia; & quam gravibus peteretur criminibus declarat ipsa hæc Apologia, nam *ipsum nomen Apologetici*, ut ait Hieron. Epist. 65. ad Pammach. & Ocean. *ostendit accusationem; non enim defenditur, nisi quod in crimine est*; declarant & Apologiæ complures quæ à multis magni nomi- nis viris Pamphili tempore pro Origene conscriptæ sunt. Nec repugnat, quod Augustinus F Hieronymum rogat per Epistolam, ut sibi Origenis errores aperiat; nam propter Græcæ linguæ insciti am, in ea ignoratione fuit Augustinus. *Hallox. lib. 4. Orig. def. Quæst. 4.*

VII. Adhuc cum Origene præclare actum erat, neque tantum illi ignominiæ inusserant adversarii, quantum celebritatis, inclarescente indies doctrinæ fama, fuerat adeptus; cum susceptis quosdam inter Ecclesiasticos viros inimicitiis, partim Origenismi, partim privati odii caussa, maximis motibus universa Ecclesia concussa est. Quod si accurate singula consectari nobis esset propositum, in immensum creseceret istud opus, & ultra circumseptos lucubrationi huic cancellos excurreremus, adeo longa est injuria, longæ ambages; sed summa duntaxat rerum fastigia persequemur. Quod ut ordine procedat, res altius repetenda est. Consentiente in Origenis laudes toto propemodum orbe, contigit ut nonnulli egregia ejus dicta factaque pro merito demirantes, ipsius etiam

errores

errores parum prudenter tuerentur, ſtudiis ſuis moderari neſcientes, Origenique recte ſentienti adhæreſcere, erranti nuntium remittere. Hinc duplex prodiit Origeniſtarum genus, Orthodoxorum, & Heterodoxorum. Inter Orthodoxos ponimus, qui proxime laudati ſunt, Origeni ſumma omnia calculo ſuo tribuentes, ab ejus vel diſcedentes, vel diſcedere paratos erroribus, ſimul atque fuiſſent perſpecti, & ab Eccleſia damnati. Iisdem accenſemus Johannem Chryſoſtomum, Theotimum Tomitanum, & aliquos ex iis quos Origeniſmi cauſſa vexatos fuiſſe infra narrabimus. Heterodoxis adſcribimus Didymum Alexandrinum, Johannem Hieroſolymitanum, Evagrium Ponticum, Palladium Galatam, Iſidorum, Rufinum, & complures ex Ægyptiis Monachis qui Nitriam montem incolebant, quosque Origeniſmi veneno primos fuiſſe imbutos narrat Nicetas Theſaur. Orthod. fid. libr. 4. Hær. 31. Peculiari commentario Origeniſtas Monachos laudare inſtituerat Rufinus, ut ab Hieronymo accepimus, cujus hæc ſunt verba ad Cteſiphontem, cap. 2. *Librum quoque ſcripſit quaſi de monachis, multosque in eo enumerat, qui nunquam fuerunt, & quos fuiſſe ſcribit, Origeniſtas, & ab Epiſcopis damnatos eſſe non dubium eſt, Ammonium videlicet, & Euſebium, & Euthymium, & ipſum Evagrium, Or quoque, & Iſidorum, & multos alios, quos enumerare tædium eſt. Et juxta illud Lucretii:*

Ac veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore;

ita ille unum Iohannem in ipſius libri poſuit principio, quem & Catholicum & ſanctum fuiſſe non dubium eſt, ut per illius occaſionem cæteros, quos poſuerat Hæreticos, Eccleſiæ introduceret. Johannem Chryſoſtomum his ſignificari recte aſſerit Marianus Victorius; ſed fallitur, alium hunc eſſe opinans Evagrium ab Evagrio Pontico Hyperborita, uti ab Hieronymo alibi appellatur. Quemadmodum autem Origeniſtas Latine celebrare Rufinus inſtituit; ita idipſum Græce à Palladio factum eſt, in Lauſiaca Hiſtoria: quo opere Iſidori, Dorothei, Ammonii, Evagrii, Or, Potamiænæ Origenis diſcipulæ, Didymi, aliorumque Adamantii ſectatorum vitas complexus eſt. Porro non quoscunque inter Heterodoxos Origeniſtas ponimus, pro Hæreticis haberi velim; tralatitium enim eſt, non errorem, ſed pertinaciam Hæreticum facere. Melania, puta, ex hoc licet grege, inter Sanctos tamen relata eſt; & ex Monachis illis Nitrienſibus nonnulli in Pſeudoſynodo ad Quercum habita errata ſua ſibi condonari poſtularunt & impetrarunt.

Atque hæc Origeniſtarum diſtinctio diligenter notanda eſt: nam Monachos illos Nitrienſes, qui hac tempeſtate Origeniſtarum appellatione infamabantur, Hæreticos fuiſſe cenſet omnes Baronius, nec tam Origenis gloriæ faviſſe, quam ipſius opinationibus mordicus adhæſiſſe: quæ mihi videtur ſententia Chryſoſtomo & Theotimo Tomitano Epiſcopo, ſanctiſſimis viris, perquam eſſe contumelioſa. Abipſis alii omnem erroris ſuſpicionem amotam eſſe volunt, & totius concertationis invidiam convertunt in Epiſcopos Origeniſtis infenſos, quos propriis ſimultatibus Origeniſmi cauſſam prætexentes, inique viros inſontes vexaſſe pertendunt; piiſſimorum hominum Hieronymi & Epiphanii auctoritatem ac teſtimonium inſuper habentes, iisque Palladii, meri Origeniſtæ, à quo Chryſoſtomi vita conſcripta eſt, ſuffragium anteponentes. Heribertus Roſweydus, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcrutator diligens, hos inter medius incedit, & viros illos qui Origeniſmi nomine traducti ſunt, dogmata primum Origenis defendiſſe, deinde vero repudiaſſe conjectat: quod, ſi ita eſſet, ab illorum, vel ſequentium temporum ſcriptoribus, omnia adverſus Origenem, vel pro Origene argumenta ſtudioſe colligentibus, minime ſane fuiſſet prætermiſſum. Supereſt igitur, ut dicamus Origeniſtas fuiſſe duplicis generis, Orthodoxos, & Heterodoxos; & invidioſum hoc nomen multis immerito, pluribus etiam jure fuiſſe tributum. Fidem opinioni noſtræ faciunt hinc Græca Menologia, quæ nonnullos ex Origeniſtis in Sanctorum album referunt, & ſpectata Chryſoſtomi virtus ac pietas, qui eos ita tutatus eſt, ut eandem quoque ſibi appellationem conſciſceret; inde Hieronymi & Epiphanii partibus illis hæreſeos notam imponentium teſtificatio. Profecto non unam fuiſſe Origeniſtarum omnium doctrinam, nec eosdem mores ſatis ex Epiphanio evincitur, qui geminum illorum agnoſcit genus: in quo licet incerta prodiderit, & poſt ipſum Auguſtinus, multiplicem tamen hominum illorum fuiſſe ſectam ex eo perſpicuum eſt. Inter eos ut integerrimis nonnulli fuerunt moribus, ita fœdam libidinem & Onaniſmum aliquos exercuiſſe referenti Epiphanio facile credo; quicquid contradicat Halloxius: ex eoque adductum ſuſpicor Epiphanium, ut cum præterea non eadem ſentire Origeniſtas omnes inaudiſſet, putaret turpe illud factum, quod morum erat vitium, doctrinæ errorem fuiſſe, atque ita duplicem ſectam conſtitueret. Ut miti plerique fuerunt ingenio, ita contentioſi alii, refractarii, & cervicoſi; velut qui Theophilo Alexandrino Præſuli violentas prope manus intulerunt, ut dicemus: dicaces alii & petulantes, dicteriis ſæpe & contumeliis Catholicos laces-

Epiph. Hær 63. & 64.

A lacessebant, velut in eo, quod narramus, dissidio, Catholicos appellabant Pelusiotas, quod tanquam luto immersi, & curvi in terras ac cœlestium inanes essent, ad vocem πηλὸς, & nomen Pelusii, in Origenistarum Nitriensium, & eorum qui in Palæstina degebant, vicinia siti, frigido & scurrili joco alludentes. Hieronymus Epistol. 61. ad Pammach. cap. 5. *Hæ sunt strophæ vestræ atque præstigiæ, quibus nos Pelusiotas, & jumenta, & animales homines dicitis, quia non recipimus ea quæ spiritus sunt.* Baronium fugit dicti hujus significatio, & pro, *Pelusiotas*, legi jubet, *Pilosiotas*, quod uterentur Origenistæ *hac voce, suggillantes atque subsannantes Catholicos, quasi crederent mortuos resurrecturos etiam cum pilis, dum recte dicerent eos resurrecturos cum singulis corporis membris.* Verum expositionis nostræ fidejussorem damus Hieronymum ipsum, Epist. 65. ad Pammach. & Ocean. cap. 3. *Pelusiotas*, inquit, *nos appellant, & luteos,* B *animalesque, & carneos, quod non recipiamus ea quæ spiritus sunt*: & cap. 1. *Putant enim me suum esse συμμύστην, & propter animales & luteos nolle palam dogmata confiteri.* Manifestius etiam in Jerem. 29. 14. *Quæ cum audiunt discipuli ejus* (Origenis) *& Grunnianæ* (hoc est Rufini) *familiæ stercora, putant se divina audire mysteria, nosque qui ista contemnimus, quasi pro brutis habent animantibus, & vocant πηλισπώτας, eo quod in luto istius corporis constituti, non possimus sentire cœlestia.* Ægyptios præcipue Monachos, apud quos maxime viguit Origenismus, ingenio fere fuisse inquieto & turbido, & rerum novarum studioso, propterea que in varias hæreses incidisse literis proditum est. Inde Aëriani, Eustathiani, Anthropomorphitæ, Joviniani, Eutychiani, aliique id genus sexcenti prodiere: & à vetustiori quoque ævo Meletianis, & Arianis hærentes, antistitem suum Athanasium probris fixerunt. Unde Hieronymus Apolog adv. Ru- C fin. libr. 3. c. 7. *Contendi Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros, aspides latere perspexi.*

Baron. ad Ann. 393. c. 10. & ad Ann. 400. c. 86.

VIII. Ex hoc hæreseon, & Hæreticorum seminario Origenistæ Heterodoxi extiterunt. Narrat Epiphanius Hær. 64. cap. 4. in Ægypto primum propagatum Origenismum apud Ægyptios monachos suo tempore floruisse. Ac primum Melania senior, nobilis femina, cum patria relicta Hierosolymam pietatis causa concederet, facta inter Nitriæ Monachos mensium aliquot mora, additoque Didymo, Origenianis illic erroribus una cum Rufino itineris comite infecta est. Contigit illud circa annum Christi 372. Quo tempore Epistolam dedit ad Rufinum Hieronymus, qua ad se in Syriam ut veniat, amice invitat. Postquam autem Hie- *Hier. Ep. 41 ad Rufin.* rosolymæ fixerunt sedem, fovendis peregrinis, & rebus Christianorum juvandis opes & D operam consumentes, exceperunt Evagrium Ponticum Constantinopoli certas ob causas discedentem, ipsiusque animo primos Nitriensis Origenismi fatus asperserunt. Ita institutus Evagrius, & à Melania veste monastica ex voto indutus, in Ægyptum abiit, & postquam cum Didymo congressus est, in Nitriæ tandem monasteriis sese abdidit, & inter florentes illic Origenistas nomen dedit. Auctor est Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, c. 2 scripsisse illum ad Virgines, ad Monachos, & *ad eam cujus nomen nigredinis testatur perfidiæ tenebras* (Melaniam seniorem intellige) & edidisse insuper librum περὶ ἀπαθείας, quo insigne Origenis dogma supra à me ventilatum continebatur, libros vero ipsius à Rufino Latine interpretatos Occidentem lectitasse. Appulit eodem aliquot post annis Palladius Galata, & triennio in aseteriis transacto, Origenismo imbutus, cum valetudine tentaretur, in Palæstinam secessit, E & haustum in Ægypto Origenismi virus passim profudit. Florebat tunc in his locis sanctitate & virtute Paula Romana: hanc adoritur Palladius, & in suas pertraxisset partes, nisi gliscenti malo mature occurrisset Hieronymus, & hominis petulantiam habita cum eo disputatione coërcuisset. Rei historiam prolixe narrat Hieronymus in Epitaphio Paulæ, cap. 11. & 12. quam sibi ab eo ereptam queritur Palladius in Lausiacis sect. 78. & sequentibus, item sect. 124. Hieronymumque suggillat.

IX. At Johannem Hierosolymitanum præsulem jam labes isthæc corripuerat. Is ante adeptum Episcopatum Monachus, Arianis & Macedonianis accommodaverat aures, iisque relictis ad pontificiam dignitatem evectus Origenistis sese applicuerat. Ægre id tulit scilicet Epiphanius Salaminius Episcopus pro eo ac debuit, & blande coram multis F præsens præsentem erroris commonefecit, quo ille cum partiariis usque adeo excanduit, ut Epiphanio Anthropomorphitarum hæresin publice objiceret, suamque tanta pertinacia defendit, ut eundem Epiphanium habitæ cum illis communionis pœniteret. Hinc efferatus Johannes animo rixandi avido causas vindictæ quærebat, cum ecce commodum Paulinianum Hieronymi fratrem in Palæstina extra ditionem suam Epiphanius, invitum licet ac reluctantem, ad Diaconatus & Presbyterii dignitatem promovit. Multa publice & privatim conquestus est Johannes, rem sese apud omnes per literas evulgaturum minitans, in eos se læsum insuper addens, quod cum Deo sacra faceret Epiphanius, dicere soleret: *Domine, præsta Iohanni, ut recte credat.* Objecta crimina diluit Epiphanius miti Epistola, quæ inter Hieronymianas numero sexagesima habetur, in qua non tam se appetitum ab eo significat, propter impositum Pauliniano Presbyterii characterem extra suam ditionem,

apud Hier. Ep. 61. c. 1.

cum id in monasterio, non in parochia Johanni subjecta à se factum esset, & recepta inter A Cypri Episcopos consuetudine facere liceret, quam quod violatam Origenianis dogmatibus fidem huic exprobrasset. Capite vero tertio hæc scribit: *Doleo & valde doleo, videns plurimos fratrum, & eorum præcipue qui professionem habent non minimam, & in gradum quoque sacerdotii maximum pervenerunt, ejus* (Origenis) *persuasionibus deceptos, & perversissima doctrina cibos factos esse Diaboli.* Unde apparet quam multos jam tum Origenismi aura afflasset. Demum in hæc verba concludit: *Palladium vero Galatam qui quondam nobis carus fuit, & nunc misericordia Dei indiget, cave, quia Origenis hæresin prædicat & docet, ne forte aliquos de populo tibi credito ad perversitatem sui inducat erroris.* Data est hæc Epistola anno Christi 392. Arcadio & Rufino Coss. qua publicata, aliisque ejusdem argumenti ad Palæstinos Episcopos & Monachos, & ad Siricium Papam ab eo datis, dissensionis rumor universum orbem B continuo pervagatus est. Sciendum autem Hieronymum quoque inter & Johannem, ejusdem Pauliniani, multo vero magis Origenismi caussa, dissidia intercessisse: nam cum ab Epiphanio staret Hieronymus, & non solum res in Pauliniani negotio gestas comprobaret, sed Origenis etiam errores palam damnaret, eo iracundiæ processit Johannes, ut ab Ecclesiæ communione Hieronymum segregaret, quemadmodum apud Pammachium queritur ipse Hieronymus: *Ego misellus*, inquit, *dum in solitudine delitesco, à tanto Pontifice repente truncatus Presbyteri nomen amisi.* Nec idcirco tamen Ecclesiæ ingressu, vel Episcoporum ac Christianorum societate se prohibitum isto capite & sequenti testatur. Addit Epistola 62. quæ est ad Theophilum, c. 4. exilium sibi à Johanne postulatum fuisse & impetratum; minime tamen se in exilium fuisse depulsum. C

Hier. Epist. 61. cap. 15.

X. Rufinum interea hæc quoque discordiæ contagio infecit: nam cum semel haustam Origenis doctrinam in sinu foveret, eandem in Johanne, & Palladio, aliisque oppugnatam defendit. Hinc illud est Epiphanii in Epistola ad Johannem Hierosol. cap. 4. *Te autem, Frater, liberet Deus, & sanctum populum Christi qui tibi creditus est, & omnes fratres qui tecum sunt, & maxime Rufinum Presbyterum ab hæresi Origenis, & ab aliis hæresibus, & perditione earum.* Nec aliam ob caussam à conflata jam inde à multis annis cum Hieronymo necessitudine Rufinus defecit.

XI. Ingravescentibus indies Johannem Hierosolymitanum inter & Epiphanium odiis, tantos animorum motus compescere studuit Archelaus Comes, vir, ut ait Hieronymus, *disertissimus & Christianissimus.* Placuit inprimis, ut quoniam violatæ fidei suspicio peperisset D discordiam, ejusdem professio viam ad concordiam muniret. Condicto fœderis loco, & jam coacto Monachorum aliorumque complurium cœtu, unus expectabatur Johannes, cum ille mulierculæ nescio cujus morbum caussatus, rem in aliud distulit tempus, monentique Archelao, & ad paciscendum invitanti, eadem usus excusatione non paruit. Tum vero officii sui esse censuit Theophilus Alexandrinus laboranti Ecclesiæ succurrere, sive fama excitatus, sive, quod potius crediderim, invitatus à Johanne. Isidorum itaque Alexandrinum Presbyterum ac Monachum, pietatis fama conspicuum, legatum ad Johannem, aliosque, sedandarum contentionum caussa mittit cum literis, quibus incensos animos delinire, & in gratiam reducere tentabat. Verum sua spes Theophilum longe fefellit: quem enim allegaverat Isidorum, merus erat Origenista; Origenistis favens, turbandis rebus quam componendis aptior: nam E ante tres menses quam veniret Hierosolymam, literas dederat ad Vincentium Presbyterum, quibus eum ut in orthodoxa fide, hoc est in Origenismo, perseveraret hortabatur; affuturum se propediem ad cuneos adversariorum proterendos. Verba sunt Hieronymi, cujus vestigia accurate persequimur. Sic ergo animatus egregius ille pacis sequester, Johannem, aliosque dissensionis hujus participes adit, legationemque suam renuntiat. Et pacem conciliasset fortasse, si non animum Origenismi fermento imbutum prodidisset: cum enim doctrinæ huic infensum Hieronymum esse sciret, iterum quidem ac tertio ad eum Theophili nomine accessit, commissas autem sibi literas reddere noluit. Querenti autem Hieronymo, ac dicenti: *Si legatus es, redde legationis epistolas; si epistolas non habes, quomodo legatum te probabis?* literas quidem ad eum habere se respondit, rogatum se tamen à Johanne ne redderet. Ita favoris F in alteram partem suspicione injecta, spem pacis peremit, reque infecta discessit. Discedenti Apologiam pro sua causa ad Theophilum tradidit Johannes, cujus lucubrationi interfuerat Isidorus, & operam suam contulerat; *ut idem esset*, ait Hieronymus, *& dictator & bajulus literarum.* Maximam interim fratrum multitudinem, & Monachorum choros in Palæstina sibi non communicantes (verba sunt Hieronymi) quasi hostes publicos æstimavit Johannes, cum ad ejus refugiendam communionem Epiphanii monitu fuissent compulsi. Responsum præterea ad supra memoratam Epiphanii Epistolam dare dedignatus, legatos, quod prius minitatus fuerat, quaquaversus mittit, qui accusatorias in Epiphanium literas ad Theophilum Alexandrinum à se conscriptas per totum orbem disseminarent, sed in Occidente potissimum, quibus, ut loquitur Hieronymus, occidentalium Sacerdotum aures commoveret.

Hier. Epist. 61. ad Pammach. c. 15.

Hier. Epist. 61. c. 2, & 15.

Hier. Epist. 62. cap. 3.

XII.

A XII. His excitus Pammachius, Roma Hieronymum rogat per literas, ut quoniam multorum animos in diversa distrahebat hæc altercatio, Epiphanii causſam aliis, aliis Johannis tuentibus, suam ipse sententiam expromeret. Morem gessit Hieronymus, & luculenta responsione, anno Christi 393. data, veram ac genuinam contentionis causſam esse ostendit, non Pauliniani consecrationem, quam iracundiæ suæ Johannes prætendebat, sed Origenismum, quem ad octo revocatum capita Johanni objectum fuisse narrat, è quibus tria tantum purgaverit. Atque hæc diligenter notari jubeo, ut inde Origenistarum hujus ætatis doctrinæ & dogmata in controversia posita spectari possint. Primum illud est; nec Filium videre posse Patrem, nec Spiritum videre posse Filium: secundum; animam propter peccata è cœlo fuisse in corpus, sic tanquam in carcerem dejectam: tertium;
B futurum ut Diabolum & Dæmones peccatorum aliquando pœniteat, & cum Sanctis in cœlo regnent; quartum; Adamum & Evam ante peccatum corpore carnisse, humana autem corpora iis post peccatum circumposita tunicis pelliceis significari: quintum; carnem neutiquam suscitatum iri, non membra denuo simul esse compingenda, sexu homines penitus carituros: sextum; Paradisum terrestrem allegorice intelligendum: septimum; aquas quæ super cœlum in Scriptura esse dicuntur, Angelos esse, quæ supra & infra terram, Dæmones; postremum; imaginem Dei peccando hominem amisisse. Plurima præterea lectu digna habet hæc Epistola, si quis accuratam temporum illorum notitiam consequi cupit. Id præcipue manifestis rationibus comprobat Hieronymus, quod diximus, ante ordinatum Paulinianum, jam Origenis causſa Johannem & Epiphanium
C inter se fuisse altercatos. Quamobrem Halloxium miror, & recentiores quosdam, qui hodieque contradicant, nec Hieronymi solum testimonium flocci faciant, sed & Epiphanii, qui ita Johannem alloquitur: *Video enim quod propter hanc causſam omnis vestra indignatio concitata sit, quod dixerim vobis, Arii patrem, Origenem scilicet, & aliarum hæreseon radicem & parentem laudare non debetis. Et cum vos rogarem ne ita erraretis, & monerem, contradixistis, & me ad tristitiam & lacrymas adduxistis: non solum autem me, sed & alios plurimos Catholicos, qui intererant. Inde, ut intelligo, hæc est omnis indignatio, & iste furor, & idcirco comminamini, quod mittatis adversum me Epistolas, ut huc illucque sermo vester discurrat.* Denique propositum sibi esse declarat in eadem Epistola Hieronymus, opere peculiari dogmata Origenis convellere.

D XIII. Veritus interea ne literis Johannis, & Isidori insusurrationibus occupatus Theophili animus male de Orthodoxorum causſa sentiret, æquum duxit gestarum rerum historiam ad eum perscribere, seque & gregales suos apud eum purgare. Pacem ergo optare se, ad eamque conciliandam paratum declararat per Epistolam, quæ inter Hieronymianas numero sexagesima secunda habetur, & eodem anno 393. data est: multa deinde imposita sibi à Johanne crimina confutat, in quibus advertendum est, insimulatum eum à Johanne, quod Origenis opera quædam Latine vertisset, respondisse: *Hoc non solus ego feci, sed & confessor Hilarius fecit, & tamen uterque nostrum noxia quæque detruncans utilia transtulit:* & paulo post: *Sicut enim interpretationem & idiomata Scripturarum Origeni semper attribui, ita dogmatum constantissime abstuli veritatem.* Ut ostendat præterea quam vana esset Johannis de Pauliniani ordina-
E tione querela, ordinatum eum asserit in Eleutheropolitano territorio, non in Ælienſi. Eleutheropolis autem ea est Hebron; Ælia, Jerusalem. Denique postquam ad procurandum sibi exitium Johannem laborasse, & auctoritatem publicam ac rescripta sollicitasse questus est, cupere se significat, ut discordiæ omnes sopiantur. Utraque parte audita veritatem perspexit Theophilus, & malis artibus non bonam causſam à Johanne aliisque foveri comperiens, adversam ita amplexus est, ut utrosque tamen ad sinceram concordiam revocare niteretur, & repugnantes Origenistas molliter ac benigne adhiberet.

XIV. Cæterum ad coërcendam serpentis Origenismi luem sequente anno Hieronymus Augustinum pietate florentem & eruditione, qui cum sibi notitia aliqua intercesserat, parario Alypio Tagastensi postmodum Episcopo, quique jam ante optare se significaverat,
F ut Origenis opera ab Hieronymo Latine redderentur, monet per Epistolam, quæ intercidit, ut in Origenis scriptionibus cautus incedat, approbatis melioribus, sequioribus rejectis; at Origenis sibi notari errores responsione sua Augustinus postulavit. Certe ab his dissensionibus animum procul hic habuit, neque multum sese interposuit Origenistarum rebus: errores duntaxat Adamantii pro re nata impugnavit, velut in libris de Civitate Dei. Hieronymum autem ad reintegrandam cum Rufino amicitiam valde hortatus est.

XV. Anno à Christi ortu 397. post viginti quinque annorum discessionem Romam reversa est Melania, Rufino itinerum socio comitata. Causſam reditus eam fuisse dicit Palladius. Melaniam neptem suam, Piniani uxorem, nuptiarum, mundique pertæsam, Christo reliquum vitæ consecrare velle cum accepisset, veritam seniorem ne in perversos secessionis suæ duces neptis sua incideret, Romam advolasse, eamque consiliis adjuvisse.

Aliam Itineris causſam assignat Baronius, Romam nempe Origenismi invehendi studium, cui A
Melaniæ junioris secessus apud vulgum obtentu fuerit. Opinionis suæ auctorem non dedit;
conjecturis tantum obsecutus est.

XVI. Simul atque Romam appulit Rufinus, libros Origenis περὶ ἀρχῶν à se Latinitati
redditos in publicum editurus, priorem Apologiæ Pamphili librum conversum itidem à se
& interpolatum, & una suam de adulteratione librorum Origenis lucubrationem præmi-
sit, ad viam Origenismo communiendam. Utrumque Macarii hortatu aggressum se te-
statur in Præfationibus: at id ab eo per simulationem jactatum asserit Hieronymus Apolog.
libr. 2. cap. 3. In Præfatione ad Macarium Pamphili Apologiæ prætexta, non obscure tan-
git ille Epiphanium & Hieronymum, cum de sua interpretatione sic differit: *Mihi tamen*
non dubito quin offensam maximam comparet eorum, qui se læsos putant ab eo, qui de Origene non a- B
liquid male senserit. Atque hæc similem ipsius conquestionem in memoriam revocant,
quam in Peroratione ad interpretationem Commentariorum Origenis in Epistolam ad
Romanos inserit: *Sed delectabit*, inquit, *indulsisse laboribus, si modo non, ut in aliis experti su-*
mus, male volæ mentes vigiliis nostris contumelias reddant, si non studia obtrectationibus, & labores
remunerentur insidiis. Novum quippe apud eos culpæ genus subimus: & mox: *Hoc autem totum*
mihi donant, non amore mei, sed odio Auctoris. Sed redeamus ad Apologiæ Præfationem. Post-
quam purgandi sui causſa, velut professionem fidei Rufinus edidit: *Hæc*, inquit, *Hierosolymis in*
Ecclesia Dei à sancto Sacerdote ejus Iohanne prædicantur, hæc nos cum ipso & dicimus & tenemus.
Hieronymum etiam his verbis defricat in suo de adulteratione librorum Origenis libello:
Auctores obtrectatorum ejus (Origenis) *ii sunt qui vel in Ecclesia disputare latius solent, vel etiam* C
libros scribere, qui totum de Origene vel loquuntur, vel scribunt: ne ergo plura eorum furta cognoscan-
tur, qui utique si ingrati in magistrum non essent, nequaquam criminosi viderentur, neque simplicio-
res quosque ab ejus lectione deterrerent. Nam cum Origenem mirifice celebrasset Hieronymus
etiam tum juvenis, & plusquam 70. Homileticos ipsius libros, multa etiam de Tomis in Apo-
stolum scriptis Latine reddidisset, ex ejusque libris Commentarios suos locupletasset, mox
in eum calcitrare cœpit. Neutiquam vero his perstringi Hieronymum putat Halloxius,
quia jam reconciliata fuerat inter eos gratia, & paulo superius Hieronymi cum laude me-
minerat his verbis: *Damascus Episcopus, cum de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, e-*
ditionem Ecclesiasticæ fidei, cui itidem editioni, si Ecclesiæ jungi velint, subscribere deberent, con-
scribendam mandavit cuidam amico suo Presbytero viro disertissimo, qui hoc illi ex more negotium D
procurabat. Addere poterat Halloxius eundem à Rufino honoris causſa nominatum in
Præfatione librorum περὶ ἀρχῶν, qui hoc tempore prodierunt. Verum hoc erat ingenio Ru-
finus, palam in os laudabat, clam detrahat, simultatem fovebat in sinu, amicitiam fronte ge-
rebat. Itaque palpum coram obtrudebat Hieronymo, ut acrius occulte morderet. Hoc am-
plius, Hieronymus ipse Apolog. 2. in Rufin. cap. 6. hæc verba ita repetit, quasi neutiquam ad se
pertineant: sed vel tacite notari se non sensit; vel perspectam calumniam simulate reticuit.
Ut ut est, suum maneat Lectori judicium: sequentia certe manifeste Epiphanium petunt:
Denique quidam ex ipsis, qui se velut evangelizandi necessitatem per omnes gentes, & per omnes lin-
guas habere putat, de Origene male loquens sex millia librorum ejus se legisse, quamplurima fratrum
multitudine audiente confessus est. Ipsos deinde περὶ ἀρχῶν libros Urbi propinans Rufinus, E
quo magis Lectores illiceret, Præfationem Operi præfixit, eaque declaravit sese reliquis Do-
gmatibus intactis falsas Origenis de Trinitate sententias, utpote ab Hæreticis insertas, vel
emendasse, vel prætermisisse: grassans enim hoc tempore Arianismus adversus Orige-
nem, cujus ambiebat patrocinium, Catholicos commoverat. Exemplo quoque Hieronymi,
multorum jam Origenis librorum Interpretis, adductum se significat hac ipsa Præfatione
Rufinus, ut scriptionis illius conversionem susciperet. Et causſæ tamen ita diffisus est, ut Præ-
fationi nomen suum adscribere non auderet, & assensu præterea Theophili & Hieronymi
gloriaretur.

Multis enimvero cordi fuit opus illud à Rufino translatum, & Origeni Sacerdotes, Mo-
nachos, & è Christianorum vulgo multos adjunxit, & Siricii quoque Papæ simplicitati illu- F
sit. At plures tamen doctrinæ novitas perculit, adeo ut totum orbem post Rufini interpreta-
tionem in Origenis odium exarsisse, & translatum opus expaviſſe tradiderit Hieronymus
libr. 1. Apolog. cap. 3. Auctor quoque ille est, primam Marcellam Romanam, nobilitate ge-
neris, & pietate illustrem, suboleſcentem errorem deprehendisse ac represſisse. Discessum ita-
que destinantes facti auctores, cum jam fere ut Hæretici designarentur, Ecclesiasticas Epistо-
las à Siricio impetrant, ut Ecclesiæ communione gloriari possent: atque his communitus Ru-
finus Aquilejam remeavit.

XVII. At Pammachius & Oceanus de rebus in Urbe gestis Hieronymum certiorem
faciunt, & Rufinianam librorum περὶ ἀρχῶν interpretationem cum Præfatione transmit-
tunt, postulantque ut libros eosdem meliori fide convertat, & injectas de se suspiciones
diluat.

A diluat. Redierat cum illo jam tum in gratiam Rufinus, cum Hierosolymis proficisceretur. Subdola itaque Rufini Præfatione clam arrosum se & impetitum sentiens Hieronymus, & inter Origenistas positum, hanc cum eo injuriam amice & leniter expostulavit per Epistolam, cujus hoc est exordium: *Diu te Romæ moratum sermo proprius indicavit:* unde licet conjicere jam ante ad eum literas Rufinum dedisse. Sed cum per vecturæ moras serius Romam delata fuisset Hieronymi responsio, renuntiatum interea fuerat Rufino novam librorum περὶ ἀρχῶν interpretationem ab eo parari, quam eo consilio conditam à se scribit Hieronymus Apolog. lib. 1. cap. 2. non ut crederet Lector iis quæ interpretabatur; sed ne crederet iis quæ ante transtulerat Rufinus. Atque ita dirempta inter eos gratia, datam ad Rufinum Epistolam Hieronymi familiares, qui curandam eam acceperant, suppresserunt. Susceptam in-

B terim, Pammachii & Oceani rogatu, sinceriorem librorum de principiis conversionem absolvit Hieronymus, & ad eos Romam misit, cum luculenta Epistola, qua Origenis doctrinam & eruditionem laudasse se fatetur, dogmata tenuisse pernegat. *Laudavi*, inquit, *interpretem, non dogmatisten; ingenium, non fidem; Philosophum, non Apostolum. Quod si volunt super Origene meum scire judicium, legant in Ecclesiasten Commentarios, replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, & intelligent me semper ejus dogmatibus contraiisse*: & iterum: *Si mihi creditis, Origenistes nunquam fui; si non creditis, nunc esse cessavi*: & sequenti capite: *Fac me errasse in adolescentia, & Philosophorum, id est, Gentilium studiis eruditum in principio fidei dogmata ignorasse Christiana; & hoc putasse in Apostolis, quod in Pythagora, & Platone, & Empedocle legeram: cur parvuli in Christo atq; lactentis errorem sequimini? cur ab eo impietatem discitis, qui necdum pietatem noverat? Se-* *Hier. Epist. 65.*

C *cunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem, imitamini & correctum.* Similiter in Epist. 62. ad Theophilum: *Sicut enim interpretationem, & idiomata scripturarum Origeni semper attribui, ita dogmatum constantissime abstuli veritatem.* Et tamen cum Commentarios suos in Ecclesiasten, & Epistolam ad Ephesios Adamantii scitis referserit, vix iis semel contradixit: imo vero ne Origenem quidem auctorem citavit. Quod si ea pro falsis habuit, cur censuræ notam non apposuit? cur cum id sibi vitio daretur, id sibi gloriæ duxit? *Nam quod dicunt*, inquit Prolog. in libr. 2. Comment. in Mich. *Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere Veterum scripta: quod illi maledictum vehemens esse existimant, eandem laudem ego maximam duco, cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus & vobis placere non dubito*: cur in Præfatione ad librum de nominibus Ebraicis ait, neminem nisi imperitum,

D negare Origenem post Apostolos Ecclesiarum esse magistrum?

Igitur non sine caussa Rufinus Origenistam aliquando fuisse Hieronymum jactabat. *Hæc est*, inquit Invect. 1. *tua tanti magistri gravitas, ut eum quem in aliis laudas, condemnes in aliis; & quem in Præfationibus tuis alterum post Apostolos Ecclesiarum magistrum dixisti, nunc Hæreticum dicas? Quis hæreticus Ecclesiarum magister aliquando dici potuit?* Futilis ad hæc Hieronymi excusatio, qui Prolem. in 11. Comment. Isaiæ respondet Origenem, Eusebium, Apollinarium, aliosque à se in Commentariis ad libros Danielis, magistros Ecclesiæ nominatos, ad distinctionem quorundam qui à Christi fide erant alieni. Pergit Hieronymum lacessere Rufinus, eumque Origenis fidem nunquam se laudasse jactantem propriis ipsius verbis coarguit. Quibus ille velut convictus scribit libr. 3. Apolog. cap. 3. *Eodem fervore quo Origenem ante laudavimus, nunc damnatum toto orbe damnemus*: & mox: *Erravimus juvenes, emendemur senes*: & iterum: *Ignosce mihi quod Origenis eruditionem, & studium Scripturarum, antequam ejus hæresin plenius nossem, in juvenili ætate laudavi.* Inde Posthumianus apud Sulpitium Severum merito *Sulpit. Dial. 1. c. 3.*

E *vitmus, nunc damnatum toto orbe damnemus*: & mox: *Erravimus juvenes, emendemur senes*: & iterum: *Ignosce mihi quod Origenis eruditionem, & studium Scripturarum, antequam ejus hæresin plenius nossem, in juvenili ætate laudavi.* Inde Posthumianus apud Sulpitium Severum merito *Sulpit. Dial. 1. c. 3.* ait: *illud me admodum permovebat, quod Hieronymus, vir maxime Catholicus, & sacræ Legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipue, vel omnia illius scripta damnaret.* Inde & Vigilantius ipsum sic tanquam Origenistam incessebat; quam tamen criminationem depellere conatur Epist. 75. Inde & Augustinus inconstantiam & mobilitatem ingenii Hieronymo Origenem sibi olim percarum jam infamanti subobscure exprobrat Epist. 8. *Petimus ergo*, inquit, *& nobiscum petit omnis Africanarum Ecclesiarum studiosa societas, ut in interpretandis eorum libris, qui Græce Scripturas nostras quam optime tractaverunt, curam atq;*

F *operam impendere non gravetis: potes enim efficere, ut nos quoq; habeamus illos tales viros, & unum potissimum, quem tu libentius in tuis literis sonas:* Origenem nimirum, cujus magnam tum quoque fuisse in Africa celebritatem ex eo manifestum est. Inde & Pelagius Papa 2. in Epistola ad Eliam Aquilejensem, & alios Istriæ Episcopos, *Annon*, inquit, *& Hieronymus nostræ Ecclesiæ Presbyter, & singularis Ebræi sermonis interpres tanto erga Origenem favore intenditur, ut pene discipulus ejus esse videatur?* Inde denique sub Hieronymi nomine conficta est Epistola, in qua se Origeni aliquando adhæsisse dolet.

Quamvis autem viri pii & orthodoxi officio functus sit, cum agnitos Origenismi errores ejuravit; optabile tamen foret, ut sanctissimus ille doctor constantior animi fuisset & moderatior, neque tam facile bili suæ fuisset morigeratus, ut in contraria, pro rerum ac temporum ratione, trahi se & jactari sivisset, nonnunquam etiam maximos viros amarissimis conviciis

perfudisset: fatendum quippe est jure eum sæpe à Rufino fuisse reprehensum; sæpe etiam Rufinum ab eodem sine caussa fuisse culpatum. Hæc porro cum agerentur, annus Christi trahebatur trecentesimus nonagesimus nonus. A

XVIII. Quo tempore Hieronymianam librorum περὶ ἀρχῶν interpretationem Pammachius continebat; verum ab amico ipsius quodam fraude descripta in vulgus emissa est. Interpretationis autem suæ perfidiam ex hujus conflictu perspectum iri, versutiasque suas jam proditas intelligens Rufinus, ad eumque perlatis Aproniani opera literis, quas ad Pammachium & Oceanum una cum libris περὶ ἀρχῶν recens à se Latinitate donatis Hieronymus miserat, triennium in elaboranda duplici Apologia contrivit. Prior vetustate intercidit: posterior supersest in duas divisa partes, quarum prima criminationes ab Hieronymo impactas refellit, altera Hieronymum ipsum suggillat. Quæ cum in apertam contentionem erumperent, duas in partes, ut fit, Romanorum Christianorum animi abiere, cum Rufino alii, alii Hieronymo saverent; nec Romani duntaxat, sed & quotquot fere per orbem sparsi erant, diversis studiis ferebantur. B

XIX. Tum vero partium suarum esse intellexit Anastasius Papa, non quidem exorientes motus lenimentis adhibitis consopire, quod factum à decessore ejus Siricio notavimus; sed malum occulte crescens Apostolica auctoritate rescindere. Re itaque diu ac mature in utramque partem perpensa Origenis tandem erroribus hæreseos notam impressit anno 400. Theophili studium imitatus, qui superiore anno in Alexandrina Synodo eosdem damnaverat. Statim vero dimissis in omnes partes nuntiis, Origenianorum errorum damnationem promulgat Anastasius; qua accepta iidem passim reprobati sunt. Ea de re differentem audiamus Theophilum in Epistola ad quosdam Monachos, quam profert Justinianus in Epistola ad Menam: ὡκὼν ἀναθεματίζοντες τὸ ὠριγένους, καὶ τὰς ἄλλας αἱρετικὰς, ὥσπερ ἡμεῖς καὶ ὁ ῥωμαίων ἁγίας ἐκκλησίας ἐπίσκοπος ἀναστάσιος, ἐκ παλαιοτέρων ἀγωνισμάτων ἔνδοξος στρατηγὸς ὑποδεικνὺς λαῷ χειροτονηθείς, ᾧ καὶ πᾶσα τῶν μοναχείων κῶν ἡ δύσις ὑποκέπων ἕπεται συνόδῳ, ὑποδεχομένη τὸ τῶν ἀλεξανδρίων ἐκκλησίας τὸ κῶν τὸ ἀσεβὲς ψῆφον. *Igitur anathema dicentes in Origenem, aliosque Hæreticos, quemadmodum factum est à nobis, & ab Anastasio sanctæ Romanorum Ecclesiæ Episcopo, qui ex veteribus certaminibus clarus, dux illustris populi creatus est, quem & omnis beatorum Occidentis Episcoporum sequitur cœtus, Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam adversus impium latam suscipiens.* Hieronymus certe libr. 2. Apolog. cap. 6. præter Anastasium & Theophilum, tradit Venerium quoque Mediolanensem Episcopum, & Chromatium Aquilejensem, Origenem subjectis sibi populis hæreticum denuntiasse. C D

XX. At parum sese promovisse ratus Anastasius, si non tumultus auctorem Rufinum, & bellum renovantem retunderet, Romam eum ad caussam dicendam accersit: tergiversatur Rufinus, & Apologiam scribit ad Anastasium, qua levibus ad detrectandam profectionem excusationibus usus fidem suam profitetur: deinde ait: *Origenis ego neque defensor, neg. assertor sum, neque primus interpres: alii ante me hoc idem opus fecerunt; feci & ego postremus, rogatus à fratribus. Si jubetur ne fiat, jussio observari debet inposterum. Si culpantur qui ante jussionem fecerunt, culpa à primis incipiat. Ego enim præter hanc fidem, quam supra exposui, id est, quam Romana Ecclesia, & Alexandrina, & Aquilejensis nostra tenet, quæq; Hierosolymis prædicatur, alienam nec habui unquam in isto homine, nec habeo, nec habebo.* Neutiquam tamen excusationem hanc Anastasius accepit, sed instante Marcella Rufino, ut verbis utar Hieronymi, cauterium hæreseos insuit, eumque damnavit anno 401. *Damnationis Hæreticorum*, inquit idem Hieronymus, *hæc Marcella fuit principium, dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi, & postea ab hæretico fuerant errore correpti; dum ostendit multitudinem deceptorum, dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emendata manu scorpii monstrabantur; dum acciti frequentibus literis Hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi, tantaque vis conscientiæ fuit, ut absentes damnari, quam præsentes coargui maluerint. Hujus tam gloriosæ victoriæ origo Marcella est.* Cujus victoriæ fama cum per totum orbem increbuisset, Anastasium ipsum super Rufino consuluit Johannes Hierosolymitanus ejusque sententiam exploravit. Extat Anastasii responsio data ad An. 402. in qua notandum primo illud est, multis ab eo laudibus Johannem Origenismi licet suspectum extolli; deinde & istud: *Origenes autem, cujus in nostram linguam composita derivavit* (Rufinus) *ante quis fuerit, in quæ processerit verba, nostrum propositum nescivit.* Addit Rufinum hac interpretatione fidem ab Apostolis propagatam violare voluisse; non damnare tamen, si à traditis in interpretato Opere dogmatis abhorreat; damnare se penitus, si iisdem assentiatur. Tum paulo post: *Illud quoque*, inquit, *quod evenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum Principum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens ab Origenis lectione revocetur; damnandumque sententia Principum, quem lectio rerum profana prodiderit.* Suam demum super Rufino sententiam his verbis exponit: *Itaque, frater carissime, omni suspicione sepositâ, Rufinum scito quod propria mente Origenis dicta in Latinum transtulit ac probavit, nec dissimilis ab eo est, qui alienis vitiis præstat assensum. Illud tamen scire cupio ita haberi à nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nescire cupiamus.* E F

Hier. Apol. 2. cap. 6.
Hier. Epist. 16.

A pamius. *Ipse denique viderit, ubi possit absolvi.* Quocirca Rufinum ita alloquitur Hieronymus Apolog. lib. 3. cap. 6. *Vade potius Romam, & præsens apud eum* (Romanum Episcopum) *expostula, cur tibi & absenti, & innocenti fecerit contumeliam; primum ut non reciperet expositionem fidei tuæ, quam omnis, ut scribis, Italia comprobavit, & baculo tuarum uti noluerit literarum contra canes tuos: deinde ut Epistolas contra te ad Orientem mitteret, & cauterium tibi hæreseos dum nescis inureret, diceretque libros Origenis* περὶ ἀρχῶν *à te esse translatos, & simplici Romanæ Ecclesiæ plebi traditos, ut fidei veritatem, quam ab Apostolo didicerant, per te perderent; & quo tibi majorem faceret invidiam, ausus sit criminari hos ipsos, Præfationis tuæ testimonio roboratos.* Quin etiam in Epistola 82. ad Marcellinum & Anapsychiam, sese ait subdolum libellum à Rufino oblatum Anastasio Papæ, aliasque ipsius scriptiones opusculis quibusdam explosisse, quas non aliud esse conjecerit quispiam, quam Apologias ipsas, de quibus proxime commemo-
B rabimus.

XXI. Hoc ipso anno geminam Rufini adversum se Apologiam gemina itidem adversus Rufinum Apologia Hieronymus excepit: nam cum ex Occidente Hierosolymam remeasset ipsius frater Paulinianus, libros illos adversus eum elaboratos, nondum quidem ab Auctore, quem metus scilicet & pudor inhibebant, in lucem esse editos, sed inter Rufini tamen familiares circumferri significavit; è quibus cum in vulgus exissent nonnulla, collecta ea ad fratrem pertulit: quod ipsum præstiterunt per literas Pammachius & Marcellinus. Non ad has ipsas itaque Rufini scriptiones, sed ad relatas à Pammachio, Marcellino, & Pauliniano criminationes priorem quam habemus Apologiam Hieronymus adornavit. Duobus ea continetur libris, & Pammachii ac Marcellini nomine inscripta est, quorum monitu fuerat elucubrata;
C ad eos vero transmissa, quos scriptis suis Rufinus afflaverat: in eaque declarat Hieronymus constitutum esse sibi peculiari opere Pamphili & Eusebii Apologiam refellere. Hæc simul atque ad Rufinum perlata est, ira incitatus, responsum una cum Apologiis misit ad Hieronymum, quo hastatis eum apicibus territabat, mortem minitans, & ad tribunalia sese provocaturum, nisi maledictis abstineret. Verum futiles minas parvipendens Hieronymus, posteriorem Apologiam continuo rescripsit.

XXII. Post septem annos quam hæc acta sunt, diem clausit extremum Melania senior, vix à quadraginta diebus Hierosolymam reversa. Rufinum quoq; sequente anno, qui fuit à Christo nato 410. Aquileja ab Alarico vastata in Sicilia profugum periisse tradit Baronius. At in Epistola ad Ursacium, quam interpretationi Commentariorum Origenis in librum Nume-
D rorum præfixit Rufinus, quamq; cum nondum edita esset, mecum olim benigne communicarunt clarissimi fratres Bigotii, ita scribit: *Sed reddendæ pollicitationi non tempestivum, ut ille ait, sed tempestuosum nobis tempus ac turbidum fuit. Quis enim ibi stylo locus est, ubi hostilia tela metuuntur? ubi in oculis est urbium agrorumq; vastatio? ubi fugitur per marina discrimina, & ne ipsa quidem absq; metu habentur exilia? In conspectu etenim, ut videbas etiam ipse, nostro Barbarus, qui Rhegino oppido miscebat incendia, angustissimo à nobis freto, ubi Italiæ solum Siculo dirimitur, arcebatur.* Agebat ergo tum in Sicilia. Ait deinde: *Iam enim ex omnibus quæ in Lege scripta reperi, sola ut puto in Deuteronomio desunt orationculæ, quas si Dominus juverit, & sanitatem dederit oculis, cupimus reliquo corpore sociare: quamvis amantissimus filius noster Pinianus, cujus religiosum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur, injungat & alia.* Pinianus ille, cujus in comitatu se tum fuisse ait
E Rufinus, is erat Melaniæ junioris maritus. Hunc Roma discessisse anno 408. & Carthaginem appulisse anno 409. ipse agnoscit Baronius. Igitur vel Rufinum in Sicilia à Piniano & utraq; Melania relictum mors anno sequenti oppresserit; vel certe tempus à Baronio assignatum uno saltem anno Rufini obitus anteverterit, viri Origenianæ doctrinæ ita studiosi, ut infinitas sibi turbas, convicia, infamiam, & damnationem denique ejus causa pepererit: qui si animo suo fuisset moderatus, & à librorum περὶ ἀρχῶν interpretatione abstinuisset manum, suum sibi Origenes decus, gloriamq; in Occidente servasset; verum dum tradit illum Latinis legendũ, ex omnium manibus excussit: *Totus* enim *orbis*, inquit Hieronymus, *post translationem* Rufini *in Origenis odium exarsit, quem ante a simpliciter lectitabat.* Nihilominus ab Anastasio licet da-
F mnatus fuerit Rufinus, ejus tamen consuetudine usum fuisse Chromatium Aquilejensem Episcopũ persuadet ipsius Præfatio Euseb. historiæ à se conversæ præmissa, qua rogatu Chromatii, animo ex patriæ clade afflicto solamen adhibere volentis, susceptam illam à se ostendit. Melaniã quoq; diu post inflictam Rufino censuram certatim laudibus extulerunt Augustinus & Paulinus: & post mortem demum in Græcorum Martyrologiis inter Sanctos adscripta est.

Hier. Apol. 1. cap. 3.

XXIII. At non Rufini obitu fata ab ipso Origenismi semina extincta sunt. Pelagius Monachus natione Britannus, arrepta quædam Origenis dogmata à Rufino exculta & propagata renovavit. Quocirca Hieronymus in Procœmio ad libr. 1. Comment. in Jerem. Grunnium, hoc est Rufinum, Pelagii *præcursorem* & *magistrum* appellat. Dogma quoque ἀπαθείας & ἀναμαρτησίας, quod supra tractavimus, ab Origenistis accepisse Pelagianos prodit in Procœm. Dialog. adv. Pelag. & in Procœm. libr. 4. Comment. in Jerem. & in Epist.

ad

ad Creſiph. cap. 2. Et Auguſtinus libr. 2. de peccat. origin. adv. Pelag. & Cæleſt. refert in judicio Epiſcopali Carthagine habito, quærenti Paulino Diacono Presbyterorum nomina, à quibus peſtilentem ſuam doctrinam Cælestius accepiſſet, reſpondiſſe Cælestium : *Sanctus Presbyter Ruſinus, Romæ qui manſit cum ſancto Pammachio. Ego audivi illum dicentem quia tradux peccati non ſit.* Ideirco Origeniani nominis invidiam in ſe converſam ſentiens Pelagius, cum apud Innocentium Papam ſe purgaret, in Libello fidei præcipuos Origenis errores proterere ſe fimulavit. Porro ut Origenianæ hæreſi Pelagiana, ſic

Neſtoriana lues ſucceſſit Pelagianæ,

inquit Proſper in Epitaphio Neſtorianæ & Pelagianæ hæreſeon. Sed quoniam præter inſtitutum noſtrum eſt illarum hiſtoria, & aliorum laboribus jam ſatis illuſtrata, ad ſequentia properamus.

XXIV. Obtritus plane ac peſſundatus in Occidente videbatur Origeniſmus, cum ecce Aviti duo Hiſpani, Romam alter, alter Hieroſolymam profecti, in patriam poſt reditum merces Origenianas intulerunt. Horum alter (is, ni fallor, qui Hieroſolymam contenderat, quemque adiiſſe Hieronymum in Palæſtina degentem veriſimile eſt) ab Hieronymo poſtulaverat, ut Origenis libros περὶ ἀρχῶν ſincere & fideliter converſos ad ſe mitteret; quod cum facile impetraſſet, cavendosque errores per epiſtolam Hieronymus præmonſtraſſet, iis tamen implicari ſe & illudi paſſus eſt; ac alterum quoque Avitum in easdem opiniones pertraxit. Patriæ conſulens Paulus Oroſius, quam hæc, atque aliæ item hæreſes pervadebant, Auguſtini opem oblato ipſi Commonitorio imploravit. Scripto ſtatim ad Oroſium Commentariolo adverſus Priſcillianiſtas & Origeniſtas, hæreſin utramque Hiſpaniam infeſtantem proculcavit Auguſtinus; & in eximio præterea de Civitate Dei opere, quod tunc elaborabat, ut & in aliis quoque ſcriptionibus, cum Origeniſtis præliatus eſt. Quæſtionem unam, quæ eſt de origine animarum, definire non auſus, Oroſium in Palæſtinam miſit ad Hieronymum, quem diſceptationis hujus arbitrum eſſe voluit. Manifeſtum itaque ex eo eſt, merito inter ſuppoſititia & Auguſtino perperam adſcripta rejici libellum de Deitate & Incarnatione ad Januarium, qui habetur in Appendice quarti Tomi: quippe qui Origenianis fere pannis conſutus & conſarcinatus eſt.

Circiter idem tempus Semipelagianæ hæreſi robur Johannes Caſſianus in Galliis conciliabat ex Origenis ſcriptionibus, cujus è contrario nomen Vincentius Lirinenſis ibidem traducebat: in Commonitorio ſiquidem priore adv. Hæreſ. cap. 23. dum oſtendere conatur errorem Origenis Eccleſiæ Dei offenſioni fuiſſe, poſtquam præclaras illius dotes multis dilaudavit: *Eo*, inquit, *res decidit, ut tantæ perſonæ, tanti Doctoris, tanti Prophetæ non humana aliqua, ſed ut exitus docuit, nimtum periculoſa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quamobrem hic idem Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingento ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit, cum parvi pendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & Veterum magiſteria contemnens quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de ſe quoq. Eccleſiæ Dei diceretur: Si ſurrexerit in medio tui Propheta; & paulo poſt: Non audies, inquit, verba Prophetæ illius. Vere non ſolum tentatio, ſed etiam magna tentatio, dedit tam ſibi atque in ſe pendentem Eccleſiam admiratione ingenii, ſcientiæ, eloquentiæ, converſationis & gratiæ, nihil de ſe ſuſpicantem, nihil verentem, ſubito à veteri religione in novam profanitatem ſenſim, paulatimque traducere.* Tum Lectores monet, etiamſi corrupti ſint libri Origenis, quod non diffitetur, ſub ejus tamen nomine venditari, & ad inſinuandos errores tantum nomen valere poſſe. Ita renaſcentis Origeniſmi propagines in Occidente eliſæ ſunt. Sed & iterum ibidem, iterumque ſunt contuſæ, ut in ſequenti Sectione oſtendemus.

SECTIO SECUNDA.

I. *Theophilus Alexandrinus Monachos quosdam Nitrienſes vexat,* II. *& afflicto ipſis Origeniſmo Origeniſtas una inſectatur.* III. *Aliæ diſſidii hujus cauſſæ proferuntur. Synodus Alexandrina Origeniſtas damnat, quos Theophilus ex Ægypto deturbat.* IV. *Æquum de his concertationibus Poſthumiani judicium,* V. *Theophili factum approbant Anaſtaſius, Epiphanius, & Hieronymus.* VI. *Utris plus adhibendum in hac hiſtoria fidei, Palladio, Socrati, Sozomeno, Georgio Alexandrino, Anonymo vitæ Chryſoſtomi ſcriptori, & Symeoni Metaphraſtæ, an Epiphanio, & Hieronymo, diſquiritur.* VII. *Theophili Synodicam Epiſtolam & Paſchales quatuor convertit Hieronymus.* VIII. *Quæritur, utri prius Conſtantinopolim profecti ſint Origeniſtæ, an Theophili legati.* IX. *Origeniſtas benigne excipi-*

A *excipiunt Johannes Chrysostomus, & Eudoxia.* X. *Synodum in Cypro adversus Origenistas cogit Epiphanius.* XI. *Theophilenses legati & Origenistæ apud Imperatorem mutuo se accusant.* XII. *Epiphanius Constantinopolim appellit, & Chrysostomum male habet.* XIII. *Altercatur cum Eudoxia, deinde Cyprum repetens fato concedit.* XIV. *Rei gestæ summa repetitur ex Polybio teste oculato.* XV. *Constantinopolim advenit Theophilus, & Conciliabulum cogit ad Quercum.* XVI. *Accusatur Chrysostomus* XVII. *Actorum Pseudosynodi ad Quercum habitæ fides exploratur.* XVIII. *Crimine liberantur Nitrienses, & in gratiam cum Theophilo redeunt.* XIX. *Exauctoratur Chrysostomus, & in exilio diem multo post*
B *obit.* XX. *In Chrysostomi defuncti nomen grassatur Theophilus, renitente Isidoro Pelusiota.* XXI *Chrysostomum prosequitur laudibus Synesius, probris Hieronymus.* XXII *Origenianos libros lectitat Theophilus:* XXIII. *Diem claudit: succedit Cyrillus, & avunculi inimicitias persequitur, sed ab Isidoro reprehensus factum mutat. Scribit adversus Origenem Hammon Hadrianopolitanus.* XXIV. *Johannis Hierosolymitani, & Hieronymi obitus. Male audit Origenis doctrina in Oriente & Occidente:* XXV. *Suos tamen fautores habet Philastrium, Theodoretum, Socratem, Sozomenum, Sidonium, Auctorem Prædestinati, & Eutychetem.*

C

I. HÆC dum in Occidente gererentur, longe graviori tumultu Orientis Ecclesias Origenismus quatiebat. Cujus intermissam vitandæ confusioni historiam repetemus. Postquam Isidorus ille, quem à Theophilo ad sedandas Johannem inter, & Epiphanium ac Hieronymum controversias submissum diximus, Alexandriam regressus est, urgere Theophilum non destiterunt Epiphanius & Hieronymus, ut cum Origenistis marte aperto ipse quoque præliaretur. Detrectabat ille pugnam, rogante præsertim Epiphanio, erga quem Anthropomorphitarum hæreseos sibi suspectum male affectus erat. Mox autem ut ad Ecclesiæ caussam privata odia accessere, statim adversus Origenis asseclas classicum cecinit. Obscura certe est & implicata temporum illorum hi-
D storia, quamque nonnisi à Palladio, Socrate, & Sozomeno, ætatis hujus proximis petere possumus; quamvis prioris auctoritatem minuerit apertus Origenismi amor, alios aliarum hæreseon studium merita pæne existimatione fraudarit. Cur itaque Origenistas insectaretur Theophilus caussam hanc fuisse tradit Socrates. Quæsitum in Ægypto non multo ante fuerat, Deusne corporeus esset, & humanam formam gerens, an penitus incorporeus. Multi, ac simpliciores præsertim Monachi Deum humano habitu præditum fingebant, unde Anthropomorphitæ, sive ut loquitur Epiphanius Scholasticus in Tripartita Historia, *Tripart. Hist. libr. 10. cap. 7.* *Humaniformiani* dicti sunt, plures contrariam sententiam sequebantur. Hos inter erat Theophilus, qui cum opinionem suam in Epistola quadam Paschali, cujusmodi Epistolam de more quotannis scribebat, prodidisset, eaque ad Ægyptios Ascetas fuisset perlata, ita
E excanduerunt illi, ut Theophilum ab Ecclesia expellendum censerent. Scetinos Monachos reliquis sanctitate præstantiores & doctrina hanc repudiasse omnes Epistolam præter unicum Abbatem Paphnutium, literis tradidit Cassianus. E reliquis vero per Ægyptum sparsis Monachis plurimi manu facta advolant Alexandriam, & de interficiendo *Cassian. Coll. 10. c. 2* Theophilo cogitant. Ille stolidos homines astu tractavit, & ingruentes compescuit ambiguo hoc dicto; *Sic ego vos vidi, quasi faciem Dei*, quo quondam Iacob Esau fratrem suum delinivit, ut est Genes. 33. v. 10. Placati illi unum id præterea postulant, ut damnaret Origenis libros, quorum nonnulli à Deo corpus abjudicabant: Ego vero, inquit, hominis istius lucubrationes, & qui eas probat, averior. Atque hoc fine stetisset controversia, nisi statim nova de causa recruduisset.

F Præerant Ægyptiacis monasteriis viri quatuor pietate nobiles, Dioscorus, Ammonius, Eusebius, & Euthymius, germani fratres, statura proceri, ideoque Longi cognominati: quod etiam cognomen habuisse ipsorum partiarium Isidorum conjicere licet ex isto Hieronymi Epist. 61. ad Pammach. cap. 15. *Et tamen iste Hieronymus cum pannosa turba & sordidatus gregibus, quid Isidoro illi fulmineo ausus est respondere? At ne forte ille non crederet, & opprimeret eos præsentia & mole corporis sui*, &c. Cum fratres illos percharos haberet Theophilus, Dioscorum Hermopoleos constituit Episcopum; duos autem invitos apud se detinuit. Atque hanc quidem vitam, desiderio licet monasticæ vitæ tabescentes, tolerabant, quoad perspecta Episcopi avaritia, hominem exosi, rursum in solitudinem post triennium secesserunt. Caussa secessus cognita, pessima quæque minatus est illis Theophilus, ipsumque Dioscorum invisum habuit. Cum ergo Anthropomorphitis infensos ipsos ex mutuis con-

greſſibus agnoviſſet; apud ſimplices quosdam & indoctos monachos, quos hæreſeos hujus affines eſſe ſciebat, Anthropomorphitam ſe profeſſus, Dioſcorum cum fratribus in contraria eſſe ſecta monuit, & corpus Deo detrahere, Origenem ſententiæ hujus patronum ſecutos. In fraudem his ſermonibus illecti boni homines Dioſcorum, ipſiusque aſſeclas vehementer averſati, invidioſo Origeniſtarum nomine infamantes traduxerunt: cum eos è contrario adverſarii, pauciores quidem numero, ſed doctrina & uſu rerum peritiores, Anthropomorphitas appellarent. Ita ſeditionibus inter ſe agitati conflictabantur. At Theophilus privatas injurias perſequens, Origeniſtarum tumultus obtendit, & Nitriæ occupato monte, Anthropomorphitis monachis arma ſubminiſtrat, Dioſcori monaſterium incendit, qui cum fratribus abditus puteis vix ingruenti cladi ſe ſubduxit. A

Polybius Rhinocorurorum Epiſcopus, Epiphanii diſcipulus, ipſiusque vitæ ſcriptor, tres B duntaxat numerat Longos fratres, Heracleonis filios, qui Alexandriæ cum imperio præfuerat, Theophilo amicitia conjunctos, ab eoque in urbem è monaſteriis per fraudem deductos, majorem creatum ait Epiſcopum, alios Diaconos, & Eccleſiæ œconomos. Narrat deinde hoc munere per triennium functos, renitente Theophilo in priſtinam ſolitudinem conceſſiſſe; ægre id tuliſſe Theophilum, ipſosque communione privaſſe; ad quam cum ſeſe admitti fruſtra rogarent, Chryſoſtomum interpellaſſe ea ſibi ut reſtitueretur; poſtulaſſe id à Theophilo Chryſoſtomum, nec impetraſſe, eosque tandem Theophili cenſura liberaſſe: hinc exorta inter utrumque diſſidia.

II. Igitur ad graviorem Dioſcoro, ipſiusque ſociis conflandam invidiam, ſingulari verſutia Theophilus Origeniſtarum cauſſam cum ipſorum cauſſa conjunxit. Cum enim jam G vulgo male audire ſectatores Origenis intelligeret, clariſſimosque partis illius conſecraneos à Nitrienſibus Monachis ſubornatos prodiiſſe, Nitriamque præcipuum Origenismi domicilium haberi, cumque adverſus eos ab Epiphanio & Hieronymo inſtigaretur; non ejus defenſores dogmatis, quod Deum incorporeum ſtatuit, quodque ipſe antea propugnaverat, & adhuc etiam pro vero habebat, vexare hujus doctrinæ gratia aggreſſus eſt, ſed ipſis famoſam Origeniſtarum appellationem vir acutus affinxit, quo Origenismi adverſarios ſibi demereretur, & adverſum illos concitaret. Et levi ſane argumento impoſitam illis Origenismi calumniam approbavit, eo ſcilicet quod ſententiæ hujus aſſertor eſſet Origenes, quæ corpoream à Deo molem ſegregat. Atque eo facilius id perſuaſit, quod ad eos, uti mox dicemus, confugiſſet Iſidorus, quem acerrimum doctrinæ hujus patronum fuiſſe D jam ſupra oſtendimus. Origenismi ergo cauſſam poſtquam ſemel obduxit iracundiæ ſuæ, Origeniſtas omnes inſectari neceſſum habuit: quamobrem referta hoc hominum genere Nitriæ aſceteria perſcrutatum, una cum Dioſcoro Origeniſtas omnes illinc exturbaſſe veriſimile eſt.

III. Scetinis, ſeu Nitrienſibus monachis (utrovis enim modo vel à Nitria monte, vel à Sceti regiuncula dici poſſunt) alia etiam cauſſa Theophili conſciverat odium. Hunc inter & Petrum Alexandrinæ Eccleſiæ Archipresbyterum ſimultas interceſſerat. Hinc infenſus Petro Theophilus admiſſam ab eo queſtus eſt ad myſteriorum communionem mulierem quandam Manichæa lue infectam, priusquam nuntium hæreſi remiſiſſet. Factum E fuiſſe id juxta Eccleſiæ conſuetudinem, & ex Theophili ſententia; Petrus reſpondit, & teſtimonio confirmavit Iſidori, ſupra à nobis memorati, viri gravis, & quem poſt Nectarii obitum ad Conſtantinopolitanam ſedem evehere Theophilus ſtuduerat. Hic graviter ſuccenſens utrumque Eccleſia expulit. Rem ita à multis narrari refert Sozomenus: at aliter à viro cum Monachis illis converſari ſolito accepiſſe ſe dicit; duas nempe cauſſas habuiſſe Theophilum, cur Iſidorum inſectaretur, aliam Iſidoro & Petro communem, quod teſtificari recuſaſſent Theophili ſororem hæredem fuiſſe ſcriptam; aliam Iſidoro peculiarem, quod cum pauperum gereret curam, erogatas in eos pecunias Theophilo in extruendis Templis abſumere volenti dare renuiſſet. Simile quid habet Palladius, ſeu quisquis ſcriptor eſt vitæ Chryſoſtomi, nam de Auctore non conſtat apud omnes; qui & alia multa F congerit, quæ ab aliis præterita à nobis quoque prætermittentur. Graviſſima vero hic eſt Anonymi cujusdam, à quo Chryſoſtomi ſcripta eſt vita, quam in octavum Tomum Operum ipſius conjecit Savilius, & Symeonis Metaphraſtæ hallucinatio, qui Iſidorum illum cum Iſidoro Peluſiota confundunt: niſi forte priorem hunc Peluſiotam quoque fuiſſe dicat aliquis, cum Alexandrinus tamen vulgo dicatur. Sed Sozomenum audire pergamus. Expulſus Iſidorus Scetin apud monachos conceſſit. Adit continuo Theophilum Ammonius, poſtulatque ut in communionem Iſidorum admittat: tergiverſante Theophilo inſtabat Ammonius, & quos ſibi itineris ſocios adjunxerat; adeo ut perterrefaciendis aliis, & à ſe amovendis unum ex ipſis in carcerem detruſerit Theophilus. Illum reliqui ſubſecuti in eandem cuſtodiam fraude ingreſſi ſeſe ſponte incluſerunt, quoad univerſos dimiſiſſet. Cujus rei tanta apud eum fuit indignatio, ut cum præ quiete & monaſticæ vitæ ſtu-

diis

A diis reliqua omnia eos postputare sciret, his ipsos intercluserit, concitatis subdole dissidiis, turbata pace, & monasteriis igne ferroque vastatis. Addit Palladius oranti Ammonio & Isidori partes agenti ferreum torquem propriis manibus injecisse Theophilum, pugnis maxillas & oculos contudisse, hac ingesta & repetita voce: *Hæretice, anathematiza Origenem.* Utut est, constat Episcoporum Synodum Alexandriæ coëgisse Theophilum anno Christi 399. damnatosque uno ore Origenistas è Nitriæ monte, ut supra narratum est, exegisse: B motam fuisse plebem, ut Theophilum latitantem ad necem deposcere, visque Præsidiis accedente Imperatorum auctoritate, qui ex Ægypto ut pellerentur scriptis datis jusserant. adhortationibus sedaretur. Digressi ex Ægypto Origenistæ Hierosolymam ad Johannem urbis antistitem confugiunt, quem antea partibus suis faventem cognoverant. Sylvanum eum perperam appellant Georgius Alexandrinus, & alter Anonymus scriptor vitæ Chrysostomi, & Symeon Metaphrastes. Nam anno 386. in Hierosolymitano Throno sedisse Johannem, obiisse vero anno 416. demonstrat Baronius: Hierosolymam autem anno 399 Origenistæ, ut dixi, confugerunt. Submissis continuo in Palæstinam legatis Prisco & Eubulo, Hierosolyma quoque & proximis locis eos expelli curat Theophilus, nusquam repugnante Johanne. Horum conjecturam capimus ex Epistola 70. Hieronymi. Scythopolim Origenistæ numero circiter octoginta perveniunt. In his Dioscorus, Ammonius, Eusebius, Euthymius, Hie- C rax, Isaaci duo, & Isidorus. At cum ad Imperatorem Arcadium, & Archiepiscopum Johannem delectos è Nitria Monachos, Origenistis infensos, aliosque Constantinopolim allegasse Theophilum accepissent, qui pro se causam dicerent, eodem ipsi ad diluendas Theophili accusationes, suasque res procurandas profecti sunt.

Georg. Alex. in vit. Chrys. c. 38. Anonym. cap. 89. Sym. Met. in vit. Chrys.

IV. Per idem tempus quo hæc agebantur delatus est in eas oras à Gallia Posthumianus. Narrat ille apud Sulpitium Severum fœdas Episcopos inter & Monachos concertationes intercessisse, *quia congregati in unum sæpius Sacerdotes frequentibus decrevisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet, qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur*; censuisse Episcopos, libros Origenis, quod sparsis huc illucque erroribus scaterent, penitus esse respuendos; contra pertendisse Monachos, quidquid inerat errorum, ab D Hæreticis fuisse insertum; nec propter ea quæ in reprehensionem merito venirent, reliqua esse damnanda. Hinc ortam seditionem: ex quo contentiosum & pugnax cervicosorum Origenistarum ingenium arguas; qui cum Episcoporum auctoritate reprimi non possent, asumendum fuisse Præfectum, ab eoque in fugam conjectos Monachos ita dispersos esse, ut propositis Edictis nullibi consistere sinerentur. Addit postea: *Sed tamen sive illud error est, ut ego sentio, sive hæresis, ut putatur, non solum reprimi non potuit multis animadversionibus Sacerdotum, sed nequaquam tam late se potuisset effundere, nisi contentione crevisset.* Denique nec Episcoporum severitatem, nec Monachorum perduellionem probare se dicit. Quod mihi sane valde probatur judicium; nam nimis severe in Origenistas à Theophilo consultum est; sed gravius tamen peccasse videntur Monachi, à quibus tam præfracte Episcoporum auctoritas E pessundata est.

V. Anastasium interim summum Pontificem per Synodicam Epistolam rei gestæ certiorem fecit Theophilus, ac alios item Episcopos, sed Epiphanium potissimum, ad quem scripsit in eam sententiam, se Origenis colubros Evangelico ense truncasse, & fœcundum Nitriæ Monachorum agmen contagione pestifera liberasse; jam vero esse operum ipsius Epiphanii, Cyprios Episcopos congregare, & dare negotium, ut *Origenes nominatim, & nefaria hæresis condemnetur*; deinde vero Synodicas Epistolas ad se, & ad Johannem Chrysostomum, aliosque Episcopos mittere; fuisse perlatum ad se Origenistas ex Ægypto dejectos navigasse Constantinopolim; curet igitur ut Isauriæ, & Pamphiliæ, vicinarumque Provinciarum Antistites operas suas ad extirpandum Origenismum conferant; virum aliquem F industrium Constantinopolim mittat, qui illuc quæ gesta sunt, referat; summam esse apud omnes in Ægypto ob profligatam hæresin lætitiam. Notari obiter velim jocularem Guidonis Carmelitæ errorem, qui Theophili verba, quibus Origenis colubros se Evangelico ense truncasse apud Epiphanium jactabat, perperam interpretatus, quæstum id fuisse scripsit Theophilum, quod membra sibi ferro truncarent Origenistæ, ut haberentur humiles & religiosi. Mox ut Synodicam Theophili Epistolam accepit Epiphanius, ad Hieronymum continuo remisit, aliamque adjecit de suo, in qua sic illum affatur: *Scito, fili charissime. Amalec usque ad stirpem esse deletum, & in monte Raphidim erectum trophæum crucis. Etenim quomodo porrectis in altum Moysi manibus, vincebat Israel; Sic Dominus confortavit famulum suum Theophilum, ut super altare Ecclesiæ Alexandrinæ contra Origenem vexillum poneret, & impleretur in eo quod dicitur: Scribe signum hoc, quia deleboſunditus Origenis hæresin à facie terræ cum ipso Amalec.*

Guid. in Summa de Hæresib. in Har. Orig.

Quo argumento ad Epiphanium scripserat Theophilus, eodem propemodum scripsit ad A
Hier. Ep. 71 Hieronymum; cui hic respondens: *Vox*, inquit, *beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit, & cunctis Christi Ecclesiis lætantibus Diaboli venena siluere. Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat, sed contortus & eviscératus in cavernarum tenebris delitescens Solem clarum ferre non sustinet, qui quidem super hac re, & antequam scriberes, ad Occidentem Epistolas miseram, ex parte Hæreticorum strophas meæ linguæ hominibus indicans. Ex dispensatione Dei factum puto, ut eo in tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, & nostram dum ignoras sententiam roborares.* Et paulo post: *Vincentius Presbyter ante biduum quam hanc Epistolam darem, de Vrbe venit, & suppliciter te salutat, crebroque sermone concelebrat Romam, & totam Italiam tuis post Christum Epistolis liberatam*: cura nimirum Anastasii Papæ, à quo, ut superiore sectione dictum est, profligatus fuerat Origenismus. In alia ad eundem Epistola, Priscum & Eubulum à Theophilo in Palæ- B
stinam legatos narrat dispersos regulos, Origenistas nimirum, usque ad suas latebras fuisse persecutos; gaudere omnes ob partam ab Hæreticis victoriam: *Macte virtute*, inquit, *macte zelo fidei, ostendisti quod huc usque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus.* Postremo Johan-
Hier. Epist. 70. nem Hierosolymitanum ob susceptum Origenistam quendam, antequam Theophili literas accepisset, excusat his verbis: *Super susceptione cujusdam non debes contra Vrbis hujus dolere Pontificem, quia nihil tuis literis præcepisti: & temerarium fuit de eo quod nesciebat, ferre sententiam: tamen reor illum nec audere, nec velle te in aliquo lædere.* Quibus non Johannem Hierosolymitanum, sed Chrysostomum notati putant nonnulli: sed non persuadent, nam unum quendam susceptum dicit Hieronymus, at quinquaginta Chrysostomus suscepit. Deinde cum ait Hieronymus, *Vrbis hujus*, utram potius videtur significare Constantinopolim tot mansionibus dis- C
sitam; an Hierosolymam cujus in vicinia hæc scribebat? Omnino certe Hierosolymitanus Johannes videtur intelligendus. Ex his suspicari licet deferbuisse aliquantulum hoc tempore ipsius cum Hieronymo simultates, (quas rursum tamen redintegratas fuisse inferius ostendemus,) & aliquantum de amore suo adversus Origenem remisisse, vel sententiam certe suam
apud Hier. Epist. 72. dissimulasse. Quod ut suspicer, facit illud Theophili in alia ad Hieronymum Epistola: *Atque utinam apud vos quoque deponerent hypocrisin, qui occulte dicuntur subruere veritatem, de quibus non bene sentientes in iis regionibus fratres hæc me scribere provocarunt.* Addit Theophilus fugatis Origenistis ad pristinam tranquillitatem monasteria Nitriæ rediisse. Audientibus præterea
Hier. Epist 78. Hieronymus, dum aliquanto post ad Pammachium & Marcellam scribens: *Vbi nunc est*, inquit, *coluber tortuosus? ubi venenatissima vipera? Prima hominis facies utero commissa luporum? Vbi* D
hæresis quæ sibilabat in mundo? & deinde: *Oppressa est ejus* (Theophili) *auctoritate & eloquentia, & in morem Dæmonicorum spirituum de terra loquitur: nescit enim eum qui desursum veniens ea loquitur quæ sursum sunt.* Queritur postmodum tantis simulationibus uti solitos Origenistas, ut vix à Catholicis internoscerentur: tum subdit: *Quid opus est obsidere Propontidem, mutare loca, diversas lustrare regiones, & clarissimum Pontificem Christi, ejusque Discipulos rabido ore discerpere. Si vera loquimini, pristinum erroris ardorem ardore fidei commutate.* Demum Paschales Theophili Epistolas, quibus Origenismus obteritur à toto Oriente cum admiratione suscipi, & prædicari denuntiat.

VI. Prolixe hæc à me notata sunt, ut cum auctoritate Palladii, Socratis, Sozomeni, Georgii Alexandrini, Anonymi alterius qui Chrysostomi vitam in literas retulit, & à Sa- E
vilio editus est Tom. 8. Chrysost. & Symeonis Metaphrastæ, Lector æquus Epiphanii & Hieronymi auctoritatem componat, & quam diversa de Theophili & Origenistarum dissidio senserint, cognoscat. Illi summam pietatis, sanctitatis, & mansuetudinis laudem Origenistis tribuunt: hi versipelles, refractarios & pertinaces eosdem fingunt. Illi Theophilum iracundum, impotentem, iniquum, pecuniæ cupidum, pronum in vindictam, privatis injuriis Dei caussam falso obtendentem exhibent: hi zelo fidei ardere eundem, pollere prudentia, Moysis virtutem referre dicunt. Quod si res ita fuissent gestæ, ut à Palladio narrantur, num præsentem Posthumianum, & Epiphanium ac Hieronymum in vicinia positos latere potuissent? num insontes ac pios homines præter fas sedibus suis exterminatos conviciis ipsi quoque lacerassent? num Theophili petulantiæ consensissent? num ferocitatem ejus ac sævitiam laudassent, & laudando auxissent? Quod si è contrario falsa de F
Phot. Cod. 96. Origenistis, & Chrysostomi caussa prodidisset literis; an de ipso pronuntiasset Photius: ὅτι διαλογικῶς τύπῳ καλῶς τε καὶ ἐπιμελῶς τὰ περὶ τὴν χρυσόστομον ἀνεγράψατο· *Dialogico ipsum charactere pulchre ac diligenter res Chrysostomi descripsisse?* Equidem & jam supra dixi, & nunc quoque pronuntio duplicis fuisse generis Origenistas, Orthodoxos & Heterodoxos; quos cum ab invicem secernere in promtu non esset, utrosque indiscriminatim Theophilum divexasse; eandemque ob caussam utrosque indiscriminatim Johannem Chrysostomum fovisse: hinc nonnullos factum Theophili Heterodoxos infectantis probasse; aliis Orthodoxos male haberi doluisse. Theophilum præterea judicio fuisse præcipiti, & animi affectibus nimium obtemperasse si negarem, reclamaret Chrysostomus, in quem impotenter desæ-

viit;

A viit: reclamaret & Paulus ille Episcopus, quem post flagella, carcerem, & metalla, à Theophilo, non propter Origenismum, sed alias ob causas ex Ægypto eliminatum Hieronymus transeuntem hospitio suscepit, & ut per Imperiale scriptum restitueretur, laboravit. Privatis proinde causis ad carpendos Origenistas adductum fuisse veri mihi videtur perquam similimum, & vindictæ suæ Origenismum subdole prætexuisse; Epiphanium vero & Hieronymum, rem ipsam Ecclesiæ perutilem, Origenismi scilicet extirpationem spectasse, causas ipsas insuper habuisse. Quæcunque certe res Theophilum impulerit, constat legitimæ Synodi decretis Origenistarum errores fuisse rescissos; ac non tantum fortasse Theophili, quantum Synodi auctoritati Hieronymum & Epiphanium tribuisse.

VII. Porro non Synodicam duntaxat Theophili Epistolam, datam anno Christi 399. sed
B Paschales etiam quatuor, annis 400. 401, 402, 403, 404. scriptas, Hieronymus Latinitate donavit, ut quæ iis continebatur Origenis damnatio, latius, & in Occidente potissimum pervulgaretur. Pervenerunt ad hanc ætatem posteriores tres, prior cum Synodica intercidit; in quibus depravata aliqua ab Hieronymo cum ipsius adversarii jactassent, sese in Epistola 78. ad Pammachium & Marcellam, cum ad eos posteriores Paschales mitteret, luculenter purgavit.

VIII. Jam vero rerum seriem persequamur. Diximus Constantinopolim profectos esse Origenistas, postquam eodem legatos à Theophilo missos acceperunt. Falso id à Palladio, & Sozomeno confictum arguit Baronius ad A. 400. cap. 61. nec quenquam illuc ante legasse Theophilum contendit, quam eodem abiisse Origenistas intellexit. Falsum quoque esse
C vult, inter Origenistas fuisse Isidorum; id licet præter Sozomenum Socrates asseveret. Nititur Baronius Theophili ad Epiphanium Epistola, quæ est inter Hieronymianas 67. Sic habet illa: *Didici enim quod calumniatores veræ fidei, Ammonius, Eusebius, & Euthymius, novo pro hæresi furore bacchantes, Constantinopolim navigarint: ut & novos, si quos voluerint, decipiant, & veteribus suæ impietatis sociis conjungantur.* Nulla hic Isidori mentio: certe neque Dioscori, nec aliorum quinquaginta, quos illuc perrexisse tradit Palladius. Quasi vero nomina singulorum percensere Theophilus instituerit. Ait deinde Theophilus: *Et ut celerius nostra Constantinopolim scripta perveniant, mitte industrium virum, & aliquem de clericis, sicut & nos de ipsis Nitriæ monasteriis patres Monachorum, cum aliis sanctis & continentissimis viris misimus, qui possint cunctos in præsentia docere quæ gesta sunt.* Ex his effici putat Baronius ab Epiphanio, non au-
D tem à Theophilo tunc legatum fuisse missum Constantinopolim; Theophilum autem quosdam è Monachis Nitriensibus alio ablegasse. Sane id ex Epistolæ verbis non cogitur: imo vero rogat Epiphanium Theophilus, ut aliquem mittat Constantinopolim, sicut à se Nitrienses monachi missi sunt: quo missi? nempe quo aliquem mitti vult ab Epiphanio, Constantinopolim: nam quid aliud verba sonant? Quod autem peregrina communione eos excepe-rit Chrysostomus, inde concludit Baronius Synodi Alexandrinæ literas illuc nondum fuisse perlatas; alioqui damnatos & proscriptos Monachos minime fuisse excepturum. Ut id detur, quod negari tamen potest, nam damnationis causam certum est licere inquiri, non inde sequitur Constantinopolitanum iter prius suscepisse Nitrienses Origenistas, quam legatos suos eodem Theophilus misisset. Probabile quippe est Theophili legatos provincias multas
E adiisse, disseminandarum Præsul is illius Synodicarum literarum gratia, proindeque serius Constantinopolim easdem importasse; cum interea discessione illorum audita, nullam interponentes moram, magnis itineribus illuc contendissent Origenistæ; & qui serius suscepe-rant iter, maturius illud confecissent.

IX. Constantinopolim delati Origenistæ supplices accidunt ad genua Johannis, postulantque ut opera ipsius & auctoritate Theophili adversum se iracundia sedetur, & Ægyptum redeundi sibi copia fiat; quod si reverentia aut metu Theophili, ab ipso quoque, quemadmodum & ab aliis Episcopis repellantur, Imperatoris opem se denique imploraturos. Compositus ad miserationem commovendam virorum habitus Chrysostomo lacrymas excussit. Benigne itaque ipsos alloquitur, jubet causam adventus sui fileant, de ipso-
F rum restitutione sese cum Theophilo per literas acturum, in Templo interim, cui nomen Anastasis, sedem ac mansionem figant. Paruerunt illi, & vitæ necessaria partim propriis ipsi manibus, ut mos erat Monachorum, partim religiosarum mulierum liberalitate comparunt, ac Olympiadis potissimum, quæ post obitum Nebridii conjugis creata Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconissa, peregrinos hospitio excipere, & facultatibus suis fovere solebat. Publicarum his precationum communionem concessit Chrysostomus, ad Sacramentorum usum non admisit, nondum cognita ipsorum causa; cum præsertim Clericos quosdam à Theophilo jam ante aliis de rebus Constantinopolim missos accersisset Johannes, iique super rebus Monachorum interrogati magnam illos injuriam sustinuisse quidem dixissent, sed ad communionem tamen neutiquam eos admitti postulassent, ne Theophilo res ea foret offensioni. Scribit ad Theophilum Chrysostomus, rogatque ut restituros Ori-

geniſtas in communionem admittat: ſin judicio contendere malit, neceſſarios mittat qui A
res ipſius procurent. Non reſcripſit ille, quosdam è ſuis illuc allegaſſe contentus, *libellos ut porrigerent admonens*, inquit Palladius, *quos more ſolito ipſis dictaverat, apertum quidem & expreſſum mendacium continentes, variis calumniis opertum & obumbratum: & cum non poſſet illorum vitæ derogare, facit ut intra Palatium quaſi Magi notarentur.* Subdit poſtmodum advertentes Origeniſtas nihil ſe profeciſſe, *plerosque in dignitatibus conſtitutos adduxiſſe ſecum, omnes anathematizaſſe hæreſin.* Tum deinde collectas adverſus Theophili tyrannidem accuſationes, & in libellum conjectas Johanni fruſtra illos ab incepto revocanti tradunt. Monet ille Theophilum conflatæ adverſum ſe accuſationis. Reſcribit Theophilus vetitum eſſe Nicænis Canonibus, ne quis Epiſcopus de re extra ditionem ſuam poſita judicet: ſe, ſi in jus vocandus ſit, ab Ægyptiis Epiſcopis eſſe judicandum. Ad hæc permovebatur falſis rumoribus; Sacra- B
mentorum communionem Origeniſtis conceſſiſſe Johannem, & animo eſſe ad ferendas ipſis ſuppetias parato. Quare ad Epiſcopos mittit literas quaquaverſus, Johannem dignitate & Epiſcopatu evertere, & Dioſcorum cum fratribus ac ſociis ulciſci omni modo ſatagens, conſilium tamen caute occultans, Origenis libros ſolummodo carpens.

Si quis Origeniſtas à Johanne exceptos fuiſſe miretur, magnam apud omnes Nitrienſium monachorum exiſtimationem fuiſſe meminerit; & Chryſoſtomo jam inde notas eſſe Theophili artes, cum Iſidorum in Conſtantinopolitanam ſedem intrudere, & quo minus ad eam exequeretur Johannes impedire conatus eſt. Præterea Origenianos errores publice deteſtati fuerant Nitrienſes: hinc valde ſuſpecta illi Theophili criminatio. At nec dum ſatis adverterat pius Antiſtes ſimulationes Origeniſtarum, quibus objectos errores juramen- C
to diluere proclive erat. Notanda hæc Hieronymi Epiſtol. 65. ad Pammach. & Ocean. cap. 1. *Faciam quod ſolum cavent, ut ſacra eorum atq; myſteria in publicum proferam, & omnis prudentia eorum, qua nos ſimplices ludunt, in propatulo ſit; & qui neganti voci non credunt, credant ſaltem arguenti ſtylo. Hoc enim vel maxime cavent, ne quando contra auctorem ſuum eorum ſcripta teneantur. Facile dicunt cum juramento, quod poſtea alio ſolvant perjurio. Ad ſubſcriptionem tergiverſantur, quæruntque ſuffugia. Alius, non poſſum, inquit, damnare quod nemo damnavit. Alius; Nihil ſuper hoc à Patribus ſtatutum eſt; ut dum totius orbis provocatur auctoritas, ſubſcribendi neceſſitas differatur. Quidam conſtantius, quomodo, inquit, damnabimus quos Synodus Nicæna non tetigit?* Atque id non de omnibus Origeniſtis, quotcunque ad Chryſoſtomum confugerant, intellectum velim, nam partim Orthodoxis, partim Heterodoxis hanc conſtitiſſe catervam D
puto; adeo ut illi ex animo, hi ore tenus errores Origenis damnaverint. Quæ cum Chryſoſtomo minime perſpecta eſſe poſſent, corda Deo ſcrutanda relinquens, verbis illos hæreſin ejuraſſe ſatis habuit. Acceſſit eodem fortaſſe aliqua Origeniani nominis reverentia, cujus ſcripta ſtudioſe lectitaſſe Johannem, multaque ex iis ad ſuos tranſtuliſſe uſus obſervaſſe mihi videor, & in ſequentibus Notis comprobaſſe.

Eudoxiæ quoque Auguſtæ humanitatem Origeniſtæ experti ſunt: proditum quippe eſt à Sozomeno & Nicephoro, ad eam, cum forte curru præteveheretur, acceſſiſſe Monachos, ſibique illatas à Theophilo injurias expoſuiſſe, hanc honore ipſis habito pollicitam, futurum ut brevi cogeretur Synodus, ad eamque Theophilus evocaretur.

X. Dum hæc agerentur, Epiphanius literis Theophili acceptis, quibus ad convocandam E
Synodum, & damnandos Origeniſtas incitatum fuiſſe ſupra diximus, cogit Epiſcoporum Cypriorum Concilium, librorum Origenis lectionem decreto prohibet, cujus decreti exemplar cum alia in loca, tum præcipue Conſtantinopolim mittit, Johannem ad idem faciendum adhortans. Collectam quoque à Theophilo poſtea Synodum Alexandriæ eadem de cauſſa fuiſſe ſcribunt Socrates, & Sozomenus; negat Baronius, & perperam ad id tempus relatam fuiſſe ab impuris Scriptoribus Synodum Alexandrinam aſſerit, utpote quæ jam ante fuerat celebrata. Ego vero quid ſtatuam, non habeo; nam non unum adverſus Origeniſtas conflatum fuiſſe Concilium narrat Poſthumianus apud Sulpitium Severum Dialog. 1.

XI. Miſſas ad ſe ab Epiphanio & Theophilo Epiſtolas, paratasque ſibi inſidias neglexit F
Chryſoſtomus, animumque in Eccleſiaſtica reſtituenda diſciplina habuit. Legati interim à Theophilo Conſtantinopolim Monachi Origeniſtas libellis proſcindebant: hi contra ſpe pacis præcluſa apud Arcadium Imperatorem & Eudoxiam, Theophili queſti ſunt injurias, libelloque oblato graves ipſi & acerbas criminationes impegerunt, poſtularuntque ut adduceretur vel invitus, & coram Johanne vadimonium ſiſteret; confecti vero adverſum ſe accuſationum libelli Præfectis urbis dijudicandi permitterentur. Adducendo Theophilo mittitur Alexandriam Elaphius; cauſſam libellorum & accuſationum Præfecti cognoſcunt. Deprehenſa Theophilenſium legatorum calumnia, crimen hi in Theophilum conferunt, ab eoque ſubornatos ſeſe fatentur. Flagellis graviter cæſi detruduntur in carcerem, quoad Theophilus cauſſam pro ſe dicturus adeſſet: quo ſerius adventante pars in

vincu-

A vinculis obiit, pars in insulam Proconnesum deportatur post adventum Theophili, judicum animis pecunia mollitis. Hæc ita à Palladio referuntur. Chrysostomus interim Origenistas consiliis & auctoritate sua juvasse creditus est. Quocirca sub Barnabæ nomine obscure ab Hieronymo perstringitur in Epist. 16. ad Principiam: *Refrigerata*, inquit, *charitate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem nostro lateri jungebantur, quorum publice petebatur caput, contra quos opes omnes parabantur; ita ut Barnabas quoque duceretur in illam simulationem, imo apertum parricidium, quod non viribus, sed voluntate commisit.*

XII. Jamque fama percrebuerat male in Johannem affectum esse Theophilum, & causas quærere, quibus eum sede dejiceret. Hoc intellecto Concilium Constantinopoli cogi volunt optimates, & Clerici complures, quorum inimicitias Chrysostomus severitate sua
B sibi pepererat. Futurum id pollicita jam ante Origenistis fuerat Eudoxia. Itaque Theophilus Ægyptios Episcopos eo confestim navigare jubet, Antistites Orientis ad Concilium invitat. Nec multo post Cypro solvens Epiphanius Constantinopolim appellit. Obviam progressus Johannes totius Cleri comitatu advenientem honestavit, nec eo perpulit tamen ut hospitio suo, vel domibus Ecclesiasticis, vel sua denique consuetudine uti vellet: adeo infensum Johanni animum propter susceptos Origenistas præse ferebat. Statim Epiphanius ad se convocat Episcopos qui tum forte Constantinopoli versabantur: Decreta Synodorum profert, quibus lectione Origenis omnibus interdicebatur; postulat ut ea ipsi quoque suffragiis suis confirment. Paruerunt nonnulli, plures detrectaverunt. In his Theotimus Tomitanus Episcopus, spectatæ vir sanctitatis, iniquum esse dixit, homini jam-
C pridem mortuo injuriam inferre, & majorum de eo decreta rescindere: quo dicto librum quendam Origenis profert, pellectisque versibus aliquot, quibus Ecclesiæ utiles sententiæ continebantur: Intelligant, inquit, qui libros Origenis repudiant, hæc quoque à se repudiari. Nihilo tamen secius roganti Chrysostomo, ut una secum domo, & una Ecclesia uteretur, renuntiavit Epiphanius in domus & precum communionem cum illo sese venturum, ita si libros Origenis damnare, & Origenistas Ægyptios à se rejicere vellet: quod cum ante disceptationem caussæ facere recusaret Johannes, persuasus est Epiphanius à quibusdam Johannis adversariis, ut in Templum Apostolorum, quo celebranda erat Synaxis, publice prodiret, damnaret libros Origenis ac Origenistas, & Chrysostomum ipsum incesseret. Et fecisset sane, nisi jam Templo propinquum adiisset Serapion Diaconus à Jo-
D hanne missus, monuissetque periculo ipsius futurum, si quod animo destinaverat, re ipsa præstaret; ad seditionem quippe rem spectare. Admonitione deterritus Epiphanius pedem retulit.

XIII. Circa idem tempus hunc inter & Eudoxiam simultas intervenit: caussam varie Scriptores narrant. Scribunt Leo Imperator, & Symeon Metaphrastes Eudoxiam Augustam, inimico ut erat in Chrysostomum animo, ipsum hæreseos apud Epiphanium accusasse; postulasse Epiphanium ut caussam dicturus Johannes accerseretur, se alioqui minime assensurum; ad hæc exclamasse Augustam, si Johannis exitium interpellet, sese Idolorum cultum restituturam; quo audito dolore perculsum Epiphanium fusis lacrymis Constantinopoli excessisse. At diversa habet Sozomenus; in morbum incidisse Imperatoris filiolum; hujus vitæ
E timentem Imperatricem rogasse Epiphanium, ut pro eo oraret; qui cum futurum recepisset, ut convalesceret filius, si ab Origenistarum partibus illa desciscceret, respondisse Augustam: In Dei potestate filius meus est; tu vero, Epiphani, si mortuos ad vitam revocare posses, neutiquam obiisset tuus Archidiaconus: missos eodem tempore ab Eudoxia Origenistas ad Epiphanium quæsivisse, num aliquando in libros suos vel Discipulos incidisset; negante illo percontatos unde se Hæreticos deprehendisset, qui sententiæ suæ nullum fecisset periculum; huic ex auditu se intellexisse respondenti, subjecisse illos: Nobis vero contrarium evenit, nam ex discipulis tuis & libris, ac Ancorato præcipue tua nobis perspecta sententia nonnullos sæpe refutavimus, qui hæreseos calumniam tibi impingebant; parem itaque nobis vicem retribuere debueras: his intellectis placatum Epiphanium viros dimisisse; & ipsum
F quoque paulo post navigasse in Cyprum, sive Constantinopoli pœnituisset eum itineris, sive Deus oraculo mortem instare monuisset. Ecquas discedendi caussas habuerit, incertum est. Certe antequam attigisset Cyprum, in ipsa navi decessit, cum jam esset magno natu. Fato quoque circiter hoc tempus extincti sunt Constantinopoli Isidorus, & Dioscorus, & paulo post Ammonius, magnam post obitum sanctitatis famam consecuti. Quo tempore annus agebatur 403.

XIV. Quid de hoc itinere, itinerisque caussa literis tradiderit Polybius Epiphanii discipulus ac socius, ac rerum omnium oculatus testis, operæ pretium est cognoscere. Scribit ille Theophilum Johanni Chrysostomo infensum ob communioni restitutos Longos fratres, cum Imperatricem mittere hunc in exilium velle accepisset, id ut perficeretur summopere laborasse; dedisse itaque literas ad Epiphanium, quibus Origenismi Johannem

accu-

accusabat; aliam autem ob caussam Constantinopolim navigaturum Epiphanium eo magis profectionem accelerasse, non Chrysostomo tamen nocendi studio: magnam tum fuisse in Urbe regia rerum perturbationem, propter Eudoxiæ ac Chrysostomi dissidia; ingressum monasterium quoddam Epiphanium necessitate fuisse coactum, ut quendam ordinaret; ægre id tulisse Chrysostomum; hinc dissensiones inter utrumque extitisse; Eudoxiam vero his compertis accersivisse Epiphanium, hæreseos accusasse Chrysostomum, & postulasse ut eo abrogato alium Constantinopoli Episcopum præficeret; respondisse Epiphanium, sacerdotio quidem indignum esse Johannem, si reipsa in hæresin incidisset; sin ipsa ad ulciscendas privatas injurias eum exauctorare vellet, neutiquam se obtemperaturum; excanduisse illam, & interminatam futurum ut Idolorum templa aperiret, si Johannis exilio intercedere vellet: perlatum fuisse ad Chrysostomum, in exilium suum Epiphanium consensisse; eique vaticinatum illum, fore ut in throno non amplius sederet, atque hunc vicissim prænuntiasse Johanni futurum ut ad exilii locum non perveniret; consensa demum navi Epiphanium, antequam Cyprum attingeret, obiisse. Baronius ad A. 402. cap. 7. falsum esse asserit ad Diaconatum quenquam fuisse promotum ab Epiphanio in Constantinopolitana Diœcesi, & unius Sozomeni silentium opinioni suæ prætendit; caussam vero cur id jactatum sit, hanc esse divinat, quod in Johannis Hierosolymitani Diœcesi jam ante Pauliniano Hieronymi fratri Presbyterii characterem imposuerat; facile itaque Johannem Hierosolymitanum cum Constantinopolitano Johanne Scriptores confudisse. Verum ut dicere prætermittam quam leve sit argumentum ex Sozomeni (cui & Cedrenum addere potuit) silentio petitum, contra Socratis, Leonis Imperatoris, Symeonis Metaphrastæ, & Nicephori auctoritatem, tollit omne dubium Polybius id ipsum asserens, qui rei gestæ interfuit.

XV. Hac tempestate Constantinopoli agebant Acacius Berœensis, Severianus Gabalitanus & Antiochus Ptolemaidis Episcopi, & Syrulus monachus Isaacus. Hi privatas inimicitias cum Chrysostomo gerentes, Theophilum sollicitant per nuntios ut secum operas ad expellendum Johannem consociaret. Morantem quoque urget Eudoxia Chrysostomo offensior, ideo quod sacris ipsius concionibus, quibus aulicarum mulierum mores sæpe carpebantur, vitiorum suorum sibi conscia notari se censebat. E contrario vero accersitum eum ad diluenda crimina (apud Imperatorem quippe fuerat seditionum & cædium accusatus) testatur ipse Chrysostomus in Epistola ad Innocentium Papam, quam exhibet Palladius. Leo autem Imperator, cognomento Sapiens, scribit in vita Chrysostomi, jussisse Arcadium vi adduci Theophilum, cum quæ adversus Johannem fuerat molitus comperisset; & ab Innocentio Pontifice Romano, & ab Honorio fratre postulasse, ut aliqui Roma mitterentur, qui de Theophili caussa cognoscerent: tergiversante vero Innocentio, Theophilum Origenismi dicam scripsisse Johanni, & Nitriensibus monachis, à quibus apud Imperatorem fuerat accusatus, suasque in partes Epiphanium illexisse. Narrant Leo & Palladius datos adversus Theophilum accusationis libellos, septuaginta capita habuisse. Maturat ergo iter Theophilus, & Chalcedonem pervenit. Eodem confluunt Episcopi, partim Theophili nuntiis, partim Imperatoris mandato excíti. Ex una omnes venisse Provincia scribit Palladius; alii ex Ægypto, aliisque profectos locis narrant, nec non ex Asia, quicunque sedibus suis depulsos se à Johanne ægre ferebant, vel aliis ipsi de caussis succensebant. Ægyptiis illi navibus transmisso Bosphoro Constantinopolim appellunt. At Theophilum cum plausu exceperunt Ægyptii nautæ; Clericorum obviam processit nullus, utpote infensum Chrysostomo animum præse ferenti. Ipse Ecclesiam prætergressus, in Imperatoriam quandam domum sibi paratam divertit. Mora illic trium hebdomadarum facta, pertentatis multorum animis, & ad accusandum Johannem, cujus congressum caute vitabat, instructis, in Quercum Chalcedonis suburbium una cum factionis suæ Præsulibus concessit, & Conciliabulum celebravit. Quadraginta quinque interfuisse Episcopos declarant Georgius Alexandrinus, Symeon Metaphrastes, & Acta Pseudosynodi illius, quæ repræsentat Photius Cod. 59. At Palladius triginta sex duntaxat agnoscit: sic enim Episcopos qui adsidebant Johanni, ad Conventiculum rescripsisse tradit: *Tua quidem Synodus triginta & sex habet Episcopos ex una Provincia: nos autem quadraginta sumus ex provinciis variis, in quibus & septem sunt Metropolitæ.* Duos & quadraginta Johanni affuisse auctor est Leo Imperator. Cum sit autem in adnotandis numeris proclivis lapsus, promptius est suspicari corruptum numerum apud Scriptores illos, quam apud Palladium qui pauciores quam quadraginta Theophilo adfuisse diserte asserit. Statim adesse jubetur Johannes, & ad accusationes respondere, unaq; cum eo Serapion, & Tigris Eunuchus Presbyteri, & Paulus Lector; simul universum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clerum Synodus accersit. Quamvis autem Johanni quadraginta adsisterent Episcopi, non idcirco tamen ad Quercum caussam dicturus adesse recusabat; si modo ex Antistitum numero quatuor eximerentur, merito sibi odii

& ini-

A & inimicitiarum suspecti; sin ulterius pertenderent, Synodum Oecumunicam appellare se obtestabatur. Quibus auditis, quater eo vocato, eademque exceptione uso, ad accusationes tandem expendendas animum Quercetanæ Synodi Præsules appulerunt.

XVI. Non res illic ex æquo expensas, sed per contumeliam & maledicta fuisse gestas Scriptores tradunt. Et tres quidem criminationum libellos ad Conciliabulum delatos commemorant Acta illius à Photio exhibita, & in Jure Græco-Romano relata, quod edidit Leunclavius. Priorem obtulit Johannes Chrysostomi Diaconus, viginti novem accusationum capitibus refertum; alterum Johannes Monachus, quo Heraclides Origenismi ac furti arcessebatur, Chrysostomo vero crimini dabatur, quod Heracliden, Hæreticum licet ac furem, Ephesinum Episcopum constituisset, multaque passus esset Origenistarum caussa;
B posteriorem dedit Isaacius Episcopus, capita octodecim criminationum complexum, cum prius Origenismi eundem Heracliden accusasset. Narrat Photius tredecim Actionibus Synodum illam, quæ à se lecta est, fuisse absolutam, quarum priores duodecim Chrysostomum petebant, postrema Heracliden; prioris libelli caput primum ac secundum examinasse Episcopos, inde in Heracliden & Palladium quæstionem habuisse, in nonum deinceps ac vicesimum septimum caput inquisivisse: postremi denique libelli excussum fuisse caput secundum, quod fuit hujusmodi: ὅτι ὁ μακάριος Ἐπιφάνιος διὰ τὰς ὠριγενιακὰς ἀμμωνίου, εὐθυμίου, καὶ ἡρακλείδου, καὶ παλλαδίου, καὶ εὐσέβιου κοινωνίαν. *Beatum Epiphanium propter Origenias tas Ammonium, Euthymium, Eusebium, & Heracliden, & Palladium, communionem cum eo* (Chrysostomo) *habere noluisse*: excussum insuper septimum caput, ac deinde tertium. Præter illud, duo admodum ad Origenis-
C mum pertinebant; primum, Johannem Monachum propter Origenistas cæsum Chrysostomi jussu, & porro vinctum fuisse; decimum sextum, eundem suscepisse Origenistas, in carcerem conjecisse Theophili legatos, & ne morientes quidem ad visendum adiisse. Nulla præterea in reliquis criminationibus Origenismi, Origenistarum ve mentio: in priore vero libello nulla penitus.

XVII. Actorum Photianorum Conventiculi ad Quercum fidem elevare conatur Baronius hoc argumento, quod pleraque ab aliis commemorata, in iis omissa sint. Verum non attendit illustrissimus Cardinalis eximia quædam tantummodo selegisse Photium, & in Myriobiblum retulisse; plurima vero consulto prætermisisse. Sua ergo Actis illis servetur auctoritas, quoad validiori ratione Baronii conjectura firmetur.

D XVIII. Cæterum de libris Origenis altum fuit in Conciliabulo silentium: de Origenistis vero præter perpauca illa, quæ disseruimus, hæc etiam referuntur; Scetinos leniter appellasse Theophilum, hortatum esse ad pœnitentiam, impunitatem esse pollicitum, simul eos ad implorandam veniam magnis vociferationibus impulisse qui aderant Theophili familiares; qua re permotos Monachos noxas sibi condonari postulasse; fœdus iniisse cum illis Theophilum, & in communionem recepisse, atque ita crimine absolutos esse Nitrienses, è quibus jam, ut diximus, interierant Dioscorus & Isidorus, Ammonius vero in Quercu sub ipsa Synodi initia decesserat. Fertur hujus audita morte illacrymasse Theophilus, palamque dixisse similem inter suos neminem habuisse Ammonium. Dioscorum quidem post Sy-
E nodum & Theophili fugam obiisse produnt Georgius Alexandrinus, & Socrates; sed in tempora Synodo priora mortem ipsius Sozomenus conjicit, cui præcipuam fidem tribuimus. Atque ita demum consopita est tristis illa & calamitosa de Origenis erroribus controversia: quamvis enim hinc ortæ sint tempestates & tumultus, quibus vexata deinde & turbata Ecclesia est, accedentibus tamen subinde novis querelarum & odii argumentis, dum præsto sunt recentiores offensæ, veteres exoleverunt. Paucis itaque & cursim quæ superfunt, attingamus.

XIX. Anno Christi 403, circa mensem Julium Conventiculi suffragiis exauctoratur Chrysostomus. Id unum caussabantur Episcopi, quod mandatis suis accitus audientem se
F non præbuisset. Per caussam vero rei gestæ ad Imperatorem referendæ, læsæ quoque majestatis Chrysostomum apud ipsum accusant, quippe sub Jezabelæ & Herodiadis nominibus publice apud populum perstrictam ab eo fuisse Eudoxiam. Verum Arcadio satis fuit Johannem Ecclesia depulisse, misso ad id Comite & militibus. Tumultuante deinde populo, & Chrysostomi restitutionem seditiose postulante, ingruente præterea sub ipsam noctem, quæ ipsius exitum proximæ consecuta est, terræ motu, ita perterrefacta est Eudoxia, ut eum ab exilio revocari continuo curaverit. At recrudescentibus sequente anno simultatibus & factionibus injuriæ concedit, & Nicææ aliquantisper moratus, Cucusum, quæ Armeniæ urbs est, vel ut testatur ipse Chrysostomus, Ciliciæ, in exilium mittitur: Cucuso Arabissum & Pityuntem migrat. Sufficitur ipsi Arsacius Presbyter Nectarii Constantinopolitani olim Præsulis frater, Arsacio Atticus. Pium interim exulem mitibus Epistolis solatur Innocentius Papa, (qui rerum gestarum per ipsius literas certior factus fuerat) & communione sua impertitur; improbato Theophili facto, quem & consentienti-

bus fere Europæ Episcopis à communione sua deinde segregavit ; ut patet ex Epistola A
quadam Innocentii ad Arcadium , quam exhibent Georgius Alexandrinus in vita Chry-
sostomi, cap. 68. & Anonymus vitæ ejusdem scriptor , cap. 130. quæque in Tomis Conci-
liorum extat : & stitisset certe vadimonium coram Universali Synodo , quam cogere medi-
tabatur Arcadius , nisi Innocentium Papam, conflandæ ejus Auctorem mors occupasset.
Tandem varie jactatus Johannes,& summa inhumanitate ab inimicis habitus Comanis obiit
anno 407.

XX. Nec ita tamen Theophili iræ conquierunt. Is post priorem Chrysostomi re-
stitutionem, in decima tertia Pseudosynodi actione Heraclidæ, quem Ephesinum Episco-
pum Johannes creaverat, dignitatem abrogare studuit: at repugnantibus multis, in apertam
seditionem contentio erupit. Jamque res armis agebatur; multis vulneratis, paucis ali- B
quot interfectis, qui unus omnium maxime petebatur Theophilus, fuga sibi consuluit;
quamvis literis quaquaversus missis, ad Synodum celebrandam, rogatu Chrysostomi, Epi-
scopos Arcadius acciviſſet. Post obitum autem Johannis, non operam solum Theophilus
dedit, ne in Diptycha nomen ipsius referretur ab Orientis Episcopis , sed ut infame etiam
vulgo haberetur, scripto ad id grandi volumine. Cujus libri fragmentum libro suo sexto
Facundus inseruit, eundemque ab Hieronymo Latine conversum fuisse testatus est. Hæ
Isidor. Pe- lus. 152. Isidoro Pelusiotæ causſæ fuerunt , cur Theophilum graviter coargueret , λιθομανῆ illum , &
χρυσολάτρην appellans, & adductum dicens ad infectandum Johannem ex Isidori illius supra
à nobis commemorati occasione : ἡ Θεοφιλῆ, inquit, καὶ θεόλογον κατεπολέμησεν ἂν ῥᾳθυμότερον, ἢ εἰ
ἐμοὶ ὁμώνυμος ἀπέχθειαν καὶ δυσμένειαν, ὁρμητήριον τῆς οἰκείας ἐυχρηστίας σκαιότητος. *Deo charum & rerum divina-* C
*rum consultum oppugnavit hominem, cum inimicitiam & odium adversus hominem mihi cognomi-
nem propriæ perversitatis occasionem reperisset.* Unde Sozomeni narratio, susceptas adversus Isi-
dorum inimicitias causſam Theophilo dedisse dicentis, cur tantas conciret turbas, adversus
Baron. A. 400. n. 58. Baronium confirmatur.

Synes. Ep. 66. XXI. Synesius quoque temporum illorum æqualis, licet sub Theophili ditione positus,
in Epistola tamen ad ipsum data, Johannis nihilominus memoriam laude prosequitur. Idem
cum ad Episcopatum Cyrenensem superiore anno invitus promoveretur, ad declinandum o-
nus, & populum absterrendum publice contestabatur, nec mundi occasum , nec resurrectio-
nem corporum, nec animas jam formatis inseri corporibus sibi posse persuaderi: quæ cum in-
signia sint capita Origenianæ doctrinæ, valde in his locis exosam tunc fuisse concludimus. At D
Hieronymus Chrysostomi expulsionem & exilium Theophilo per Epistolam gratulatus est:
Vnde & nos, inquit, *Iohannem qui dudum Constantinopolitanam rexit Ecclesiam, Deo placere semper
optavimus, & causſas perditionis ejus, in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere voluimus.
Sed ille, ut cætera flagitia ejus taceam, Origenistas in suam recipiens familiaritatem, & ex his plurimos
in sacerdotium provehens, atque ob hoc scelus beatæ memoriæ hominem Dei Epiphanium, qui inter E-
piscopos clarum in orbe sidus effulsit, non parvo mœrore contristans meruit audire: Cecidit, cecidit Ba-*
Baron. A. 404. n. 135. *bylon.* Minime itaque assentiendum Baronio , qui concitatas à Theophilo adversus Chrysо-
stomum turbas ægerrime tulisse Hieronymum conjectat.

XXII. Observatione vero dignum est quod narrant Socrates, Georgius Alexandrinus,
& Symeon Metaphrastes, in Theophilum vulgi odium crevisse, idcirco quod post damnatos E
tanto conatu Origenis libros, eorum etiam tum lectioni deditus esse deprehensus sit; cujus
rei causſam cum ab eo percontaretur quispiam, respondisse prato floribus consito similes esse
libros Origenis, decerpere se quæ pulchra sunt; quæ spinosa, præterire: atque id omnibus of-
fensioni fuisse. De ea re ita Rupertus Tuitiensis libr. 1. Comment. Deut. c. 9. *Iuxta literam ma-
nifesta est æquitas, juxta anagogen vero judicii Lectorum inhibetur mutabilitas, videl. quam in Theo-
philo Alexandrinæ civitatis Episcopo Ecclesiastica reprehendit relatio. Qui cum Iohannis Constanti-
nopolitani, qui Chrysostomus appellatur, esset inimicus, lectionem Origenis, cui libenter incumbebat,
zelo ejusdem Iohannis damnavit; tandemque damnato Iohanne, quia se à lectione Origenis non cohi-
buit, rursus ipse lectioni Origenis ejusdem incubuit.* Hinc existimari potest, quanta vafritie Theo-
philus, per speciem insectandi Origenismi privatas simultates ultus sit; facile præsertim rece- F
ptis paulo ante in gratiam Origenistis: sed ut in cœpta tamen simulatione perseveraret, sty-
lum hoc ipso, & sequente præterea anno summa asperitate & maledicentia exercuit adversus
Origenem in Epistolis Paschalibus, quas Latine exposuit Hieronymus, in abolendis Origeni-
starum erroribus Theophilo consentiens.

XXIII. Anno Christi 412. decessit Theophilus, relicto cum Epistolis Paschalibus
grandi volumine, in quibus suum adversus Origenem vel verum, vel simulatum odium in-
signibus monumentis expressit. De eo volumine sic Gennadius libr. De vir. illustr. *Scripsit
adversus Origenem unum & grande volumen, in quo omnia pæne ejus dicta & ipsum pariter damnat;
similiter docens non à se eum primum, sed ab antiquis Patribus, & maxime Heracla fuisse & à Pres-
hyterio ejectum, & de Ecclesia pulsum, & de civitate fugatum.* Refert ex Isidoro Diacono Jo-

han-

A hannes Damascenus, Theophilum morti proximum, cum propter admissum in Johannis caussa peccatum, exhalare spiritum non posset, oblata ipsi Chrysostomi imagine & adorata statim animam egisse. Nihilo secius tamen ejus famam lancinavit Cyrillus Theophili cognatus. At cum animum ipsius mitigare studenti Attico Constantinopolitano Episcopo perpetuas sese cum Chrysostomi nomine inimicitias gesturum Cyrillus renuntiasset, in aures Isidori Pelusiotæ objurgationes incurrit: & ad meliorem tandem revocatus mentem cum Johannis memoria rediit in gratiam, nomenque ipsius Diptychis inseruit. Anonymus Chrysostomi vitæ scriptor insomnis monitum à Johanne Cyrillum sententiam mutasse narrat, deque ejus pietate & integritate saniora sensisse. Relato ejus in Diptycha nomine, reliquis Præsulibus idem ut facerent, exemplo fuit. Adeo ut publice coli deinde cœptus sit Chry-
B sostomus, & magna demum pompa ac comitatu Constantinopolim reliquias ipsius Comanis devexerit Proclus antistes Constantinopolitanus. Hic porro frustra miratur Socrates, quid sit cur tot post obitum annis Origenem ab Ecclesiæ communione segregatum pronuntiaverit Theophilus, Johannem vero trigesimo quinto è morte anno in eandem Proclus receptum voluerit: nam licet Origenis potius doctrina, quam nomen fuerit à Theophilo damnandum, nihilominus tamen utpote nefariæ doctrinæ auctor Origenes censuram aliquam & reprehensionem commeruit; cum nullius è contrario erroris affinis Chrysostomus, per summum scelus ab Ecclesia proscriptus, jure in eam subinde receptus sit. Jam ante hæc tempora librum de resurrectione adversus Origenem scripserat Hammon Hadrianopolitanus,
C ut à Maximo traditum est in Scholiis ad Dionysium de cœlesti Hierarchia, cap. 7. de ejus ætate unum habeo quod dicam, vetustiorem fuisse ipsum Cyrillo, à quo in testimonium alicubi citatus est.

XXIV. Restituto in pristinam famam Chrysostomo, magna tamen ex his conflictationibus Origeniano nomini ignominia illata est, ut fere jam vulgo pro Hæretico haberetur. Quapropter Hieronymus Demetriadem virginem præceptis instituens anno 413. caute monet, ut sibi ab Origenistarum fermento caveat. Nam cum Origenismum ab Anastasio protritum dixisset, addit: *Et quia vereor, imo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere & pullulare venenata plantaria, illud te pio caritatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ, & supradicti viri successor & filius est, teneas fidem.* Postquam vero animarum προϋπαρξιν, & admissa ab iis ante vitam peccata, velut hæreseos illius characteristi-
D con notavit: *Hæc impia*, inquit, *& scelerata doctrina olim in Ægypto, & Orientis partibus versabatur, & nunc abscondite, quasi in foveis viperarum apud plerosque versatur, illarumque partium polluit puritatem, & quasi hæreditario malo serpit in paucis, ut per veniat ad plurimos.* Atque his & sequentibus non Origenismum duntaxat, sed & hujus traducem Pelagianismum notat: magna siquidem doctrinæ utriusque affinitas. Unde Johannes ille Hierosolymitanus sæpe jam vocatus in partes, postquam Origenianam diu propugnavit doctrinam, in Pelagianam demum prolapsus est; nec Pelagium fovit modo, sed Hieronymi etiam Pelagiomastigis ulciscendi studio, in discipularum ipsius Eustochii & Paulæ monasteria cædibus, incendiis ac
rapinis per submissos gregales suos grassatus est. At cum paulo post mors oppressit, anno nimirum post Christum natum 416. & quadriennio post, ipsum quoque Hieronymum, Leo
E Papa suppar huic ætati in Epist. II. ad Julianum Coënsem Origenianæ animarum προϋπάρξεως damnationem probat & prædicat. Leoni æqualis Vincentius Lirinensis, de quo in superiore sectione diximus, in libello adversus Hæres. cap. 23. maximis Origenem affecit laudibus, quo splendidior esset subjecta vituperatio. Auctor Catalogi Scriptorum Ecclesiasticorum ad Desiderium, Hieronymo perperam adscripti, Hæreticis alioqui non. valde iniquus, Origenem tamen temeritatis & erroris insimulat. Dioscorus Alexandrinus præsul apud Synodum Chalcedonensem Origenismi insimulatus est à Theodoro Alexandrinæ Ecclesiæ Diacono. Refert Cyrillus Monachus, in vita S. Euthymii, maximam Origenistarum multitudinem in Cæsareæ Palæstinæ vicinia habitasse; cumque ii ad sanctissi-
F mum Abbatem Euthymium frequenter ventitarent pietatis obtentu, vanitatem ipsorum & errorem virum harum rerum callentissimum coarguisse, & reluctantes argumentis oppressisse. Memorabile vero inprimis Concilii Romani, anno 496. sub Gelasio Papa habiti decretum, super Origene, ipsiusque lucubrationibus, quod est hujusmodi: *Origenis nonnulla Opuscula, quæ vir beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda.* Ad hæc vitio dat Eusebio, quod *in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripsit librum.* Deinde scriptum, quo agitur de pœnitentia Origenis, apocryphum esse jubet. Attamen supposititia hæc esse, totamque adeo Decreti hujus partem, quæ ab his verbis: *Item Decretales Epistolæ* ad finem usque pertinet, à Gratiano additam esse, nihilque hujusmodi in antiquis Codicibus reperiri affirmant nonnulli; velut Nicolaus de Cusa in libro de concordantia Catholica, cap. 3. Denique Stephanus Gobarus Tritheita reprehendendi Isidori Pelusiotæ ansam quærentem Severum, Origenis-

mum ipsi affinxisse scribit; idcirco nempe quod Chrysostomi causſam adversus Theophilum & Cyrillum defendisset: attamen veritate victum resipuisse, & temere jactatam calumniam prudenter revocasse. A

XXV. Nonnullos autem contrariis ductos studiis Origeniano nomini hoc tempore favisse comperio. Theodoretus Hæreseon seriem contexens, nullum in iis Origenismum, nullos Origenistas recensetimo vero Origenem cum laude & honore appellat. Certe totis quinquaginta annis Theodoreto vetustior Philastrius Brixiensis, qui Hæreticorum item Catalogum edidit, nullam penitus fecit Origenistarum mentionem; quod in eo tamen minus mirandum est, utpote qui Epiphanii, Hieronymi, Johannis Hierosolymitani, Theophili, Nitriensium, & Chrysostomi altercationes ætate præcesserit. Origenistas vero palam se produnt Socrates Scholasticus, & Hermias Sozomenus in Historiis suis; ita diligenter argumenta perquirunt omnia, quibus fulciri secta hæc & roborari potest. Fuit ex eodem grege Sidonius Apollinaris, fuit & Auctor Prædestinati æqualis temporum illorum, à Jacobo Sirmondo in lucem editus, studium suum adversus Origenem præ se ferens, & errores ipsius Operibus admistos, à falsariis, & librorum adulteratoribus Hæreticis intrusos & aspersos fuisse gnaviter contendens. Fertur etiam ex libris Origenis instructus ad impietatem & armatus Eutyches, impurus Hæreticus, unicam in Christo naturam posuisse. Adeo diversa homines de Origenis doctrina hac tempestate sentiebant. B

SECTIO TERTIA. C

I. Rursus è Palæstinæ monasteriis Origenismus emergit. II. Origenistas apud Iustinianum accusat Sabas, III. Origenismum pessim spargunt Nonnus & Leontius; IV. & aliquanto post Nonni discipuli Theodorus & Domitianus Origenismi causſa crudelia multa perpetrant. V. Sarabaitæ unde dicti. VI. Origenistarum gesta Imperatori renuntiaturus Gelasius Lauræ Præfectus, ab ejus aditu excludutur: huic in reditu defuncto succedit Georgius Origenista, Georgio Cassianus, Cassiano Conon, orthodoxus orthodoxo. Antiochena Synodus. VII. Epistolam ad Menam adversus Origenem scribit Iustinianus: VIII. cujus Epistolæ summa repræsentatur. IX. Theophanis somnium. Iohannes Philoponus origenizat. X. Trium Capitulorum causſa aliquanto post ventilari cœpta est. XI. Edictum adversus tria Capitula promulgat Imperator, unde Schismata multa oriuntur. XII. Reflorescit Origenismus in Palæstina. Synodus Quinta celebratur, XIII. & damnat tria Capitula. Hinc magnis motibus Ecclesia conturbatur. XIV. Verum in Quinta Synodo de Origene actum sit. XV. Quid in ea adversus Origenem constitutum sit, exponitur. XVI. Nova in Origenismum facta odij accessio, XVII. quæ prodeuntibus subinde annis paulatim obsolevit. Infensos sibi tamen nonnullos identidem Origenes nactus est, XVIII. Græculos præcipue: à Latinis vero benignius exceptus est. XIX. Oraculum divinitus editum S. Mechtildi de salute Origenis, Guidonis & Platinæ de Origene judicium. Hujus causſam tuentur Iohannes Picus, & Iohannes Nauclerus. Favet ipsi quoque Iohannes Trittemius, sed citra errorum ipsius defensionem. XX. Primus Origenis Opera prælo committit Iacobus Merlinus, & pro eo Apologiam scribit, unde Massæi & Bedæ conviciis appetitur. XXI. Defendunt Origenem Erasmus, Ferrarius, Sixtus Senensis, Genebrardus, & Halloxius: eundem impugnant Baronius, & Bellarminus, Lutherus, & Beza: incerta Sculteti ratio: æquiores in eum se gerunt Espencæus, Possevinus, Gretserus, & Binetus. D E F

I. SUPERIORES turbas, velut de compacto, multorum annorum inducia consecutæ sunt, Origenismo faventibus quidem multis, pluribus etiam adversantibus, sed utrisque vel prementibus sententiam, vel citra discordiam aperientibus: quoad è Palæstinæ monasteriis nova rursum dissensionis flamma erumpens, maximum in Ecclesia peperit incendium. Nam cum ex erectis à S. Saba asceteriis per nefas exiissent monachi quidam perduelles, & ad torrentem Thecoum im Palæstina novam Lauram exstruxissent circiter annum Christi 517. reconciliatus cum illis Sabas, decoratæ à se & amplificatæ ipsorum Lauræ Johannem quendam præfecit. Scribit Cyrillus monachus, testis locuples, ut qui his locis & temporibus vixerit, morti proximum Johannem hujusmodi vaticinium edidisse. *Ecce veniunt dies, in quibus qui præsentem locum habitant, desciscent à recta fide, & extollentur*

Cyrill. in vit. S. Sabæ c. 49. 50.

A *lentur quidem in seipsis, ut cum divino David dicam, qui exacerbant: in audacia vero sua destruentur, & altitudo eorum repente decidet.* Dictum res comprobavit: suffectus enim Sabæ nutu in Johannis locum Paulus, vir simplex, in Monahorum cœtum quatuor homines Origeniana lue laborantes non satis perspecta eorum doctrina admisit: quos inter primas obtinebant Nonnus quidam Palæstinus, non Origenistarum duntaxat, sed Gentilium etiam & Manichæorum erroribus implicatus, & Leontius Byzantius, vel, ut aliis placet, Byzacenus. Hi sub Agapeto, quem Novæ Lauræ præesse jusserat Sabas, postquam Paulus solitudinis amans in Arabiam secessit, insaniam suam prodiderunt. Quo comperto Eliæ Hierosolymorum Episcopi, & Sabæ consilio usus Agapetus, ne latius serperet labes, Origenistas Laura confestim exturbavit. Nec impetrare potuerunt illi ab Hierosolymitano Præsule, qui Eliæ successit, ut in integrum restituerentur; quoad eos Mæmas, post Agapeti obitum, Novæ
B Lauræ rector suscepit, Origenismum quidem in sinu gestantes, sed Sabæ metu animum dissimulantes.

II. Grassantes interea per Palæstinam Samaritani maximis calamitatibus rem Christianam afflixerunt. Nihilo secius Justinianum, ejusque conjugem Theodoram, recens Imperium adeptos confictis calumniis circumvenit vir dignitate illustris, nomine Arsenius, arte veterator ac sycophanta, & Samaritanorum seditionis caussam in Christianos refudit. Quibus acceptis Sabam refutandæ calumniæ ad Imperatorem allegat Hierosolymit. Antistes A. Chri-
C sti 530. Liberaliter eum excipit Justinianus, prolixeque omnia defert. Tum vero præ cæteris unum id enixe postulavit Sabas, ut Arii, Nestorii, & Origenis dogmata, quibus Ecclesiæ conturbabatur tranquillitas, de medio tollerentur. Annuit Imperator, & Antonio Ascalonitano, & Zachariæ Pellæ Episcopis per literas dedit negotium, ut has profligarent Hæreses, & anathemati subjicerent.

III. Sub finem sequentis anni humanis exemto Saba, magnum in Palæstina incrementum Origenismus accepit: hujusmodi enim castigatore expeditus Nonnus, administro usus Leontio, non Novam solum Lauram, sed alia etiam hujus Eremi monasteria hac peste afflavit. Frustra tamen in corrumpendo Sucæensi ascæterio conatus suos consumsit, artes illius exsufflante Cyriaco, admirandæ virtutis sene. Igitur ut ad monasterii hujus regimen allegaretur Petrus Alexandrinus, Origenisticæ vir addictus sectæ, perfecit Nonnus: verum ut
D is doctrinam suam explicare cœpit, magno statim omnium consensu dejectus est. Petrum alium Græcia oriundum, prioris Petri consimilem & partiarium, eique à Nonni assæclis suffectum, Catholici itidem abdicarunt dignitate, & Cassianum tandem Scythopolitanum, fidei ac morum integritate florentem, monasterii Sucæensis Archimandritam constituunt. Cyrillum quoque monachum, qui Sabæ vitam literis mandavit, ad eundem Cyriacum literas ferre jussit Johannes Silentiarius, Episcopus, in Sabæ Laura tunc temporis delitescens, Origenistis infensus, quibus enixe ab eo postulabat, ut Nonni ac Leontii, aliorumque Origenistarum, qui novam Lauram insidebant, confutationem & exilium à Deo impetraret. Re-
E spondit Cyriacus prope esse, cum miserrime Nonnus & Leontius essent interituri, reliqui vero ipsorum assæclæ è Nova Laura expellerentur. Tum sermones hunc inter & Cyrillum de rebus Origenistarum ultro citroque habitos fuisse narrat Symeon Metaphrastes, à quo Cyriaci vita conscripta est. Circa hoc ipsum tempus aliqua Origenis opuscula Bellator Pres-
F byter in Latinam linguam refundebat.

IV. Res aliquantisper tranquillatæ videbantur, cum Nonni discipuli Domitianus, & Theodoretus, cognomento Ascidas, Ancyranus ille, hic Cæsareæ Cappadociæ creatus Antistes, ad promovendum Origenismum recens adepta potestate abusi sunt. Eorum quippe præsidio confisi Origenistæ non jam per cuniculos, non subdolis ratiocinationibus incautas mentes expugnare tentarunt, sed aperta vi grassantes, armis instructi, quorum animos labefactare non poterant, eorum monasteria funditus diruebant. Et in maximam quoque Sabæ Lauram ea strages incubuisset, nisi via aberrantes in aspera incidissent loca, unde infecta re pedem domum retulerunt. Magnos etiam ex eo sumserunt spiritus, quod Petrum Hierosolymitanum Episcopum compositis dolis eo perpulerunt, ut in communionem reciperet Petrum Alexandrinum, quem Sucæensis monasterii Præfectura depulsum diximus, & Johannem cognomento Strongylum. Quo facto tantum Origenistis accessit fiduciæ, ut jam quaquaversus doctrinam suam, sic tanquam legem, promulgarent; si quos obvios haberent Hierosolymæ monachos orthodoxos, male mulctantes turpiter ejicerent; multos etiam gravissimis supplitiis excruciarent. Quibus ad eos perlatis, qui circa Jordanem sedes posuerant, ad opem sociis ferendam coëunt, & in Sabæ Lauram, velut in propugnaculum confugiunt. At illuc quoque manu facta advolant Origenistæ, & foribus effractis, Laura potiti, ex orthodoxis complures vulneribus concidunt.

V. Hæc in vita Sabæ narrans Cyrillus, & Origenistarum illorum petulantiam describens: *Quin etiam*, inquit, *si aliquem ex orthodoxis monachis deprehendissent in sancta civitate, im-*

pia manu ferientes, & Sabaiten vocantes, illinc eum turpiter expellebant: Sabaiten, intellige, Sabæ A sectatorem, & discipulum; nisi forte malis legere, *Sarabaiten*. Triplex erat apud Ægyptios monachorum genus, Cœnobitarum, Anachoretarum, & Sarabaitarum: Sarabaitæ proprio arbitrio vivebant extra cœnobia, homines avari, hypocritæ, scortatores, guloſi. Dicti videntur à סרב, *rebellis, refractarius, contumax*. Meminere illorum Cassianus, Benedictus, Humbertus, Ivo, & alii. Eosdem *Remoboth* appellatos scribit Hieronymus Epist. 22. ad Eustoch. cap. 15. Quidam legunt *Remboth*, quam vocem à Græco ῥέμβω detortam aliquis forsitan existimaverit. ῥέμβω hominem vagum atque erronem sonat. Tales autem Sarabaitæ. Cassianus Collat. 18. *Sarabaitas* asserit *non contentos Abbatis cura atque imperio gubernari, hoc præcipue procurare, ut absoluti à Seniorum jugo, exercendi voluntates suas, & procedendi, vel quo placuerit evagandi, agendique quod libitum fuerit, habeant libertatem.* Quid si pro Remoboth B legamus *Rehoboth*, à רהב, seu והבה, Arabica voce, quæ Monachum sonat. At Isidorus libr. 2. de Offic. Eccles. cap. 15. *Sextum genus est*, inquit, *Monachorum & ipsum teterrimum, atque neglectum, quod per Ananiam & Sapphiram in exordio Ecclesiæ pullulavit, & Apostoli Petri severitate excisum est; quique ab eo quod semetipsos à cœnobiali disciplina sequestrant, suasque appetunt liberi voluntates, Ægyptiorum lingua Sarabaitæ, sive Renuitæ nuncupantur.* סרב enim idem sonat ac *Renuit*. Sed tamen non absurde quis conjecerit hoc loco legendum *Rehivitæ* quod idem est ac *Rehoboth*, à רהב, adeo ut duas monachorum illorum Ægyptiacas appellationes, *Sarabaitas*, & *Rehoboth*, sive *Rehivitas* expresserit; ait enim: *Ægyptiorum lingua Sarabaitæ, sive Rehivitæ nuncupantur*. Quæ vox posterior facile recusa est in *Renuitæ*: unde Odo Cluniacensis Collat. 3. *Nos miseri non sumus monachi, ut falso nominamur, sed Sarabaitæ, id est, Renuitæ, qui* C *jugum regularis disciplinæ renuimus*. Cæterum vocabulum רהיב, seu והבה quo notatur Monachus oritur ex רהב, *conturbavit, perterruit*: hinc quis fortasse Sarabaitas dictos putet, monachos inquietos, contumaces, & turbulentos; nam eos inter se altercari & contendere solitos tradit Hieronymus. Nominatos quidam suspicantur ἀπὸ τῦ σαράβε, τετέςι τῦ γυναικείε αἰδοίε, sic enim vocem hanc interpretantur Hesychius & Suidas. Promti autem erant in venerem Sarabaitæ: quapropter ait Humbertus Cardinalis: *Unde & fornicantes Sarabaitas venerantur*; sed verisimilius est, quod attulimus priore loco nominis hujus veriloquium. Ut ut est non præter rationem credi possit, ejusmodi convitio pios & orthodoxos monachos ab impiis Origenistis fuisse traductos: sed nihil tamen mutamus: nec asserimus quicquam, sed tantum proponimus. Atque hæc obiter. D

VI. Expugnata Sabæ Laura ad Imperatorem Patrum consilio proficiscitur Gelasius Monasterio præfectus, rerum gestarum summam ad eum perlaturus: verum Theodori Cæsarensis Episcopi artibus effectum est, ut omnis ad Imperatorem, & ad Constantinopolitanum Episcopum aditus ei præcluderetur, & re tandem infecta discederet. Revertentem Amorii, quæ Phrygiæ urbs est, mors oppressit. Quibus intellectis, Sabæ Lauram Georgio cuidam consecraneo suo regendam committunt Theodorus & Domitianus. Orthodoxos ille confestim Laura exigit. At ipse quoque non multo post libidinosæ cujusdam impuritatis convictus monasterio abigitur, cum paulo ante turpissimo exitu Nonnus vitam clausisset. Georgium excepit Cassianus vir sanctis & legitimis disciplinis in Sabæ umbraculis institutus; Cassianum post decem menses defunctum Conon doctrinæ integritate & virtute nulli se- E cundus, à quo frequentibus dissidiis afflicta, & prope jam deserta Laura revocatis Patribus orthodoxis in pristinum splendorem restituta est: cum præsertim profligando Origenismo operam suam navaret iisdem temporibus Theodosius apud Palæstinos Cœnobiarcha, qui inter regionum illarum Monachos insigni morum sanctitate magnam fuerat auctoritatem consecutus. Qua circiter tempestate harum regionum Origenistas collecta ab Ephræmio Antiocheno Præsule Synodus anathemate damnavit; ut narrat Auctor Synodici, quod nuper in Bibliotheca Juris Canonici recudi curavit eruditissimus & humanissimus Henricus Justellus, Christophoro patre dignissimus filius. Fractis autem Origenistæ viribus destiterunt ab Orthodoxorum insectatione; multas vero inter se turbas & prælia conciverunt. F

VII. Pelagio S. R. E. Diacono Constantinopolim è Palæstina redeunti comites se adjunxerunt monachi aliquot Palæstini. Causla hæc proficiscendi fuit. Præcipua quædam ex Origenis libris hæreseon capita excerpserant. Ea Justiniano offerre, & ut una cum Origene damnarentur, impetrare volebant. Florebat tunc temporis Imperatoris gratia Theodorus ille quem dixi, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, acerrimus Origenianæ caussæ propugnator: cui cum male idcirco vellet Pelagius, Palæstinos monachos Constantinopolim perduxit, & adstipulatorem habens Menam Constantinopolitanum Patriarcham, à Justiniano flagitavit, ut eorum postulatis annueret. Rerum Ecclesiasticarum arbitrium ad se deferri gaudens Imperator voti eos compotes fecit, & nomine suo Epistolam ad Menam conscribi jussit, qua Origenis, & Origenianorum dogmatum damnatio continetur. Ope-

ræ pre-

Arræ pretium est ipsa Liberati Carthaginensis Archidiaconi verba recitare: *Iubente eo dicta ta est in Origenem, & in illa Capitula anathematis damnatio, quam subscribentes una cum Mena Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Ephræmio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano, quibus eam accipientibus, & subscribentibus Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.* Ita Adamantii damnationem nobilissimi Ecclesiæ Antistites calculo suo comprobaverunt. Hæc circa annum 538. facta deprehendimus. Liberat. Diac. Brev. c. 23.

VIII. Minime vero Origenistas, sed Origenem ipsum hac Epistola petit Justinianus., enumeratisque ipsius erroribus inter Hæreticos recensendum sancit, εἰ τόινυν, inquit, ἅπαντες αἱρετικοὶ ὄντι ἐνὸς τυχὸν, ἢ δευτέρου δόγματος παραπεσόντες ἐκβέβληνται τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας B ὑποβληθέντες ἀναθέματι μᾶλλον τῶν ἰδίων δογμάτων, τίς ὅλως χριστιανῶν ἀνέξεται ὠφεληθῆναι τε καὶ τῶν πονηρῶν αὐτὲ συγγραμμάτων ἀντιποιεῖσθαι, τοσαύτας μὲν εἰρηκόσι βλασφημίας, πᾶσι δὲ κέδρον αἱρετικοῖς τοσαύτην ὕλην ἀπωλείας καὶ βλασφημίας παραχορηγοῦντα, καὶ διὰ τοῦτο, καὶ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐκπαλαι ὑπὸ ἀνάθεμα γεγονότα μᾶλλον τῶν μυσαρῶν αὐτὲ δογμάτων; *Stigitur omnes Hæretici, ob unius fortasse vel alterius dogmatis perversitatem ejecti sunt è sanctissima Ecclesia, quis prorsus Christianorum sustinebit Origenem, vel nefarias ejus lucubrationes defendere, à quo tot impietates prolata sunt, & tanta exitii & impietatis materia universis propemodum Hæreticis subministrata est, ideoque à sanctis Patribus jam olim anathemati cum pernicios is suis dogmatibus subjectus est?* Ad hæc prompta est & parata exceptio: si error hæreticum facit, fateor hæreticum esse Origenem; sin pertinacia, quis erroribus pertinaciter adhæsisse Origenem dicere audeat? Ostendit deinceps C Imperator Paganis & Manichæis Adamantium consensisse, ex ejusque decretis Arianam hæresin coaluisse: tum animarum προϋπαρξιν tanta contentione oppugnat, ut facile appareat inter Origenianas sententias hanc potissimum hujus ævi Origenistis arrisisse, quod & ex Euthymii, & Cyriaci vitis à Cyrillo lucubratis intelligitur. Notandum porrò Chrysostomi patrocinium libenter ascisceret Justinianum, ut hoc quoque subsidium Origenistis eripiat. Jocularis vero est, & ut verius loquar puerilis Justiniani hallucinatio, cum adversus Origenis sententiam, quæ astra ratione prædita esse fingit; disputans, hunc affert Basilii locum ex Homil. 3. in Hexaëm. ἡμῖν ὁ καὶ πρὸς τὰς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἔξω τινὶς λόγος ἔφθη διῳκειωθέντων, &c. dum deinde subnectit: δεῖ δὲ προσέχειν τοῖς ἀκροατὰς, ὅτι τῷ εἰπεῖν τὸ πατέρα πρὸς τοῦ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἔξω τινὶς ἡμῖν λόγος, φθὰς ὠφεληκὼς διαλέγεται τὸ τῆ θεῦ χάριτος, καὶ τὸ ἁγίας τῆ θεῦ ἐκκλησίας ἀπολαβόντος, καὶ τῷ ὁμοφρόνων ἐκείνῳ· ὃ γὰρ εἶπε πρὸς τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἀπὸ τὸ ἐκκλη- D σίας ἡμῖν ὄντι τινὶς λόγος. καὶ διὰ τῆ εἰπεῖν, τοὺς τὸ ἐκκλησίας ἐδήλωσε. διὰ δὲ τῆ εἰπεῖν, τοὺς ἀπὸ τὸ ἐκκλησίας, τοὺς ταύτης ἀποπεσόντας ἐσήμανεν· *Advertere porro debent auditores, Patrem* (Basilium) *cum dicit; Sermo nobis est ad eos qui sunt* ἀπὸ τὸ ἐκκλησίας, *de Origene, qui à gratia Dei & à sancta Dei Ecclesia depulsus est, deque ejus assectis loqui, & dicendo quidem,* ἡμῖν, *eos qui in Ecclesia censentur significasse, dicendo vero,* τοὺς ἀπὸ τὸ ἐκκλησίας, *eos notasse qui ea exturbati sunt.* Nempe ignorabat bonus ille Imperator, sive qui ipsius nomine Epistolam hanc concinnarunt, particulam, ἀπὸ, non disjunctionem semper & divisionem, sed conjunctionem etiam, & sectam ac vitæ institutum notare: οἱ ἀπὸ τῆ αἱρέσεων, *Hæretici*; οἱ ἀπὸ τῆς στόας, *Stoici*; οἱ ἀπὸ τῆ πυθαγόρου, *Pythagorici*. Igitur, οἱ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, hoc est, *Christiani, Ecclesiastici*; ad eos enim quatenus Paganis opponuntur, sermonem suum Basilius convertit. Post errores E Origenis prolixe confutatos petit demum à Mena Justinianus, ut Episcoporum & Cœnobiarcharum, qui tunc Constantinopoli agebant, conventum habeat, ab iisque Origenem, & Origenis dogmata respui & anathematis conteri procuret; & rerum à se in hac caussa gestarum exemplaria ad Præsules & Abbates quaquaversus transmittat, ut ipsi quoque anathemata Origenis propria subscriptione confirment. Vetat præterea Episcopum vel Archimandritam constitui quemquam, nisi prius Origenem una cum aliis Hæreticis, qui de more in editis libellis anathematis confodiuntur, toto animo detestari se & damnare fuerit professus. Significat postmodum literas à se eodem hoc exemplo missas ad Vigilium Papam, & ad Patriarcham Alexandrinum, Hierosolymitanum, & Theopolitanum, hoc est Antiochenum. Antiochiam quippe post terræ motum auspicato nomi- F ne Theopolim Justinianus appellavit. Ad hæc ex uno περὶ ἀρχῶν Opere, qui maxime capitales visi sunt, errores colligit, & ob Lectorum oculos ponit. Denique verba ipsa præscribit, in quæ anathematismos adversus Origenis dogmata concipi velit, quorum postremus Origenem ipsum damnatorum dogmatum auctorem percellit.

IX. Conferendum huc videtur Theophanis Nestoriani monachi visum, quod à Mosscho Evirato in Prato Spirituali cap. 28. narratur. Adierat Cyrillum Theophanes ille aliis ipsum de rebus percontaturus, quem cum in Nestorii luto hærere perspexisset Cyrillus, orare jussit, ut ecquæ verior esset doctrina, sibi patefieret. Oranti adstitit quidam, aspectu terribilis, assumtumque deduxit in tenebrosum locum, & fœtidis ignibus horridum: tum ei mediis in flammis Nestorium, Eutychetem, Apollinarem, Dioscorum, Severum, Origenem,

genem, & alios aspicienti, destinatum hunc esse locum dixit Hæreticorum suppliciis; in A
eoque futurum ut pœnas ipse det aliquando, nisi à præceptis animo opinionibus discesserit. Visum Cyriaco narravit Theophanes, & Catholicæ Ecclesiæ nomen dedit. Laudatur istud Moschi opus in Septima Synodo, indeque multum ipsi auctoritatis accessisse credentes plerique, id Theophanis somnium pro edito divinitus oraculo habent. Quo equidem parum permoveor, nam ejusmodi somniationum ferax est Græculorum, ac præsertim Monachorum natio; & quæcunque per otium imaginum artifex mentis facultas fingit, sic tanquam Dei effata sibi aliisque proponere promta & facilis. Minime autem ex laudata in Septima Synodo scriptionis illius Moschi particula totum opus existimandum censeo: multis alioquin damnosis lucubrationibus plena usquequaque adjungenda esset fides, quorum selectum aliquem, si forte, locum Synodus aliqua usurpaverit. Vigebat ea tempestate Johannes Grammaticus, B
cognomento Philoponus, Alexandrinus, literis exquisitis apprime eruditus: sed propter Catholicæ fidei contraria dogmata inter Hæreticos relatus, nam Tritheitarum parens fuit, & juxta Origenem corporum resurrectionem infitiatus est, scripto in id argumentum Opere quo Patrum auctoritatem ludibrio habuit; sed à Theodosio monacho, Conone, Eugenio, & Themistio luculenter.

X. At Theodorus Ascidas Origenistarum, & Acephalorum, sive Monophysitarum columen, cum Origenem ab Episcopis Justiniani opera reprobatum ægre ferret, Theodorum Mopsuestiæ Episcopum, Origeniano nomini, dum viveret, infensum, & multis adversus eum editis Opusculis celebrem oppugnandum sibi, & anathematis subjiciendum proposuit, ob id maxime, quod à Chalcedonensi Synodo fuerat laudatus. Imperatori C
itaque Concilii hujus auctoritatem adversus Acephalos scriptis defendenti, favore Theodoræ Augustæ suggerit, frustra scribendi laborem ab eo suscipi, qui posset Acephalos ad suam communionem compendio revocare, si Theodorus Mopsuestenus, & Ibæ Edesseni ad Marin Persam Epistola, utpote Nestorii lue contaminata, & Theodoreti Castigationes adversis duodecim Cyrilli Capitula sive Anathematismos totidem Nestorii Anathematismis oppositos damnarentur; his quippe Acephalorum cum Catholicis concordiam maxime retardari.

XI. Assensit credulus Imperator, & pacis in Ecclesia conciliandæ cupidus Edictum à Theodoro Ascida confictum suo nomine promulgari passus est, Romam recens profecto Pelagio Diacono, postquam apud Justinianum Apocrisiarii munere functus est. Hoc Edi- D
cto anathema is esse jubetur, qui Theodorum Mopsuestenum, qui Epistolam ad Marin Persam Hæreticum, quam Ibas conscripsisse fertur, quique scripta Theodoreti adversus Cyrillum & duodecim ejus Capitula, defenderit. Verum perparum id valere intelligens Imperator, nisi Episcoporum subscriptione vim ac robur adipisceretur, multos ad assensum pertraxit; multi, quod salva Synodi Chalcedonensis auctoritate Capitula hæc labefactari non posse, & in Ecclesiasticis rebus insuper habendam esse Imperatoris auctoritatem crederent, consentire renuerunt. Vigilium ipsum Romanum Pontificem, ea tuentem Capitula, Constantinopolim accersit Justinianus; sententiam rogat super tribus Capitulis: tergiversatur Pontifex; Episcopos XXX. qui aderant, in Synodum colligit; & quid quisque sentiret, scripto edere jubet; demumque in Justiniani sententiam concedit; & an- E
no 548. Decretum edit, quod *Iudicatum* appellatur, eoque tria se damnare Capitula declarat, salva Synodi Chalcedonensis auctoritate. Hinc tamen Schismata multa conflata sunt, cum Synodi hujus reverentiam & majestatem à Romano Pontifice violatam Episcopi præcipue Occidentis existimarent; quamvis urgenti Justiniano, ut absque ulla Synodi hujus mentione in trium Capitulorum damnationem consentiret, constanter restiterit. Sed tandem ad saniorem mentem reversis Mena Constantinopolitano, & Theodoro Cæsariensi, quos à sua communione removerat Vigilius, & abrogatis item Edictis, quæ de Tribus Capitulis publicaverat Justinianus, placuit legitimæ Synodo quæstionum illarum disceptationem & arbitrium permitti.

XII. Origenistarum interim secta in Palæstina rursum ac vicinis regionibus nova F
incrementa capiebat. Scribit Leontius Neapoleos Cypri antistes, qui Heraclio Imperatori coævus fuit, quæsiviisse aliquando inter se duos Asceterii cujusdam, quod erat Emesæ proximum, monachos, cur Origenes hæreticus (sic enim appellatur) tantis à DEO dotibus ornatus fide excidisset. Cumque alter non Dei, sed naturæ donum, eam qua pollebat scientiam esse pugnaret; alter contra neminem ex naturæ dono ejusmodi excudere opera posse pertenderet, qualia ab eo conscripta sunt; visum utrique est rem ad Palæstinæ monachos, quorum tum magna pererebuerat fama, dijudicandam deferre. Pergunt illi ad monasteria Mari mortuo contermina, & Johannem Abbatem ac Symeonem rogant, ecquid de re inter se quæsita sentiant: illi vero Symeonem alium, cognomen Salum (quod est, ut conjicio, שוּלָי, mutato ל finali in ס, quemadmodum in ἀννίβας, pro, Annibal) id est, insa-

A insanum & fatuum, Emesæ habitantem consuli jubent. Vir ille fastus ac inanis gloriæ proculcandæ caussa modestiam suam delirationis simulatione tegebat, vulgoque pro morione habebatur. Is lupinorum, quos tum forte comedebat, symbolo usus, adeuntibus monachis significavit, Origenem ingenio suo confisum, cum altiora sectaretur, in mare lapsum periisse. Hoc ipso anno Origenismi suspectum Macarium Hierosolymitanum Patriarcham, priusquam electionem ipsius suffragio suo Imperator roborasset, sedè sua deturbatum fuisse narrat Evagrius: at in eandem aliquanto post restitutum, cum Origenem, Evagrium, & Didymum damnasset, ab eodem proditum est. Quamvis autem publice & privatim Origenes infamaretur, nihilo magis Origenistarum Palæstinorum animi consederunt; cumque in Nova præcipue Laura secta ipsorum invalesceret, ab Eustochio Hierosolymorum Episcopo inde
B extrusi sunt. In varias illi partes disseminati, multos dogmatis suis inescatos ad opem sibi ferendam pellexerunt. Impense favebat illis Theodorus ille quem dixi Ascidas, Justiniani consiliorum particeps, magnaque ipsi familiaritate conjunctus. Factum ille Eustochii vituperabat palam, & in ipsum aulam commovebat. Atque hanc cogendæ Quintæ Synodi caussam fuisse scribunt Evagrius & Nicephorus.

XIII. Coacta Constantinopoli Synodo anno 553. multis in ea de tribus Capitulis actum est, quæ singula huc referre quoniam non est nostri instituti; dixisse hoc unum sufficiat, renitente Vigilio, qui Synodi celebrationi pro viribus intercesserat, & tria Capitula denuo defendenda sumserat, damnata illa nihilominus fuisse; & Vigilium Theodori, Ibæ, & Theodoreti partes tuentem per libellum à se compositum, & Justiniano missum,
C quem *Constitutum* appellavit, & Concilio subscribere recusantem, in custodiam fuisse actum; *modicum ei panis & aquæ* fuisse suppeditatum, ut habet Anastasius in ipsius vita, multosque Episcopos ex Illyricis præcipue & Afris, eandem ob caussam sedibus fuisse dejectos, exilio mulctatos, & modis omnibus male habitos; alios ditatos muneribus assensum præbuisse: sed Romanam demum Ecclesiam inter Oecumenicas, & legitimas Synodos Quintam, vel Vigilii ipsius, vel Pelagii, aliorumque Pontificum nutu admisisse; & ab exilio, rogatu Narsetis, revocatum cum aliis Vigilium, dum Romam repeteret, in Sicilia obiisse. Manifestum itaque est ex Origenistarum altercationibus, & Pelagii ac Theodori Cæsariensis simultatibus & odiis hos motus & turbas in Ecclesia extitisse. *Illud liquere omnibus credo*, inquit Liberatus, *per Pelagium Diaconum, & Theodorum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum hoc scanda-*
D *lum in Ecclesiam fuisse ingressum. Quod etiam publice ipse Theodorus clamitavit; se & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc scandalum introivit in mundum.* Domitianus ipse Ancyranus Origenicæ doctrinæ assertor, in Epistola quadam ad Vigilium Papam, Origenistarum opera factum agnoscit, ut tria Capitula à Justiniano damnarentur: testis Facundus Hermianensis Episcopus libr. 1. ad Justin. c. 2. *Invenit*, inquit, *desideratam occasionem* (Hæreticorum spiritus) *ex furore quorundam, qui sub nomine Christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantur. Et quia per instantiam tuæ religionis ejusdem profani dogmatis iterata damnatio est; hinc ejus sectatores exarserunt adversus Ecclesiam, quærentes eam quacunque possent in missione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit: præsertim cum & Domitianus quidem Ancyrensis civitatis Epi-*
E *scopus Provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum quem ad beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est, quod ejus complices Origeniani, cum viderent non se posse proprium dogma defendere, neque sibi quicquam spei de conflictu restare, ad ultionem eorum quæ contra Origenem gesta sunt, hæc Ecclesiæ scandala commoverunt.* Quod & clarius repetit libr. 4. c. 4. Liber. Breviar. c. 24.

XIV. Utrum porro de Origene ac Origenistis in Quinta Synodo actum sit, investigandum est: nam de iis penitus siluisse ipsam nulla usus circuitione Halloxius asseruit; & quæ ante, vel post Concilium adversus Origenem gesta sunt, ea multos vel odio Origenis, vel Imperatori adulantes, vel humanitus lapsos, in Concilio ipso gesta scripsisse. Equidem sic olim existimasse me fateor, quod jactari vulgo & credi solet, hujus auctoritate Concilii damnatum fuisse Origenem, Origenisque doctrinam, id Græcorum fraude fuis-
F se confictum, & in Evagrii historiam fortasse insertum. Ad id credendum his potissimum rationibus promovebar: nullam in Actis Concilii Origenis extare damnationem, nullam apud Victorem Tununensem, vel Facundum, horum temporum æquales, & rerum gestarum testes. Verum re accuratius pensitata, actam in Synodo Origenis, Origenistarumque caussam, ipsumque cum asseclis, & dogmatis damnatum, & anathematis confossum fuisse non persuasus sum modo, sed quicunque etiam aliter senserit, vel parum attentum, vel non satis pudentem esse oportere. Caussas cur id crediderim has habui. Primum totius rei summam, & verba ipsa Anathematis ab Evagrio relata esse video, quem totum Græcorum agmen sequitur, Auctor Chronici Alexandrini, Georgius Syncellus, Theophanes, Photius in libello de Synodis, Nilus Rhodius, & Anonymi duo qui de Synodis quoque scripserunt, quosque in Canonici Juris antiqui Bibliotheca contulit Henricus Justellus

vir clarissimus; Zonaras, Glycas, maxime vero Cedrenus, qui & Justiniani Epistolam ad A
Synodum repræsentat, in qua flagitat à Patribus, ut Origenem, Origenisque gregales damnent; & Nicephorus, qui Anathematismos in Origenem à Synodo vibratos ἀποκλείει recitat. Cyrillus præterea monachus sæpe jam à nobis citatus, qui Justiniani ævo floruit, & res in Synodo gestas ignorare non potuit, Origenem in ea damnatum fuisse diserte docet in vita Euthymii, c. 105. *Cum præcedente autem tempore*, inquit, *postea congregata fuisset Constantinopoli Quinta sancta Synodus, & Origenis ac Nestorii dogmata fuissent ab ea percussa anathemate, & qui Novam Lauram tenuerant Origenistæ illinc essent expulsi; & fideles & Orthodoxi Patres rursus in eam migrassent, permittente mihi admirabili Iohanne Silentiario, eo, inquam, qui erat Episcopus, discedo à Cœnobio, & ipse quoque versor in hac Laura.* Et iterum in vita Sabæ, cap. ult. *Post hæc cum sancta & œcumenica Quinta Synodus congregata fuisset Byzantii, Theodorus Mopsuestiæ, & Origenes, & una cum his impia de præexistentia & resurrectione dogmata generali fuerunt subjecta anathemati, & sic Hæreticis deinceps omni ablata libertate loquendi, divini Sabæ Lauræ, & universa fere cum eis Palæstina, vicesimo tertio anno post illius mortem à gravibus hæresibus, & temporis acerbitate & iniquitate respiraruntt.* Id fragmentum è vita Sabæ in Septima Synodo Act. 1. adducitur. Post annos vero octoginta quam Synodus illa Quinta celebrata est, ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham scribens Sophronius Hierosolymitanus Antistes de ea sic disserit: ἀνεῖρεν ὃ καὶ ἐκεκίνει πρὸς ὄλεθρον πρωτοτύπως μὲν ὠριγένην τὸν ἄφρονα, καὶ πάντα αὐτοῦ τὰ ὀνειρώδη κομψεύματα. καὶ πολυειδῆς ἀσεβείας πλήρη συγγράμματα, ἐναγρίως ὃ σὺν αὐτῷ καὶ διεδύσατο τὰ δόγματα, καὶ πάντα αὖ τὰ ἑλληνικὰ καὶ τερατώδη, ἃ μὴν ἀλλὰ καὶ μυθώδη ληρήματα. *Confodit autem & in interitum projecit præcipue quidem insanum Origenem, & omnia ejus deliria scitamenta, & multiformis impietatis* C *plenas lucubrationes; Evagrii item cum eo & Didymi dogmata, omnesque eorum Græcanicas & monstrosas, nec non & fabulosas ineptias.* Testatur idem Synodus Sexta Actor. 17. & 18. Testatur & Constantinus Imperator in Edicto ad populum Occiduas partes incolentem: & Leo 2. Romanus Pontifex in Epistola ad Constantinum: quæ scriptiones duæ inter Acta Concilii ejusdem Sexti habentur. Testatur & Pseudosynodus Quinisexta Can. 1. & Synodicæ literæ Theodori Hierosolymitani quæ recitatæ sunt Actione 3. Synodi Septimæ; & Epistola Tarasii Episcopi Constantinopolitani, totiusque adeo Synodi Septimæ ad Constantinum & Irenen, quæ extat in Actione 7. Concilii ejusdem: & Anastasius Bibliothecarius ad annum Justiniani vigesimum sextum. Hæc ita manifesta sunt, ut nemo contra vel excipere, vel præscribere possit. D

Quod ad Facundum autem & Victorem pertinet; parum certe valere debet negativi, ut vocant, argumenti auctoritas, cum καταφατικὸν argumentum in contrariam partem affertur. Acta vero Concilii cur de Origene sileant, mihi veri videtur persimilis à Baronio allata ratio, mutilata ea & truncata fuisse. Facti auctores suspicatur ille Origenistas, qui Synodo præfuerunt, Eutychium Constantinopolitanum Patriarcham, qui cum carnis resurrectionem tunc non admitteret, (quem tamen errorem postea Gregorii Papæ, hoc tempore S. R. E. Diaconi & Apocrisiarii suasu ejuravit) merito in Origenismi suspicionem venit: Theodorum quoque Cæsariensem totius concertationis artificem. Quod ut de illo opinari promtum est propter spectatam hominis vafritiem, ita de Eutychio sanctissimo & candidissimo homine suspicari vix equidem possum. Concilii profecto hujus cum Græ- E ca, tum Latina exemplaria Macarii, Antiocheni & Stephani studio fuisse vitiata declaravit Sexta Synodus Action. 14. & eorundem quoque adulterationem prædicavit Action. 19. sub finem. At Acta tamen Concilii etiamsi integra supereſſe demus, fatendum certe erit in Undecimo ex Anathematismis, qui in Collatione 8. extant, Origenem inter alios Hæreticos anathema esse sanciri. Et in Collatione itidem quinta hæc leguntur verba: *Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos: nec non etiam Origenem, & si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superius aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatum. Quod etiam nunc in ipso fecit & vestra sanctitas, & Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romæ.* Asserit tamen satis fidenter Halloxius nomen Origenis in allata è Collatione 8. verba fuisse intrusum, & aliorum Hæreticorum nominibus subjectum, cum priore F loco fuisset ponendum. Quæsi non etiam Theodoro Mopsuesteno Origenis nomen Cyrillus in loco mox è vita Sabæ depromto subjunxerit, ut plura exempla referre supersedeam, in quibus nullo discrimine, nulla temporis habita ratione nomina recensentur. Alterum itidem locum Collationis 5. fuisse confictum, ut alias quasdam collationis ejusdem partes, arbitratur Halloxius, his impulsus argumentis; quod in prioribus Collationibus ne verbum quidem de Origene factum sit; & in Constituto probaverit Vigilius neminem esse post mortem damnandum. Ad prius argumentum respondebit Baronius multas ab Origenistis Synodi hujus particulas fuisse suppressas: alterum vero hac exceptione retundetur docuisse quidem in Constituto Vigilium debere neminem post obitum damnari; at contrarium in Judicato eundem statuisse.

XV. Nunc

A XV. Nunc quoniam de Origene in Quinta Synodo actum fuisse constat, rei gestæ seriem exequamur. Scribit Evagrius expulsis è Nova Laura Origenistis, cum id apud Imperatorem factum vituperaret Theodorus Ascidas, Constantinopolim missos fuisse Rufum, & Cononem Archimandritas, aliosque Palæstinæ Monachos virtute nobiles; eosque simul atque illuc delati sunt, ad ventilandam Origenis, Evagrii, & Didymi causam accessisse: Ascida contra, ut de Theodoro Mopsuesteno, Iba, & Theodoreto ageretur laborante: ante omnia quæsitum esse, utrum homines vita functi anathematis subjici possint; Eutychium, qui Amaseno Episcopo tunc erat à responsis, quæstionem solvisse exemplo Josiæ Regis, à quo non Dæmonum solum Sacerdotes in vivis agentes, interfecti, sed mortuorum etiam loculi refossi sunt: hoc dictum tanto omnium, sed Justiniani præsertim applausu fu-
B isse exceptum, ut eum deinde ad Constantinopolitanam Sedem Imperator extulerit: de Theodoro deinceps Mopsuesteno, deque scriptis Theodoreti, contra duodecim Capitula Cyrilli, & de Ibæ Epistola ad Marin Persam fuisse disputatum; quibus damnatis cum adversus Origenis dogmata, ipsiusque sequaces, obtulissent libellos Eulogius, Conon, Cyriacus, & Pancratius Monachi, sententiam Synodi rogasse Justinianum, prolatis quoque in medium lucubratis à Vigilio de iis rebus libellis, in quibus Origenem laborasse ostendebat, ut Apostolicæ doctrinæ sinceritatem Græcorum & Manichæorum deliriis aspergeret; quod in eo etiam jam ante culpaverat Justinianus in Epistola ad Menam, operam eum dedisse dicens, ἵνα τῶν ἑλλήνων μυθολογίας, τὴν δὲ μανιχαϊκὴν αὖτε πλάνην εἰσαγάγῃ· *Ut fabulas Græcorum, & Manichaicum suum errorem introduceret:* & in Epistola ad Synodum de Origenistis lo-
C quens: ἵνα μὴ τέλεον, inquit, ὑφ' ἧς ἑλληνικῆς, καὶ μανιχαϊκῆς ἀπάτης ἅπαντες πολλοὺς ἀπολέσωσι· *Ut non penitus per Græcanicam & Manichaicam suam fraudem multos perdant:* unde Origenem cum Manichæo conjungit Facundus libr. 12. cap. 1. *Ad hanc*, inquit, *obstinationem pertinere dicimus, imo principatum in ea tenere firmamus illas etiam doctrinas, quas quidam non quasi minus intelligendo Scripturas divinas, sed eis aperte resistendo, sola præsumptione spiritus condiderunt, sicut Manichæus atq; Origenes.* Addit Evagrius post damnatum Synodi vociferationibus Origenem, ipsiusque partiarios, placuisse ut de eo ad Justinianum referretur: tum verba ipsa repræsentat, in quibus Origenes tanquam fur anathematum laqueis constrictus, & extra sacra mœnia dejectus esse dicitur; atque his adjecta esse ait damnata Origenistarum capitula, unde facile innotescat in quibus illi simul vel consentiant vel dissentiant;
D quintum ex iis capitulis continere dogma à Monachis quibusdam Novæ Lauræ, & Theodoro Ascida assertum, quod Christo æquales futuros in restitutione Apostolos, & Martyres ex miraculis ab ipsis editis concludit; nefariasque Didymi, Evagrii, & Theodori sententias reliquas diligenter fuisse collectas. Habet hæc eadem Nicephorus, sed nonnulla præterea de suo adnectit, velut, agitata hæc secunda sessione fuisse; adnectit & ipsos Synodianathematismos, quos ad verbum describere se affirmat, quique ii ipsi sunt, quos Epistolæ suæ ad Menam jam ante Justinianus subtexuerat. Horum fides sit penes Nicephorum, levissimum, ut jam ante monuimus & futilem Græculum. Cedrenus autem literas exhibet quæ à Justiniano ad Synodum contra Origenem missæ sunt: quarum sententia hæc
E est; compertum habere se Monachos esse Hierosolymis, qui Pythagoræ, Platonis, & Origenis errores tueantur, qua de re quærendum decrevisse. Tum dogmata ipsorum aliquot recenset; illud potissimum quod istis maxime temporibus ventilatum adnotavimus de animarum προϋπάρξει, inter quas anima sola Christi suum ordinem immota tenuerit; quod ex Pythagoræ, & Plotini, ac præcipue Platonis somniationibus ab Origene translatum demonstrat: quamobrem Patres hortatur, ut deliria ejusmodi, una cum Origene, ejusque sequacibus, anathemate obterant. Quibus acceptis literis, Patres unanimi consensu paruisse subjicit demum Cedrenus.

F XVI. Ita profligatis Origenistarum rebus, quicunque factionis hujus affines erant è Sabæ Lauris sunt ejecti, in easque rursum orthodoxi Patres migrarunt. Tum vero ab hæresibus & temporum difficultate Palæstina respiravit, cum adversus Oecumenici Concilii auctoritatem deinceps mutire vix auderet quisquam. Unde in tantam venit totius Orientis invidiam Origenis nomen ac doctrina, ut hodieque Ecclesiasticis legibus apud Græcos vetitum esse ferant, ne quis opera ipsius describat; qui secus faxit, hunc extra Ecclesiæ communionem esse juberi. Magnum tunc erat in Ecclesia Cassiodori nomen, cujus de Origene sententiam, post latos à Constantinopolitana Synodo in eum anathematismos, scisciatari operæ pretium est. In libro itaque de institutione divinarum Scripturarum talia de eo scribit; multorum ipsum Patrum sententia Hæreticum declarari, & à Vigilio Papa denuo esse damnatum; nempe per Constitutum, ut suspicari licet, in eam rem speciatim publicatum; Theophilum triginta quinque ipsius errores redarguisse; magno in eum dolore Epiphanium succensuisse; maxime in eo legendo probandam regulam, quæ ab Hieronymo in Epistola ad Tranquillinum proposita est. Florebant circa hanc tempestatem

Anastasius Sinaita, & Johannes Scholasticus, cui ex titulo libri, Scala Paradisi, inscripti, Climaci cognomentum fecerunt: horum uterque erga Origenem, Origenisque assecias male affectus fuit. Fuit illud etiam ad Origenistarum minuendam existimationem perappositum, quod in novam hæresin lapso Justiniano assensi sunt: Hæreseos autem illius capitale hoc erat dogma; corpus Christi dum agitaret vitam, nullis affectibus, nulli obnoxium corruptioni fuisse: quod cum calculo suo probarent Origenistæ, nulli non manifestum fuit, quam promtum iis esset à probata Ecclesiæ doctrina recedere. Post aliquot annos Pontifex Romanus creatur Pelagius secundus, cujus de Origene, Origenisque secta opinionem patefacit nomine ipsius scripta à Gregorio Romano adhuc Diacono, postmodum vero Pontifice Epistola. Sic ille ergo Eliam Aquilejensem Episcopum, aliosque Schismaticos Istriæ Episcopos, & tria propugnantes Capitula alloquitur: *Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid in Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrum nescit in libris suis quantis Origenem Eusebius præconiis attollat? Sed quia sancta Ecclesia suorum fidelium corda benignius, quam verba districtius pensat, & plus in Hæreticis sensum proprium, quam testatio Eusebii absolvere potuit; nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnavit. Annon & Gregorius Nyssæ urbis Episcopus, cum Canticum Canticorum exponit, magnis Origenem laudibus præferi? Annon & Hieronymus nostræ Ecclesiæ Presbyter, & singularis Ebræi sermonis interpres tanto erga Origenem favore intenditur, ut pæne discipulus ejus esse videatur? Sed quia plus causa quam verba pensanda sunt, nec istis sua benignitas nocuit, nec illum à reatu proprio favor alienæ attestationis excusavit.* Certe hic ipse Gregorius, cum antea Apocrisiarii munere Constantinopoli fungeretur, adversum sanctissimum Præsulem Eutychium, Origenis doctrinam de resurrectione tuentem fuerat velitatus: docuerat enim bonus ille vir, corpus nostrum in resurrectione manibus tangi non posse, ventisque & aëre esse subtilius. Renascentem errorem, sed vix ulli tamen his in oris probatum Gregorius coërcuit, eumque moriens Eutychius revocavit, cum librum ipsius Tiberius Imperator flammis dignum judicasset. Hac quoque circiter tempestate Leontius Byzantinus, à Leontio altero Byzantino, sive, juxta alios, Byzaceno monacho supra commemorato diversus, Origenem scriptis aculeatis laceravit.

XVII. Ex eo Origenismi invidia paulum obsolevit, nec multos sequens ætas ipsi infensos tulit. Anno, postquam Synodus Quinta celebrata est, octogesimo, Sophronius Hierosolymitanus Præsul ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham Synodicam scribens Epistolam, quæ est veluti Professio fidei, inter alios Hæreticorum errores præcipua enumerat Origenis dogmata Fidei Christianæ contraria, & gravissimis verbis confutat, eundemque in Concilio Quinto damnatum fuisse asseverat; tum ipsum deinde cum perditissimis Hæreticis collocat. Relata est hæc Epistola inter Acta Synodi Sextæ Actione. 11. Deinde Actione 17. & 18. iteratur Concilii definitio, in qua probantur & confirmantur Decreta Quintæ Synodi, quæ Synodus illic dicitur adversus Theodorum Mopsuestenum, Origenem, Didymum, & Evagrium fuisse congregata. In eadem Actione 18. habetur Edictum Constantini Imperatoris, in qua suscipere se denuntiat, quæ Quinta Synodus sanxit *contra Dei impugnatores Origenem, Didymum & Evagrium*. Denique Leonis 2. Papæ Epistolam ad Constantinum exhibet, in qua rata esse jubens quæ Oecumenicæ Synodi sex statuerant, inter alios Hæreticos, quos ea Concilia Anathematis contuderant, Origenem Adamantium, Didymum, & Evagrium ponit. Nec melius habitus est Origenes ab Isidoro Hispalensi, qui Origin. libr. 8. c. 5. Hæreseon inter Christianos exortarum seriem pertexens, Origenianos commemorat, ipsorumque reprobatas opiniones exponit. Refert ex eo Epigramma istud Guido Carmelita, in quo loquens inducitur Origenes:

* l. f. *Ille ego sum Origenes doctor.*
* f. l. *dogmata.*

* *Ille Origenes ego Doctor verissimus olim*
Qui primum fidei * *grammata clara dedi:*
Celsus eram meritis, & clarus munere fundi;
Præreptus subito voce nocente rui.
Condere, si credis, studui tot millia libros,
Quot legio missos ducit in arma viros.
Nulla meos unquam tetigit blasphemia sensus;
Sed vigil, & prudens tutus ab hoste fui.
Sola mihi casum καὶ ἀρχῶν *dicta dederunt,*
His me collectis aspera tela premunt.

Anno 649. primam Synodum Lateranensem coëgit Martinus Pontifex ad Constantini Imperatoris explodendum Typum, & novis ac repetitis anathematis proterendos Sergium, Pyrrhum, ac Paulum Monothelitas. Origenes in ea cum suis sequacibus Didymo, & Evagrio ab Ecclesia proscribitur. Favisse è contrario videtur Origeni Stephanus Gobarus Tritheita, ut ex Photii Codice 232. conjicere promptum est; pleraque siquidem ipsius dogma-

A dogmata maxime reprobata in utramque disputavit partem, sententiam ipse suam fortasse hac arte occultans; præcipuosque Origenis laudatores commemoravit. Vixit circa annum 720. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui præter alia opuscula ἀντιρρητικὸν, sive ἀνόδευτον scripsit. Libri hujus summa fastigia legens Photius Cod 233. in eo præcipue hoc agi refert, ut Gregorii Nysseni scripta ab illo Origenis errore immunia esse probentur, quo Dæmones, ac homines infernis ignibus damnatos liberatum aliquando iri affirmatur; ab Origenistis ergo Gregorii libros partim spuriis additamentis, partim etiam male interpretatis verbis fuisse vitiatos Germanum pertendisse; eoque opere insignem de Origenistis aperte convictis triumphum egisse. Coævus propemodum fuit Germano huic Johannes Damascenus, qui suum adversus Origenistas odium clarissimis testimoniis de-
B claravit; in libro præsertim De Hæresibus, in quo teterrimis Hæreticis Origenianos accenset, eosque Augustinum & Epiphanium assectatus duplices fuisse ait. Idem in Eclogis, quæ manu scriptæ extant in Bibliotheca Claromontana Societatis Jesu, fragmenta quædam affert Antipatri Bostrorum Episcopi, ἐκ τῆς κατὰ τῶν βλασφημιῶν τοῦ δυσωνύμου Ὠριγένους πραγματείας. Qui quomodo fuerit in Origenem animatus ex hoc titulo intelligitur. De hujus Antipatri ætate diu ac multum mihi quæsita, id solum hactenus potui deprehendere, Eusebio quem suggillat, recentiorem fuisse, Johanne Damasceno à quo laudatur, vetustiorem. Incomperta quoque mihi ætas Johannis Mabropodæ Metropolitani Ecclesiæ Euchaitarum, qui scripsit Solutionem in Explicationem Origenis in Psalterium. Recensetur ille liber in Ca-
C talogo Bibliothecæ Constantinopolitanæ Illustrissimi Principis Marmoretæ, qui subnexus est Supplemento Bibliothecæ Gesnerianæ Antonii Verderii. Anonymum quoque Origenis Scholiasten commemorat Antonius Possevinus in Apparatu sacro, ætatis peræque ignotæ. Nihilo magis conjicere possum quo tempore lucubrata fuerit ὠφελιμιστῶν ἐρώτησις πρὸς πιστὸν, quæ ponitur in Allatiano Vaticanæ Bibliothecæ censu. Par Damasceni Venerabilis Beda æquum Origeni se præbuit; nam & præclaras ejus dotes extulit præconiis, nec vitia tamen dissimulavit. Iniquior Anastasius Bibliothecarius suppressis Adamantii laudibus ejus tantum errores amare ultus est, Eusebiumque ipsum nimii erga Origenem amoris acriter coarguit. Sæculo sequente, quod à Christi ortu nonum numeratur, floruit Haymo Al-
D berstatensis. Apertis ille verbis Origenem crimine conatus est absolvere, errores vel ipsi ab Hæreticis affictos, vel ab ipso non ex sententia, sed ex opinione propositos asseverans. Contra vero Photius Constantinopolitanus Patriarcha ipsius æqualis Adamantium sævissime proscidit.

Beda in Collectaneis & Florib. cap. de lumin. Eccles. Anastas. in Histor. ad A. Chr. 185 & 244.

XVIII. Longum esset singulorum explorare & referre sententiam, qui obiter ac aliud agentes de Origene Origenisque doctrina quid sibi videretur strictim ediderunt. Quid enim Georgium Syncellum, & Theophanem; quid Georgium Cedrenum, quid Theophylactum, quid Johannem Zonaram, quid Michaëlem Glycam, quid Nicephorum Callisti commemorem, à quibus, ut à tota fere Græculorum natione pessime exceptus est? Quid Nilum Thessalonicensem, qui nihil ait Origeni, Christianorum licet sapientissimo, & Scri-
E pturæ peritissimo, profuisse sapientiam, quo minus à fidei integritate descisceret. Suidas Lexicographus pro more suo aliorum dicta compilans duplici Origenem donavit elogio, quo rum prius ex Eusebio fere decerptum, sed confuso & perturbato ordine, partim etiam ex Græca interpretatione Elogii quo ipsum donavit Hieronymus, mirifice ipsum extollit; alterum vero depromtum αὐτολεξεὶ ex Cedreno Hæreseos ipsum crimine compellat. Animadversionem vero nostram postulat, quod pro Origene Nicetas scripsit elogium: *Hoc autem*, inquit, *in summa dicendum est, Origenem in physicis theorematis, eorumque allegoriis, nec non in tota morali disciplina doctorum omnibus acceptissimum, accommodatissimumque fuisse, atque adeo eum, qui virtutum actionibus se maxime omnium exerceret. Hujus enim exercitii studio vitam usque adeo excolebat, ut pectus ejus, quemadmodum ajunt, præ nimia rei cujuscunque animatæ contimentia & abstinentia exciderit. At in vera fide, iisque disciplinis, quæ majorem contemplationem, atque inprimis theologicam requirunt, omnium quotquot illum præcesserunt, & secuti sunt,*
F *absurdissimum se præstiterit*: quæ ex Epiphanio fere decerpta sunt. Rursum vero quid Sidonium Apollinarem, quid Bedam, quid Freculphum Lexoviensem, quid Reginonem, quid Hermannum Contractum, quid Marianum Scotum, quid Honorium Augustodunensem, quid Gulielmum Parisiensem appellem, qui in eum sese æquiores præbuerunt? quid Martinum Polonum qui magnis eum extulit laudibus? quid Anastasium Bibliothecarium qui in contraria fuit sententia, & asperrimis ipsum conviciis perfricuit? quid Bernardum, qui in Sermone de verbis Origenis, hunc circumspecte legendum esse monet, quod multa illum contra fidem scripsisse sanctorum Patrum tradat auctoritas? quid Thomam Aquinatem, ipsum haud secus ac parentem Arianorum incessentem? quid Robertum Cursonum Anglum, quem scripsisse librum *De salvatione Origenis* refert Balæus Centur. 3. Scriptor. Britanniæ? quid Vincentium Bellovacensem, qui Speculi Doctrinalis libr. 18. cap. 43. summa æqui-

Nil. de pri. Papæ à Sal. mas. editus p. 63. in lib. de script. Eccl.

Epiph. Hær. 64. cap. 5.

tate de Origene pronuntiat: quid Wernerum Westphalum, qui postquam laudes in Origenem congessit, conciliare se non posse dicit repugnantes & oppositas de meritis ac virtutibus Origenis sententias? Quid varios præterea inferioris illius ævi Hæreticos recenseam, qui pleraque ipsius placita renovarunt: velut ii quibus nomen fuit de Barulo, quos Historici narrant animarum προϋπαρξιν defendisse, & beatam Virginem pro Angelo habuisse: velut Valdenses, qui Sacerdotes quamdiu criminibus & noxis impliciti hærent, ordinis sui potestate uti non posse, & pios omnes Sacerdotes esse asserebant? Unum illud monitos lectores velim, asperius fere à Græcis Origenem quam à Latinis adhiberi: cujus rei caussam ad Synodum Quintam referimus, quæ cum Origenem una cum tribus Capitulis damnasset, tria vero Capitula complures Occidentis Episcopi adversus Synodi auctoritatem tueri instituissent, hinc tuendi quoque Origenis profecta apud ipsos videtur esse consuetudo.

XIX. Piam fœminam Mechtildem decimumquartum sæculum tulit. Hujus ante annos aliquot in lucem emissa vita est, in qua editum ipsi divinitus oraculum quoddam nostra observatione dignum refertur. Cœlitus quippe Deum ipsi nuntiasse narrat vitæ hujus Scriptor, quidquid Samsoni, Salomoni, & Origeni condonatum à se, & indultum est, consulto homines celasse, ut rei hujus ignoratione perterrefacti doctissimi, prudentissimi, & fortissimi quique, perparum de se, omnia vero de Deo sperare discant. Celebrabatur hoc ipso tempore Bernardus Guido, à quo recensentur Origeniani errores, & in Synodo Quinta una cum Auctore damnati esse memorantur. Posterior illo Bartholomæus Platina præclare egit cum Origene, & magnis eum laudibus exornavit. Maxima vero fuit sequenti ætate Johannis Pici, Mirandulani Comitis, in re literaria laus & celebritas, ut neque nobiliorem, neque doctiorem patronum sibi Origenes optare potuerit. Inter nongentas ergo Conclusiones, quas universo orbi disputandas proposuit, insignis hæc erat: *Rationabilius est credere Origenem esse salvum, quam credere ipsum esse damnatum.* Exingenti illa Positionum strue tredecim asteriscis signatas, quasi fidei Christianæ contrarias, Pici æmuli damnaverunt, in quibus ea erat quæ ad salutem Origenis pertinet. Apologiam pro se suaque doctrina scripsit clarissimus Princeps, & tutando Adamantio peculiare caput dicavit. Septem illud constat articulis, quos referre utile est: *In primo videtur, an Origenes unquam hæreticam de rebus fidei opinionem scripserit & crediderit: In secundo, dato quod scripserit, an dogmatice, vel adhæsive, vel inquisitive tantum scripserit: In tertio, dato quod adhæsive, an taliter adhæsive, quod ille scribendo mortaliter peccaverit, & Hæreticus dici possit: In quarto, dato quod scripserit, & taliter scripserit, quod scribendo erraverit, an pro talibus unquam pœnituerit: In quinto, dato quod de ejus nec pœnitentia, nec impœnitentia constet, an sit rationabilius ipsum credere esse damnatum, an salvum: In sexto, quid ex dictis Decretorum judicandum sit Ecclesiam determinasse de Origene: In septimo, quantum obliget in ista materia credulitatem nostram determinatio Ecclesiæ.* Diversa fuere de his Conclusionibus, & Apologetico hominum judicia, adeo ut vitandæ multorum offensioni, ne à quoquam legerentur iste Conclusiones Decreto sanxerit Innocentius 8. Pontifex maximus; salvam tamen ac integram Pici existimationem esse voluerit. Hujus successor Alexander 6. anno 1493. 18. Junii Breve Apostolicum ad Picum dedit, quod est hujusmodi, ut pro Apologia ipsum valere possit, adeo severa & gravi oratione omni Picum hæreseos & erroris suspicione liberat. Aliis puto Pici exemplum, ut simile pro Origene auderent, stimulo fuit. Quamobrem Johannes Nauclerus Tubingensis Præpositus insignia in Chronico Origeni elogia conscripsit. Multis eum quoque concelebravit laudibus Johannes Trithemius Abbas Spanhemensis, in libr. de script. Eccles. nec errores tamen ipsius dissimulavit, ab iisque se alienum esse velle professus est.

XX. Initio superioris sæculi sparsas in Bibliothecis Origenianarum scriptionum reliquias colligere, & in publicam lucem dare primus instituit Jacobus Merlinus Victurniensis, Theologus, Canonicus, & Pœnitentiarius Parisiensis. Operi Apologiam addidit pro Origene, in qua de Gelasio, & lata ab eo in Concilio Romano sententia, tum & de Hieronymo non satis prudenter locutus est, nec ut Catholicum ac pium virum, nedum Theologum decuit, aliaque adjecit multa, quæ Massæi Cameracensis Scholæ tum Rectoris, & Natalis Bedæ Facultatis Theologicæ Syndici expostulationibus patuere. Cum Origenis ergo ipsi affingerentur errores, multis ac diu res in Supremo Senatu, & inter Parisinos Theologos controversa ac disputata est. Certe anno 1522. Apologiæ suæ Apologiam perexere necessum habuit Merlinus. Manu scripta illa servatur in Theologicæ Facultatis Bibliotheca, ejusque mihi usura concessa est. Quam cur in lucem non emiserit Auctor, equidem nescio. Tribus illa libris continetur. Prior pro Origene, Origenisque doctrina pugnat, & septem Conclusionibus absolvitur, quarum prima hæc est: *Non est certum & evidens, nec indubitatum, Concilium aliquod damnasse Origenem Adamantium Leonidis martyris filium, tanquam Hæreticum notorium & publicum.* Altera ita se habet: *Dogmatizare Origenem Adamantium Leoni-*

A *Leonidis martyris filium non fuisse notorium & publicum Hæreticum ab Ecclesia legitime congregata damnatum, nec est hæreticum, neque in fide suspectum.* Tertia est hujusmodi: *Probabiliter affirmans Origenem Adamantium Leonidis martyris filium non fuisse auctorem omnium illorum pessimorum erratorum quæ sibi imponuntur, non derogat Ecclesiasticis sanctionibus, neque summorum Pontificum Decretis, neque sanctorum Patrum dogmatibus.* Quarta his verbis concepta est: *Asserere probabiliter alteram istarum propositionum: Origenes Adamantius Leonidis martyris filius non est, nec fuit Hæreticus: Origenes Adamantius Leonidis martyris filius vel fuit Hæreticus, non est Hæreticum, hæresin sapiens, nec erroneum, à fide, aut fidei pietate alienum.* Quinta talis est: *Asserens hanc vel illam partem probabiliter, seponere debet omnem pertinaciam, & sub conditione expressa vel tacita affirmare alteram: alioquin periculoso discrimini sese committeret.* Sexta ita expressa est: *Quamvis prædi-*
B *cta propositiones non possint simul stare in veritate, & necesse sit alteram esse veram; stat tamen aliquem partem veram affirmantem non esse Schismaticum, nec de Schismate suspectum.* Septima demum his verbis absolvitur; *Christianæ pietati conducibilius est, stante tali, tantoque dubio, cum veritas in parte occulta est & anceps, nec per Ecclesiam aut Pontificem aperte definita, de Origenis doctrina & auctore ejusdem in favorem bene sapere & dogmatizare, quam perperam, & in commendando excedere, quam deficere à laude sibi debita: præsertim si in alterum venire oporteat.* Secundus liber novem Propositiones ex Apologia Merlini ab ipsius adversariis excerptas & reprehensas defendit. Tertius Origenis vitam & Elogia ex Eusebio, Hieronymo, Nauclero, & Trithemio depromit: quibus subjecta est responsio ad Dialogos Massæi, & Additationes Bedæ. In his Merlinus non tam ex fide historiæ & testimoniis antiquorum, quam contortis sophismatis &
C argutiis de Schola velitatur.

XXI. Præclare etiam hac ætate de Origene meritus est Desiderius Erasmus, nam & Commentariorum ejus in Matthæum partem aliquam Latino sermone retulit, & vitam ipsius scripsit, ac laudes prosecutus est, & de lucubrationibus, deque eruditione, ac docendi ratione arbitrium tulit; à dogmatis autem manus abstinuit, morte, ni fallor, præventus, quæ quo minus susceptam quoque Origenianorum Operum editionem & censuram absolveret, & Origenis adversarios refelleret, impedimento fuit. In ea porro, quæ extat, censuræ parte antiquum Erasmus obtinuit, res non satis accurate perspectas præcipiti judicio disceptans, & disceptando nonnunquam impingens. Summopere interim Origenem aversabatur Martinus Lutherus, cujus ea vox fuit: *Origenem jam dudum diris devovi.* Cui subinde adstipulatus
D est Theodorus Beza, cum sexcentis locis, Annotationum majorum in Epistolam ad Romanos, tum maxime sub ipsum initium, fœdissima Adamantio stigmata inurens: *Neque vero*, inquit, *cum hæc dico, quicquam volo Patrum auctoritati detrahere: sed sane quod ad me attinet, Origenē non possum bona conscientia inter eos Patres collocare, quos velim imitari. Itaque non pudebit illius errata passim refellere, nullo (ita me bene Deus amet) obtrectandi studio: sed quod impurum scriptorem exoptem aut ex Lectorum manibus excuti, aut summo cum judicio à studiosis tractari.* Moderatius de Origene & æquius senserunt & scripserunt Magdeburgenses, pro vitiis eum vel virtutibus ornantes: quamquam minime ipsos feras, Adamantii orthodoxa nonnulla, sed sectæ suæ dogmatis contraria, in crimen trahentes; aliqua vero perperam ipsi affingentes. Adamantii in Johannem Commentaria in Veneta S. Marci Bibliotheca Græce nactus Ambrosius Ferra-
E rius Mediolanensis, monachus Cassinas, primus Latine convertit & typis commisit: Origenianæ vero famæ usque adeo studiosus fuit, ut dum illi patrocinatus est, parum ipse suæ consuluerit: quamvis enim summa se in hoc libro vertendo usum fide sit obtestatus, nonnulla tamen consulto resecta deprehendas, in quibus à recto Christianæ doctrinæ calle Origenes aberraverat. In nuncupatoria præterea ad Julium Tertium Pontificem maximum Epistola, magnis sese sumtibus adeundas curasse narrat celeberrimas, quæ ubique gentium sunt, Bibliothecas, missis etiam qui totam perlustrarent Græciam, & si quæ nanciscerentur scripta Origenis, ea ad se asportarent. Hinc adeo locupletatus, multa ipsius & γνήσια opera prælo parabat. Quæ cur in lucem non venerint, ignoramus. Tutando Origenis nomini utilem aliquanto post operam contulit Sixtus Senensis è Prædicatorum familia: egregium quippe illi
F in Bibliothecæ sanctæ libro quarto elogium consecravit, in quo non illum solum extollit præconiis, sed librorum etiam ipsius numerum recenset, & genuina à spuriis erudite secernit. Errores vero in Annotationum libris notat & excutit. Parum ipsius ratio Cæsari Baronio Cardinali probata est; qui cum alienissimo esset adversus Origenem animo, summamque in eum styli asperitatem & inclementiam in Annalibus exerceret, carpsit etiam & obiter tetigit reliquos, quicunque in eum propensiores essent: *Miratus sum vehementer*, inquit, *post damnationem ejus ab Anastasio Papa Pontificia auctoritate inflictam, post ejusdem reprobationem in Sexta Synodo pronuntiatam, post tot antiquorum Patrum in idipsum conspirantes sententias, adhuc recentiores quosdam ausos esse pro eodem novas edere Apologias, & auctoritate Catholicæ Ecclesiæ judicatas sæpius controversias denuo temere agitare, quod visus est feciisse haud pridem Sixtus Senensis.* Non mitius Origenem habet Robertus Bellarminus Cardinalis, Origenisque adeo partiarios omnes & defensores. *Bar. ad A. 256. c. 11.* *Bellarm. in libr. de script. Eccl.*

Summa

Summa sane æquitate cum Adamantio egit Claudius Espencæus in Commentariis in E- A
pistolam ad Titum; nam neque insano occæcatus amore quicquam de fide historiæ de-
cerpsit, nec erroribus offensus laudes ipsius obscuravit. Plurimum ipsi favisse fertur ac mul-
ta condonasse Vicelius in libro de scriptoribus Ecclesiasticis; quod quidem ex aliena fide
refero, nam librum reperire non potui. Reliquorum vero in ornando Origene industriam
longo intervallo superavit Gilbertus Genebrardus, Theologus Parisiensis, & Archiepisco-
pus deinde Aquensis: nam priores editiones recensuit, & ad vetera cum Græca, tum Latina
Bibliothecæ Regiæ exemplaria contulit & emendavit; novam omnium Operum editio-
nem molitus est, in eaque multa nondum edita publicavit, Philocaliam in Latinum sermo-
nem transtulit; Collectanea Editioni suæ præfixit, in quibus nihil fere prætermissum est,
quod ad purgandum Origenem, & omni absolvendum crimine pertineret. Ultimo præ- B
sertim Collectaneorum capite selecta quædam Origenis prosecutus est dogmata, ab Eccle-
siastica norma discrepantia; in iisque tutandis vel excusandis nimium suo in Origenem
amori obsecutus est. Æquiores se in rebus ipsius tractandis præbuerunt Antonius Posse-
vinus, Jacobus Gretserus, & Stephanus Binetus, veritatem spectantes unam, odio vel amo-
ri nihil admodum tribuentes. Incerta vero Abrahami Sculteti ratio, qui postquam de Ori-
gene se paucis acturum dixit, quia inter Hæreticos fere potius, quam inter Patres numera-
tur, mox ubi ad ejus doctrinam ventum est & errores, vel à librorum depravatoribus profe-
ctos ipsos esse censet, vel in iis fluctuasse Origenem demonstrat. Dissimilis illorum Petrus
Halloxius Leodiensis, nuperrimus ille Origenis vindex, ipsius vitam, virtutes, & documen-
ta libris quatuor fusissime complexus: ad id attentus unum, ut vel integram & orthodoxam, C
ac labis immunem Origenis doctrinam fuisse demonstret; vel si quid veritate victus huic in-
hæsisse vitii fateri cogitur, id ut quæsitis undecunque excusationibus diluat.

Ant. Poss. in Appar. Sacr. Iac. Gretz. de jure & more prohibēdi libros malos libr. 10. cap. 11. S. Binet. in libello de salute Origenis. Abr. Scult. in Medull. Theol. Pat. l. 6. c. 1. & 6.

ORIGENIANORUM D
LIBER TERTIVS.
ORIGENIS SCRIPTA.

Libri tertii partitio.

LIBRUM istum itidem ut priores duos in Capita quatuor dispescimus. I. de Scriptis E
Origenis in universum disputat. Quæ, quoniam vel ad Scripturæ interpretationem
pertinent, vel sunt peculiaris instituti, in duo genera distribuimus, Exegetica, &
Syntagmata. Secundum itaque Caput agit de Origenis Exegeticis, iisque ejus Operi-
bus quibus varias Scripturæ interpretationes ante ipsius ætatem editas complexus est, &
ἑρμηνευτικὰ appellari queunt. III. versatur circa ejusdem Syntagmata. In Quarto, quo ordine,
quibus temporibus lucubrati sint libri Origenis, exquiritur. Subjicitur Appendix de libris
Origeni falso adscriptis.

CAPVT PRIMVM. F

DISPUTATUR IN UNIVERSUM DE SCRIPTIS ORIGENIS.

I. *Stylus Origenis redundans & incultus.* II. *Plus septem ei dictanti aderant notarii: totidem librarii & puellæ opera ejus nitidius exarabant.* III. *Quicunque supersunt Origenis Libri, vitiati & corrupti sunt.* IV. *Sua quibusque Origenis Operibus auctoritas, suus valor assignatur.* V. *De Origenianarum scriptionum numero disseritur.* VI. *Quibus Scripturæ sanctæ editionibus uti solitus fuerit Origenes, aperitur.*

I. REDUN-

A I. Redundat stylus Origenis, & diffluit. Quamobrem ipsius ἄμετρον φλυαρίαν, & ταυτολογίαν carpit Eustathius Antiochenus, & post illum Epiphanius, eumque *Seminarium loquacitatis* appellat Theophilus. Hinc & ipsi effatum hoc Salomonis accommodat Nicetas: *In multiloquio non deerit peccatum*: adeo ut parum attentum fuisse putem Erasmum, cum brevitatem ejus laudavit. Vitio huic Origenis caussæ fuisse censeo assiduam docendi & dicendi consuetudinem, quæ verbosos homines facile efficit. Nec verbis solum, sed rebus etiam abundat: quemadmodum enim herbis luxuriat feracior seges, ita Origenis animus, si quando in aliquam sese meditationem conjecerat, tantam ipsi rerum ubertatem felix ingenium, & reconditum doctrinæ penus subministrabat, vix ut notarii B scribendo pares essent. Ex hac festinatione, ut supra jam dixi, multa existebant incommoda: nimia erat orationis incuria & supinitas; ad res enim attentus animus insuper habebat verborum curam, & stribligínibus sermonem quandoque fœdabat; cujusmodi nonnullas suis locis observavimus: res sæpe confundebat cum rebus, ut Scriptores sacros citans aliquando permutaret nomina, & unum appellaret pro altero, ac sæpe Scripturæ loca permisceret; confisus memoriæ scilicet, & quo minus libros consuleret, festinatione impeditus. Scribit Didymus in Apologetico, quem pro Origene edidit, aliam verbis ejus inesse sententiam, ac prima fronte videtur. Certe librorum qui supersunt, planus est stylus & apertus, adeoque affirmare ausim, sicubi obscurus sit Origenes, sententiam de industria vitandæ offensioni occultasse. Vitia Origeniani styli notavimus; laudes notaremus quo- C que, si non id jam accurate & erudite præstitisset Erasmus, quem omnino hac in parte audiat, si quis Adamantio favet. *Erasm. in Censur.*

II. Dixi vix scribendo pares fuisse notarios: sic enim erat. Tradit Eusebius septem & amplius notarios dictanti illi adfuisse; non simul quidem, ut de Cæsare refert Plinius, qui scribis quatuor, vel si nihil ageret aliud, septem uno tempore dictando sufficiebat; sed alternatim, & statis unumquemque vicibus. Cur id ergo tantopere miretur Baronius caussa nulla est; nam & tanta fuit ingenii celeritate Origenes, tantaque diurni ac nocturni laboris patientia, ut scribentes notarios facile defatigaret. Par ei aderat librariorum numerus, una cum puellis, quarum compositissimæ erant & clarissimæ literæ; horumque ad describendas nitide suas lucubrationes, non ad dictantis verba in literas referenda, ut putavit Mar- D tinus Polonus, opera utebatur. Homilias autem quas ad populum habebat fere quotidie, alii ex ore loquentis excipiebant, quod ante sexagesimum ætatis suæ annum fieri prohibuerat. Quod si secus fuisset factum Homiliarum quæ extant pars non exigua periisset. Hæc non satis distinxit Sixtus Senensis, cum ait: *Origenes quotidie, & quasi ex tempore Scripturas ad populum enarrabat, excipientibus ex ore ejus septem notariis, totidemque velocissimis in scribendo puellis, aliisq; Scriptoribus, qui eas* (conciones) *ad monimentum posteritatis tradiderunt.* Neque sane id dixit Pamphilus, quem testem citat; sed illud duntaxat: *præcipue vero per eos tractatus quos pene quotidie in Ecclesia habebat ex tempore; quos & describentes notarii ad monimentum posteritatis tradebant.*

III. Inde porro scriptiones Origenis esse vitiatas supra notavimus. At ferendum illud E erat, si non eo etiam accessisset malorum hominum nequitia, errores suos malis artibus propugnantium, & alienis operibus adulteras manus inferentium. Id ipso etiamnum vivo attentarunt nonnulli. Ausi sunt idem postmodum Ariani, horumque demum corruptorum audaciam Rufinus scriptione quadam coarguit. Verum non alium quenquam Origeni tantum perfidia sua & temeritate nocuisse quam Rufinum ipsum, merito affirmare possum. Nam ejus scripta interpretans, ita additamentis & detractionibus vexavit & corrupit, ut Origenem in Origene desideres. Acceptum huic quidem refert Adamantius, quod opera ipsius à Latinis hominibus intellectus & usurpatus est; & quod consumtis exemplaribus Græcis in Romanis interpretationibus quodammodo revixit. Verum iisdem expositionibus cum ignari Græcæ linguæ homines acquiescerent, neglecti fere Codices Græci perie- F runt, adeo ut bona Græca pessimis Latinis commutata sint. Quotquot ergo libros Origenis ad nos fortuna transmisit, violatos esse verisimile est, at eos potissimum qui præter notariorum σφάλματα, & Hæreticorum adulterationes, Interpretum etiam hallucinationes & perfidiam senserunt.

IV. Non par ergo & eadem est librorum omnium auctoritas, quicunque ex Origenis incude profecti sunt. Quemadmodum enim suspecti erant ii præcipue, & damnosissimis scatere erroribus, & ab Ecclesiæ disciplina recedere dicebantur, quos ipse per otium secreto lucubrasset, ac libri præcipue περὶ ἀρχῶν, in quibus dogmatum suorum officinam statuerat, ut narrat Pamphilus in Apologia: ita ad ejus sensus penitus introspiciendos, ac erudenda dogmata, iidem nunc potissimum valere debent. In Homiliis quippe ad vulgi sese accommodavit captum, nec exquisitas doctrinæ merces è myrotheciis suis depromtas in

doctis hominibus propinavit. At in elaboratis diligentiori cura lucubrationibus eruditionis suæ promtuaria reseravit. Igitur de Græcis, qui supersunt, libris sic statuendum puto, ut postremum ordinem Homiliæ teneant, priorem cogitate & attente scripta Opera, cujusmodi sunt libri contra Celsum, & περὶ ἀρχῶν, & Tomi. Judicium de his suum proponens Epiphanius Hær. 64. cap. 5. in omni Scriptura perpetuo erasse dicit Origenem, eamque ingenti librorum mole explanasse: tum subnectit: ὡς ἐπάγλως γεγραφὼς ἐπεῖν ἃ εἶπε ἔδοξε. Ἔσσα μὲν οὖν προσομιλίαις, καὶ ὅσα τῶν προοιμίων εἰς ἤθη, καὶ εἰς φύσεις ζώων τε καὶ τῶν ἄλλων ἑρπετῶν, μέσος φερόμενος πολλάκις χαρίεντα ἐμηχανήσατο· ὅσα δὲ εἰς δόγματα ἐδογμάτισε, καὶ περὶ πίστεως, καὶ μείζονος θεωρίας, τῶν πάντων ἀτοπώτατα τῶν προὐπτα, καὶ μετ' αὐτὸν εὑρεθέντων, πλὴν τῶν ἐν ταῖς αἱρέσεσιν αἰσχρογραφιῶν. *In singulos Scripturæ libros non dubitavit dicere quæ sibi visa sunt. Quæcunque autem in Homiliis, & in Proœmiis de moribus, & natura animalium, aliorumque dicta sunt, medius incedens sæpe eleganter disseruit: quæcunque vero de dogmatibus pronuntiavit, & de fide, aliisque majoris contemplationis, omnibus protulisse absurdiora, & qui præcesserunt ipsum, & qui secuti sunt, reperitur; exceptis duntaxat Hæreseon fœditatibus.* Utrumque autem scriptionum Græcarum genus, Homilias dico, & libros per otium accuratos, & quidquid denique Græce ab Origene scriptum extat, longe iis anteponi jubeo, quæ in Latinum sermonem derivata sunt, & vel subleſtam Interpretum fidem, vel hallucinationes, vel utrumque sustinuerunt. Inter scriptiones quæ Latine à Veteribus conversæ extant, prima erit earum auctoritas, quas Hieronymi dedit interpretatio: postremum tenebunt locum, quæ à Rufino Latinitati donatæ sunt. Nec plus fidei sane Veteri Commentariorum in Matthæum Interpreti, quicunque tandem ille sit, quam Rufino adhibendum est. Illum si ad Græcum, quem damus, contextum exegeris, Deus bone; quod interpretationis monstrum comperies! Totas paginas, tota folia assuta, tota detracta deprehendes. Hæc inter, observandum illud etiam discrimen est, majorem eorum esse librorum auctoritatem, quos senex Adamantius, ingenio per ætatem magis subacto elimavit, quam qui efferente sese in juventutis æstu fœcunditate profusi sunt.

V. Nec aliquantis duntaxat Origenianarum scriptionum partibus, vel notariorum properantia, vel corruptorum nocuit audacia; sed in tota etiam volumina invidorum intemperantia grassata est: nam qui tanto conatu in Origenis doctrinam sæviebant, ejusne pepercissent libris, & non eos omni studio abolevissent? Accesserunt crebra Synodorum & Episcoporum anathemata, quibus Adamantius, Adamantiique doctrina damnata est: tum promulgata apud recentiores Græcos decreta, quibus vetitum est ne quis ejus libros describat. Unde maximæ Latinorum, ac Græcorum præcipue exemplarium parti clades illata est, & oppido pauca ex hoc interitu servata sunt. Quanquam enim ingens adhuc Origenianorum Operum volumen supereſt, quota illa pars est magni hujus lucubrationum numeri, quas ab eo elaboratas fuisse Veteres prodiderunt? Scribit Theophilus hunc *innumerabiles texuisse libros, & garrulitatis suæ, quasi damnosæ possessionis mundo reliquisse hæreditatem.* Ἄνω καὶ κάτω ταυτολογῶν ἐπλήρωσε τὴν δικεμβρίου ἀμέτρῳ φλυαρίᾳ· ait Eustathius Antiochenus. *Quis nostrum,* inquit Hieronymus, *tanta potest legere, quanta ille conscripsit?* Idem alibi: *Ambrosius, quo charitas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius noster & Chalcenterus explicuit.* Vincentius Lirinensis: *Sed credo pauca conscripsit: nemo mortalium plura, ut mihi sua omnia non solum non perlegi, sed non inveniri quidem posse videantur.* Ex immenso hoc ergo lucubrationum numero Syntactici nomen meruit. Futurum autem præsentiens, ut immensa hæc scribendi licentia nonnullorum sibi reprehensiones conscisceret, multis eam excusat Tomo 5, in Joh. cujus excusationis fragmenta habes Philocaliæ cap. 5.

Theophil. Pasch. 1. & 2. *Eustath. de Engastr. Hieron. Epist. 65. ad Pamm. & Ocean. c. 3. & Epist. 18. ad Marcell.* *Vinc. Lir. contr. hær. cap. 23.*

Attamen ingenti huic librorum copiæ, quam innumerabilem esse dicunt nonnulli, certum alii numerum assignarunt. Epiphanius Hær. 64. cap. 63. percrebuisse narrat sex librorum millia ab eo fuisse conscripta. Atque id ex seipso refert, non ex Methodio, ut perperam asseverant Magdeburgenses. Eundem assignant numerum Honorius Augustodunensis de script. Eccles. cap. 55. & Cedrenus in Severo, & ex Cedreno Suidas in Origene, & Glycas Part 3. Annal. Præterea Rufinus in libello de adulteratione librorum Origenis, de Epiphanio ita loquitur: *Denique quidam ex ipsis, qui se velut evangelizandi necessitatem per omnes gentes, & per omnes linguas habere putat, de Origene male loquens, sex millia librorum ejus se legisse quamplurima fratrum multitudine audiente confessus est.* Ad ea Hieronymus, qui se omnia Origenis habere, legisse vero quamplurima jactabat libr. 2. Apol. cap. 4. hæc reponit libri ejusdem sexto capite: *De sex millibus autem librorum, quos ab eos esse lectos confingis, quis credat aut te verum dicere, aut illum potuisse mentiri? si enim Origenes sex millia scripsisset librorum, potuerat fieri ut vir eruditus, & ab infantia sacris literis institutus pro curiositate & scientia legisset aliena: quod vero ille nō scripsit, quomodo iste legere potuit? Numera indices librorū ejus, qui in tertio volumine Eusebii, in quo scribit vitā Pamphili, continentur, & nou dico sex millia, sed tertiam partē non reperies. Habemus Epistolam supradicti Pontificis, in qua huic calumniæ tuæ, dum adhuc esses in Oriente, respon-*

Magdeb. Cent. 3. cap. 10.

A *respondet, & apertissimum mendacium liberæ veritatis fronte confutat:* & in Epist. 62. ad Theophilum, cap. 2. *Sex millia Origenis Tomos non poterat quisquam legere, quos ille non scripsit: facilius q; credo testem hujus sermonis, quam auctorem esse mentitum.* Negat Hieronymus dixisse Epiphanium sex librorum Origenis millia à se lecta; imo vero tot ab Origene unquam fuisse scripta negat; quamvis id tamen percrebuisse Epiphanius asserat.

Quid sibi volunt igitur Beda in libro de sex ætatibus mundi, Ado Viennensis, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, & Conradus Urspergensis, cum Hieronymum quodam o co scripsisse ajunt, quinque millia librorum Origenis fuisse sibi perlecta? Martinus vero Polonus, & Guido Carmelita sex millia? Quid apud hunc Guidonem Isidorus, qui sic loquentem inducit Origenem:

B *Condere, si credis, studui tot millia libros,*
Quot legio missos ducit in arma viros.

Sane videtur id sumtum ex proxime laudato Rufini loco, qui cum Epiphanii nomen non exhibeat, facile eum ad Hieronymum retulerunt Scriptores illi, quemadmodum ab Erasmo deinde & Genebrardo relatus est. Quod autem quinque librorum millia plerique notant, cum sex alii commemorent, ex corruptis, ut fere fit, numerandi notis ortum errorem puto. Utri autem assentiendum potius, vel Hieronymo tot scriptos ab Origene libros perneganti, an Epiphanio id vulgi sermone ferri asserenti, equidem nescio. Fama quippe, futilis auctor: Hieronymi vero inane argumentum; nam quamvis in indicibus librorum Origenis, quos in tertio vitæ Pamphili libro Eusebius pertexuerat, non sex mille, sed ne tertia quidem pars reperta sit, minime hinc efficitur non plures ab Origene lucubratos, quam quot recensuerat Eusebius. Pars aliqua jam interciderat; pars ipsius effugerat diligentiam: licet enim libr. 6. Histor. cap. 32. accuratum eorum catalogum texuisse se scribat, non omnes tamen ad ipsius notitiam perveniisse crediderim.

Ne quis vero censeat sex illa librorum millia, si modo totidem ab Origene scripti sunt, ingentia quædam volumina fuisse, cujusmodi puta Opus contra Celsum, vel Opus περὶ ἀρχῶν, vel Tomi in Johannem, vel Homiliæ in Lucam. Epistolæ singulæ, singuli Tomi, singulæ Homiliæ, suo quæque titulo & nomine in hunc censum venerunt; atque ita facile ingens ille numerus prodiit, qui nec superat fidem, nec valde mirabilis est. Fertur Didymus Alexandrinus pios quosdam viros post Chrysostomi mortem, Homilias ejus octingentas supra quatuor mille, cum omnes non possent, in unum collegisse. Tantam vero librorum Chrysostomi ejusdem copiam fuisse tradit Suidas, ut numerum superarent: tum quasi rem non satis significasset, addit: τῶν ὃ συγγραμμάτων αὐτὸ καλαλέγειν τὸ ἀριθμὸν, οὐκ ἀνθρώπε, θεᾶ δὲ μᾶλλον τῷ τὰ πάντα γινώσκοντι. *Ejus vero lucubrationum recensere numerum, non hominis, sed Dei potius est, qui omnia cognoscit.* Fertur Theodorus Mopsuestenus plusquam decem voluminum millia edidisse, Raymundus vero Lullius plusquam quatuor. Caussa igitur non erat, cur sex mille libros ab Origene fuisse scriptos tam præfracta asseveratione Hieronymus inficiaretur; cum eum præsertim fateatur mille & eo amplius tractatus in Ecclesia fuisse locutum, & innumerabiles præterea Tomos edidisse. Indicem porro librorum ipsius, post Eusebium, idem quoque concinnaverat Hieronymus in voluminibus Epistolarum, quas ad Paulam scripserat; & Origenem cum Varrone, viro πολυγράφῳ contulerat, ut ipse de se testatur in libro de scriptor. Eccles. cap. 85.

VI. Cæterum cum circa Libros sacros labor Origenis, & industria potissimum versata sit, non eadem Editione in iis interpretandis usus est: in Homiliis siquidem quas ad populi captum accommodabat, Editionem sequebatur Communem, quam usu quotidiano populus conterebat; in Tomis vero Ebraicam veritatem, aliasque Editiones consulebat. Hieronymus in Proœmio Traditionum Ebraicarum: *De Adamantio autem sileo; cujus nomen (si parva licet componere magnis) meo nomine invidiosius est: qui cum in Homiliis suis, quas ad vulgum loquitur, Communem Editionem sequatur; in Tomis, id est, in disputatione majori, Ebraica veritate stipatus, & suorum circumdatus agminibus, interdum linguæ peregrinæ quærit auxilia.* F Quocirca Scripturæ testimonia ab eo sæpenumero aliter relata reperies, ac in Editionibus concepta sunt, quæ hodie circumferuntur: quod & ex memoriæ perfidia aliquando contigit. Par in Evangeliorum depromtis ab eo locis discrimen occurrit; nam præterquam quod variantes suas lectiones Novi quoque Testamenti Codices habebant, ut hodieque habent; utebatur ad hæc sæpenumero Adamantius Evangelio secundum Ebræos, ut tradit Hieronymus in libr. de script. Eccles. cap. 4. atque inde discrepantiam illam extitisse conjicio.

CAPUT SECUNDUM.

ORIGENIS EXEGETICA ET EPMHNEYTIKA.

Capitis secundi partitio.

SEctionibus tribus hoc caput continetur. I. varia Origenianorum ἐξηγητικῶν genera percensentur. II. singula Origenis ἐξηγητικὰ, quorum quidem ad hanc diem memoria supereſt, enumerantur. III. agitur de Exegeticis quæ supersunt, deque vetustis ipsorum interpretationibus. IV. disputatur de Origenis Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis, deque vulgata editione Septuaginta Interpretum.

SECTIO PRIMA.

VARIA ORIGENIANORUM ΕΞΗΓΗΤΙΚΩΝ GENERA PERCENSENTUR.

I. *Scripturam sacram Ambrosii rogatu Origenes interpretatus est. Confutantur nonnulli, qui primum Scripturæ sacræ interpretem ipsum fuisse volunt.* II. *Dividuntur Origenis Exegetica in Scholia, Homilias, & Tomos:* III. *de quibus sigillatim quæritur.* IV. *Quid sint* σημειώσεις *disputatur.* V. ἐρωτικὰ *pars* ἐξηγητικῶν. *Epistolas inter Syntagmata collocamus.* VI. *Origenes historicum, mysticum, & moralem sensum perscrutari solet.* VII. *Cur minor in Novo quam in Veteri Testamento ab Ambrosio dictus sit, investigatur.*

I. ANtequam varia Origenianorum ἐξηγητικῶν genera percenseam, revocentur in memoriam quæ supra notata sunt, ad interpretandos Scripturæ sacræ libros, Ambrosii consilius, auctoritate & rogatu Origenem fuisse impulsum, & quasi adactum, ut amice ab eo ipse expostulat in Commentariis ad Psalm. 1. & ut in quadam Epistola, quam exhibent Cedrenus & Suidas, leviter conqueritur, & ut ipse scribit Ambrosius in Epistola ad Origenem, quam refert Hieronymus in Epistola ad Marcellam.

Confutandus deinde venit nonnullorum error, qui primum Origenem Scripturas fuisse interpretatum literis prodiderunt. In his Beatus Rhenanus ad Hermannum Archiepiscopum Colonienſem ità de Origene disserit: *Quippe hic scriptor, quum quod ingenio perspicacissimo, & optimis disciplinis omnifariam exculto præditus fuit, tum quod improbo studio sacris monumentis invigilavit, primus quasi glaciem scidit juxta proverbium, in enarrandis Scripturis divinis. Quæ vera laus, quamq; copiosa debeatur primis quibusq; rerum optimarum auctoribus, nemini ambignum est.* Et Sixtus Senensis libr. 4. Biblioth. qui sic ait: *His similibus excitatiunculis ubique uti voluit, prout dicebat hominem pæne αὐτοδίδακτον, & qui primus aggressus esset explanationem omnium divinarum Scripturarum, nondum ob ingentem earum difficultatem ab aliquo attentatam.* Et Genebrardus in Epistola ad Carolum IX. cujus hæc verba sunt: *Theologiæ liquidissimam veluti scaturiginem aperuit, & cum frugi illo Salomonis viro derivavit fontes suos foras.* Tum deinde: *Et sane omnium, quorum quidem in divina Scripta Commentarii extent, fuit antiquissimus.* Itane vero? antiquiorne Philone, qui tot scriptis hodieque supersititibus Scripturas sacras explanavit? antiquiorne Theophilo Antiocheno, cujus extant Commentaria in quatuor Evangelia? Vetustiores quoque fuerunt illo Melito Asianus, qui librum scripserat de Apocalypsi Johannis; & Rhodon, & Candidus, & Appion, qui tractatus in Hexaëmeron sigillatim composuerunt; & Judas, qui de septuaginta apud Danielem hebdomadibus scripsit. Itaque Ambrosius ad Psalm. 118. 28. Origenem ait *multorum interpretationes diligenti discussisse indagine*: quos & sæpe citatos apud eum reperias: velut Homil. 15. in Genes. ubi ait: *Nunc interim non videbitur absq; ratione dici, quod & prioribus nostris quibusdam visum est, Prophetiam quandam in hoc designatam videri.* Et Hom. 13. in Exod. *Aretem etiam ante nos quidam pro furore posuerunt.* Et Homil. 8. in Levit. *De hoc quidam etiam ante me dixerunt.* Et Homil. 9. in Num. *Quidam tamē ex iis qui ante nos interpretati sunt locum hunc, memini quod mortuos dixerūt eos, qui nimietate scelerum in peccatis mortui intelliguntur.* Et Hom. 26. seq. *Exeundi de Aegypto figuram duobus modis actipi, à prioribus nostris, & à nobis sæpe jam dictum est.* Et Homil. 8. in Jud. *Memini etiam quendam ex prædecessoribus nostris in libellis suis vellus lana populum dixisse Israël.* Et Homil. 10. in Jerem.

τοῦτο

A ταῦτα ὁ κύριος ὑμῶν ἄλλοι διηγήσανλο· Et Homil.14.seq. τῶν πρὸ ἐμοῦ δέ τις ἐπέβαλε πῶ τόπῳ Et Tom.14. in Matth. p.230. ἐτήρησε μᾶλλον ὧν τις τῶν πρὸ ὑμῶν. Et passim in Commentariis in Johannem Heracleonem Hæreticum, hujus Evangelistæ Interpretem insectatur. Qui ergo aliis ad Scripturas interpretandas Origenes viam præiviſſe dici poteſt? At excuſari poteſt quod ait Sixtus Senenſis libr.4. Biblioth. *His ſimilibus excitatiunculis ubique uti voluit, prout decebat hominem pene αὐτοδίδακτον, & qui primus aggreſſus eſſet explanationem omnium divinarum Scripturarum, nondum ob ingentem earum difficultatem ab aliquo attentatam.* Nam alios quidem non negat partem aliquam ſcripturarum expoſuiſſe; omnium vero ſcripturarum explanationem aggreſſum eſſe aliquem ante Origenem, id vero negat, & merito quidem.

II. Verumtamen quamvis aliorum exemplum quod ſequeretur habuit, fatendum nihilominus hanc eum explicandæ Scripturæ artem multum provexiſſe: nec enim ſimplicem
B quendam interpretandi modum adhibuit, ſed varia explanationum genera primus Scripturæ accommodavit. Nam vel diffuſis Commentariis, quidquid ſuppeditabant ingenium & doctrina, prolixe congeſſit; vel brevibus tantum Scholiis obſcuriora quæque illuſtravit; vel ad populi captum ſeſe demiſit, & ſelectas quasdam Scripturæ pericopas minus accurate per Homilias expoſuit. Hieronymus in Prologo ſuæ interpretationis Homiliarum, quas in Ezechielem Origenes habuit: *Illud*, inquit, *breviter admonens, ut ſcias Origenis opuſcula in omnem Scripturam eſſe triplicia. Primum ejus Excerpta, quæ Græce σχόλια nuncupantur, in quibus ea quæ ſibi videbantur obſcura atque habere aliquid difficultatis, ſummatim, breviterque perſtrinxit. Secundum Homiliaticum genus, de quo & præſens interpretatio ejus eſt. Tertium quod ipſe inſcripſit*
C *τόμους, nos Volumina poſſumus nuncupare, in quo Opere tota ingenii ſui vela ſpirantibus ventis dedit, & recedens à terra in medium pelagus aufugit.* Rufinus in Prologo interpretationis ſuæ Commentariorum Origenis in Numeros, quem mihi olim Bigotiana Bibliotheca ſuppeditavit: *Quæcunque in Numerorum libro, ſive Homiliatico ſtylo, ſive etiam ex his quæ Excerpta appellantur, ſcripta reperimus, hæc te perurgente, Romana ut potuimus voce ex diverſis in unum ordinem collecta digeſſimus.* Et paulo poſt: *Scire tamen te volo, Frater, quod hæc lectio vias quidem aperiat intelligentiæ, non tamen ſigillatim cuncta quæ ſcripta ſunt differat, ut in Explicationum libris legiſti: quo ſcilicet etiam Lector non reddatur otioſus, ſed pungat cor ſuum, ſicut ſcriptum eſt, & producat ſenſum, & audito verbo bono, ut ſapiens adjiciat ad illud.*

III. Scholia breves erant notæ enodandis locis intricatioribus, & abſtruſioribus ſenſi-
D bus eruendis, quales habemus in omnes fere Græcos Poëtas. Eraſmus *Otiola* reddi jubet. Sixtus Senenſis exponit *Vacationes, ſive otia, ſive per otium excerpta; quibus quoties ad plenam commentationem otium deeſſet, ea tantum quæ ſibi videbantur obſcura, brevibus quibusdam annotationibus ſummatim perſtringebat.* Inepte uterque. Scholion diminutivum eſt à Schola: Scholia Græce & Latine, præter vulgatas ſignificationes, lucubrationem etiam ſonat, quæ de re aliqua per otium elaboratur. Scholion ergo parvam Scholam ſignificat, hoc eſt, Lucubratiunculam. Speciatim vero Scholia appellantur Commentarioli, vel Diſſertatiunculæ. Præterea excerpti ex Auctore aliquo loci dicuntur Scholia, cujusmodi ex Evangelio, quo utebatur Marcion nonnulla depromſit Epiphanius Hær. 42. & Scholia appellavit. Atque hæc Scholia Latine Excerpta proprie dicuntur. Male autem hoc nomine afficias breves ex-
E poſitiones, & diſſertationes; quod tamen fecerunt Hieronymus & Rufinus, cum Origenis Commentariolos in Scripturam Excerpta dixerunt; omne Scholiorum genus communi Excerptorum vocabulo donantes, quod ad certam quandam ſpeciem erat reſtringendum. At quoniam brevibus ſententiis hæc Scholia Origenis, ſive Commentarioli concludebantur, idcirco Commaticum interpretationis genus ea Hieronymus appellat. Prooem. Comment. in Matth. *Legiſſe me fateor*, inquit, *ante annos plurimos in Matthæum Origenis viginti quinque volumina, & totidem ejus Homilias, Commaticumque interpretationis genus.* Et Prooem. Comment. in Epiſt. ad Galat. *Scripſit enim ille vir* (Origenes) *in Epiſtolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina, & decimum Stromatum ſuorum librum commatico ſuper explanatione ejus ſermone complevit. Quod ita intelligo; Scholia in Epiſtolam ad Galatas decimo*
F *Stromatum ſuorum libro ipſum inſeruiſſe.* Scholia vero ad ſacrorum Librorum oram attexuiſſe Origenem oſtendit liber vetuſtiſſimus Renati Marchali, quo continentur Prophetæ omnes, quique in Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu Bibliotheca ſervatur, & cujus uſuram humaniſſime mihi conceſſit Gabriel Coſſartius ampliſſimæ huic Bibliothecæ præfectus, βιβλιοθήκη ipſe ἐμψυχος, & doctrinæ omnis refertiſſimum penu. Prophetiæ Ezechielis præfixum hoc habet ille liber; μετελήφθη ἀπὸ τῶ κῆ τὰς ἐκδόσεις ἑξαπλῶν, καὶ διωρθώθη ἀπὸ τ. ὠριγένους ἀυτὸ τετραπλῶν, ἅτινα καὶ ἀυτὸ χειρὶ διώρθωλο, καὶ ἐχρολογράφηλο· ὅθεν ἐυσεβ@ ἐγὼ τὰ σχόλια παρέθηκα. *Deſumtum eſt ab Hexaplis juxta Editiones, & emendatum ex ipſius Origenis Tetraplis, quæ & manu ipſius emendata, & ſcholiis ſuccincta erant. Unde ego Euſebius Scholia apposui.* Hinc diſcimus Tetraplorum limbos Scholiis ab Origene fuiſſe ſuccinctos. Si quis autē exiſtimet quæ in hoc Marchali Codice ad oram Ezechielis, aliorumq; Prophetarū adtextæ ſunt annotationes, ea ipſa

Eraſm. de doctr. & lib. Orig. Sixt. libr. 4. Bibl.

esse Origenis Scholia, multum is sane errabit. Constant enim illæ partim variis interpretationibus ex Aquila, Theodotione & Symmacho depromtis; partim lectionibus variis, vel circa lectionum varietatem observationibus. Neutræ vero pro scholiis Origenis haberi possunt: non prioris; quis enim putare possit in Tetrapla, quæ Scholiis, ut dixi, succincta erant, unde & ista sumta sunt, depromtas è diversis Interpretum expositionibus particulas conjecisse Origenem, cum in iis plenæ ipsæ ac integræ interpretationes haberentur? non posteriores; utpote in quibus sæpe Origenis, & alicubi etiam Constantini Imperatoris mentio fiat. A

Homiliæ à Rufino & Hieronymo Tractatus appellantur. Apologia Pamphili à Rufino conversa: *Præcipue vero per eos Tractatus, quos pene quotidie in Ecclesia habebat ex tempore, quos & describentes notarii ad monimentum posteritatis tradebant.* Hieronymus adv. Vigilantium, Epist. 75. de Homiliis in Job loquens, quas Hilarius verterat: *Cur Tractatus ejus in Iob,* inquit, *descriptos habes?* & in Præfatione ad Homilias Origenis in Canticum: *Hos duos Tractatus, quos in morem quotidiani eloquii parvulis adhuc lactantibus composuit, fideliter magis quam ornate interpretatus sum:* & in Procemio Commentar. in Epist. ad Galat. *Scripsit enim ille vir* (Origenes) *in Epistolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina, & decimum Stromatum suorum librum commatico super explanatione ejus sermone complevit: Tractatus quoque varios, & Excerpta, quæ vel sola possint sufficere, composuit.* Nempe Tomos, Homilias, & Scholia significat per quinque illa volumina, & Tractatus, & Commaticum sermonem, ac Excerpta. Concludat vero forsitan ex hoc loco aliquis, Excerpta, & Commaticum sermonem res esse diversas: sed frustra; id enim sibi vult Hieronymus, alia in decimum Stromatum librum inserta esse Scholia, alia seorsum elaborata & descripta. Fallitur Erasmus cum Homilias illas recte dici putat *Colloquia,* non enim Origenes cum auditoribus colloquebatur, sed auditores alloquebatur; ac proinde melius dicerentur *Alloquia.* In iis phaleras & oratoria pigmenta neglexit Adamantius; planum vero, familiare, ac simplex, nec valde prolixum, quale facilius patiuntur Homiliæ, dicendi genus persecutus est. B C

Tomi idem sunt quæ & ἐξηγητικὰ proprie dicta: nam quamvis hoc nomine affici possint, quæcunque interpretationis vice funguntur; atque ita non ad Tomos solum, sed & ad Homilias etiam, & Scholia referri possit ea vox, illamque Editioni nostræ, quæ Tomis & Homiliis constat, præfixerimus; nihilominus tamen ad Tomos speciatim & proprie pertinet, iisque nunquam non in antiquis Codicibus tribuitur. Explicationum libros appellat Rufinus in Prologo interpretationis Commentariorum Origenis in Num. In iis Origenes Ebraica veritate stipatus, & suorum circundatus agminibus, peregrinæ interdum linguæ quærebat auxilia, ut tradit Hieronymus in Procem. Quæst. Ebraic. in Homiliis autem Communem Editionem sequebatur, ut superiore Sectione notatum est. D

IV. Interpretationes præterea Origenis quasdam, σημειώσεις appellatas reperio. Utrum Scholiis an Exegeticis proprie dictis vox ea tributa sit, quærendum est. Hieronymus Scholiis manifeste tribuit Procem. in 1. Comment. Isaiæ: *Feruntur,* inquit, *& alii sub nomine ejus* (Origenis) *de visione* τετρακτύων *duo ad Gratam libri, qui pseudographi putantur, & viginti quinq; Homiliæ, & σημειώσεις, quas nos Excerpta possumus appellare.* Excerpta igitur, seu σχόλια, ea sunt σημειώσεις. At Philocaliæ cap. 26. postquam prolixum Origenis fragmentum in Exod. 10. 27. prolatum est, verba hæc sequentibus aliquot fragmentis præfiguntur: καὶ πάλιν ἐν ἄλλῳ τόμῳ ἐν ταύτῃ αὐταῖς εἰς τὴν ἔξοδον σημειώσεσιν. Igitur σημειώσεις constabant Tomis; igitur quæcunque hoc Philocaliæ capite fragmenta in Exodum repræsentantur, petita sunt ἐκ τῶν σημειώσεων. Ea vero neutiquam pro Scholiis habere possunt, sed justorum Commentariorum vicem explent; ea est rerum ac verborum ubertas & copia. E

Ego quidem σημειώσεις generale vocabulum esse puto, quo Tomi & Scholia continentur, σημειόω est, *adnotare, commentarium scribere, scriptum aliquod ad aliud adjicere, adscribere,* σημείωσις, *adnotatio, commentarius, quidquid ad aliud scribendo adjicitur,* cujusmodi sunt Scholia, & Commentarii qui ad oram librorum adtexi solent. Ita intelligendus Eusebius lib. 5. Histor. cap. 20. cum χαριεστάτῳ σημείωσιν appellat obtestationem quandam quæ ad finem libri Irenæi τῷ ὀγδοάδι præter contextum adjecta erat. Inde lux quoque alteri ejusdem Eusebii loco lib. 6. cap. 16. ubi de Hexaplis Origenis agens, deque variis quibus illa constabant interpretationibus, ita scribit: Ταύτας δὲ ἁπάσας ὅπη ταυτὸν συναγαγών, διελών τε πρὸς κῶλον, καὶ ἀντιπροσθείς ἀλλήλαις, ᾗ καὶ αὐτῆς τῆς ἑβραίων σημειώσεως, τὰ τῶν λεγομένων ἑξαπλῶν ἡμῖν ἀντίγραφα καταλέλοιπεν. *His omnibus in unum ab eo collectis, & per cola divisis, ac invicem è regione oppositis, cum Hebraicum præterea contextum adscripsisset, exemplaria nobis Hexaplorum, uti appellari solent, reliquit.* Quod Eusebius σημείωσιν ἑβραίων dixit, commodius προσθήσεις τῆς ἑβραϊκῆς ἑρμηνείας Epiphanius nuncupavit, quasi dicas, *adjunctiones, adjectiones.* Optime quoque Nicephorus προσημείωσιν reddidit, hoc est, *descriptionem ad aliud additam;* addita enim Præpositio notat esse τῶν πρός τι. Cum ergo Scholia & Commentaria, alterius scriptionis explicandæ gratia F

scribi

A scribi soleant, eique sæpe adjungi & ad oram adtexi, propterea σημειώσεις recte dicta sunt: neque immerito Philocaliæ textores hoc vocabulum Commentariis, Hieronymus Scholiis tribuêre.

V. Communi quoque ἐξηγητικῶν titulo Tetrapla, Hexapla, & Octapla Origenis complectimur, quæ proprio vocabulo ἑρμηνευτικὰ appellare possis. Cum enim ex variis Scripturæ conflata sint interpretationibus, in eum venire debuerunt censum, quo quæcunque ad interpretandam Scripturam elaboravit Adamantius, continentur. Huc adjicit Epistolas Sixtus Senensis, quod propositas sibi circa Scripturæ illustrationem quæstiones rescribendo Origenes dissolverit. At cum alia quoque per Epistolas argumenta tractasse ipsum constet, velut cum ad Philippum Imperatorem, vel ad conjugem ipsius Severam, vel ad Fabianum
B Papam fidei suæ profitendæ caussa scriberet, merito inter Syntagmata Epistolas ipsius conjiciendas censemus.

VI. Qui interpretandis Scripturis triplex ἐξηγητικῶν genus adhibuit Origenes, is triplicem ex illis sensum eruere, ac investigare consuevit; historicum, quem & literæ sensum appellant, mysticum, & moralem. Sic ille Homil. 17. in Genes. ubi agit de benedictionibus Patriarcharum: *In ipso autem corpore & serie verborum, neque benedictiones tantum, neque futurorum sola prænuntiatio, quantum mores vel propositum eorum, vel etiam quædam ab eis gesta notabiliter arguuntur. Quæres nobis tripartitam (ut in aliis fecimus) explanationis materiam subjicit, ita ut benedictiones historiæ locum servent; prophetia vero mysticum atque dogmaticum, quorum correptio atq. objurgatio moralem dirigat stylum.* Quod idem in fine ejusdem Homiliæ
C repetit. Ab historico autem sensu ad mysticum, à mystico ad moralem fere progreditur; quamvis hunc ordinem pervertat nonnunquam, literam aliquando negligat, à morali expositione ad mysticam quandoque transeat. Quæ quoniam supra luculenter tractavimus, hæc obiter tetigisse sufficiat.

VII. Finem huic imponemus Sectioni, adducentes illud Ambrosii è libr. 5. Epist. 43. *Et si sciam, quod nihil difficilius sit, quam de Apostoli lectione disserere, cum ipse Origenes longe minor sit in Novo, quam in Veteri Testamento.* Cujus rei causssas quærenti mihi id succurrit, ætate Origenis pluribus Commentariis, interpretationibus, dissertationibus, Traditionibus illustratum fuisse Testamentum Vetus, quam Novum, cujus reconditiores sententiæ perpaucorum industria fuerant ad hoc tempus investigatæ; proindeque Instrumentum Vetus tra-
D ctantem Adamantium majori fuisse in luce versatum, quam cum Novo explicando operam suam navaret. Huc accedit antiquæ Legis abrogatas ceremonias & judicia enarrantem, minore periculo in allegorias excurrisse, & destruxisse literam, quam cum Christi decreta, & sanctiones Apostolorum, dogmatum suorum novitate depravaret.

SECTIO SECUNDA.

SINGULA ORIGENIS ΕΞΗΓΗΤΙΚΑ, QUORUM AD NOS PERVENIT NOTITIA, ENUMERANTUR.

E I. *Enumerantur Origenis Exegetica in Pentateuchum;* II. *in Josue, Judices; Libros Regum, Paralipomenon, Esdræ, & Job:* III. *in Psalterium:* IV. *in Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum:* V. *in majores Prophetas quatuor:* VI. *& in minores Duodecim:* VII. *item in Matthæum, Lucam, Johannem, & Acta Apostolorum:* VIII. *Epistolas Pauli, & Apocalypsin.*

I. POstquam varia Origenianorum Exegeticon genera percensuimus; singulas nunc exegeticas lucubrationes enumerare decet, quarum ad nostram ætatem notitia pervenit. Nam ex ingenti hac, quam diximus, scriptionum congerie, non modo
F pars intercidit maxima, sed multarum etiam tituli ac nomina obsoleverunt. Quarumcunq; ergo memoria aliqua in Veterum scriptis servata est, eas recensebimus sigillatim, & juxta librorum Scripturæ sacræ ordinem digeremus.

Scribit Epiphanius, ex eoque Cedrenus, & Suidas, singulos Scripturæ sacræ libros Origenis studio fuisse interpretatos. Auspicandum à Genesi, quam tredecim Commentariorum libris, & mysticarum Homiliarum libris duobus explicasse ipsum testatur Hieronymus apud Rufinum Invect. libr. 2. Idem Quæst. 1. ad Damas. narrat, Adamantium duodecimum & decimum tertium librum Commentariorum suorum in Genesin huic loco exponendo consecrasse: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Hinc emendandus Gen. 4. 14.
Eusebius cujus libro 6. Hist. cap. 24. hæc leguntur; κ) ὃ τὸ ἔννατον τῶν εἰς τὴν γένεσιν. δέκατον δὲ καὶ τρίτον πάντα

πάντα. ὧ μόνον τὰς πρὸ τῶ ἐννάτῳ φησὶ δῆλοῖ δὴ Ἀλεξανδρείας ὑπομνηματίζῃ. *In nono autem Commentario.* A
rum in Geneſin (ſunt autem omnino duodecim) non ſolum eos qui nonum præcedunt, oſtendit Alexandriæ fuiſſe compoſitos. Euſebium ſecutus eſt Suidas. Sæpe autem in numerorum notis laburtur librarii; inde fortaſſe error, adſcripto ιϛ pro η'. vel certe in eo Codice quo utebatur Euſebius, in unum coaluerunt poſteriores libri duo, utpote qui circa idem argumentum verſarentur.

Septendecim Homilias in Geneſin hodieque ſuperſtites Rufinus Latino ſermone donavit: diverſas illas eſſe à myſticis Homiliis infra oſtendemus. Idem certe Hieronymus in Epiſtola 126. ad Evagrium, ſcribit Origenem in prima Homiliarum in Geneſin de Melchiſedec diſſeruiſſe: cujus cum nulla habeatur mentio in prima Homiliarum quæ ſuperſunt, concluditur vel reſpexiſſe Hieronymum ad priorem Myſticarum Homiliarum, vel plures B
alias Homiliarum in Geneſin collectiones extitiſſe.

Fragmenta aliquot è Tomis Origenis in Exodum vigeſimo ſexto Philocaliæ capite con-
Rufin. Invect. lib. 1. tinentur. In eundem præterea librum, & in Leviticum Excerpta ſeu Scholia ſcripſiſſe cum tradit Hieronymus apud Rufinum. Duodecim vero Homilias in priorem hunc Scripturæ librum, ſexdecim in poſtremum Rufinus Latine refudit. Aliud ex Homilia ſecunda in Leviticum fragmentum habetur Philocaliæ primo capite, cujus ne apicem quidem in Homilia Latinæ editionis ſecunda, aliisve reperias. Ex quo facile intellectu eſt plures quoque in Leviticum Homiliarum collectiones fuiſſe. Id ex eo etiam probatur, quod cum Homilia 4. dicat Origenes ſe jam ſupra de lineis veſtibus ſæpe egiſſe, & Homilia 6. ſparſim ſe & ſæpe de conſecratione Sacerdotis & unctione diſſeruiſſe, nihil tamen ejusmodi in ſu- G
perioribus penitus extet. An ex Homiliis autem extemporalibus depromtum ſit fragmentum iſtud primi Philocaliæ capitis ex Homilia 2. in Leviticum, an ex elaboratis per otium, (utriusque enim generis Homilias profudiſſe Origenem demonſtrabimus infra) incertum eſt.

Præter Homilias octo & viginti in Numeros, Scholia quoque edidiſſe eum tradit Ru-
Rufin. Proleg. Homil. Origen. in Num. finus: ſed in unum ita cum Homiliis permiſta ſunt ab hoc Rufino, cum Latine utraque exponeret, ut pro eodem haberi poſſent: *Quæcunque*, inquit, *in Numerorum libro, ſive Homiliatico ſtylo, ſive etiam ex his quæ Excerpta appellantur, ſcripta reperimus, hæc perurgente te Romana, ut potuimus, voce ex diverſis in unum ordinem collecta digeſſimus.* Hieronymus in interpretatione duodecimæ Origenis in Jeremiam Homiliæ notat de ſacerdotalibus benedictionibus Adamantium diſſeruiſſe. Nihil autem hujusmodi in Rufiniana collectione comparet. Igi- D
tur vel Homilias iſtas pro conſuetudine ſua decurtavit & interpolavit Rufinus; vel aliquæ jam ipſius ætate exciderant.

Seſe aliquando in Deuteronomium diſſeruiſſe Origenes declarat Hom. 8. in Luc. Eundem vero librum explanaturum ſe affirmat Tom. 32. in Johann. Octo in eum Homilias Origenis commemorat Caſſiodorus libr. de inſtitut. divin. Scripturar. cap. 1. *Reliqui etiam vobis in Deuteronomium ſermones octo* (Origenis) *in quibus eſt minuta nimis & ſubtilis expoſitio.* Rufinus in Prologo ad Urſaicum: *Jam enim ex omnibus, quæ in Lege ſcripta reperi, ſola ut puto in Deuteronomio deſunt Oratiuncula, quas ſi Dominus juverit, & ſanitatem dederit oculis, cupimus*
Hier. Epiſt. 65. cap. 2. *reliquo corpori ſociare.* Porro memoratos in Pentateuchum Tomos ſignificavit Hieronymus, cum Ambroſium dixit Origenis Hexaëmeron compilaſſe. E

II. Viginti ſex Homilias in Joſue ex tempore ab Adamantio ſene recitatas, & induſtria Excerptorum ſervatas Rufinus Latine reddidit. Fragmentum ex Homilia 20. duodecimum Philocaliæ caput repræſentat. Homilias novem in Judices Latinis itidem verbis retulit Rufinus. Origenes in Prologo Commentariorum in Canticum Canticorum, agens de Cantico Deboræ ita ſcribit: *Verum & de his plenius in illis oratiunculis quas de libello Iudicum edidimus, diſſerta reperies.* Atqui ex oratiunculis in Judices quæ ſuperſunt, ſexta Canticum Deboræ explanat. Veriſimile ergo eſt, has ipſas Homilias deſignari ab Origene, proindeque ab eo ipſo fuiſſe editas, non ex tempore conceptas & recitatas. In libros Regum duæ omnino Homiliæ ſuperſunt: prior in 1. Reg. cap. 1. & 2. altera in 1. Reg. 28. in qua de Engaſtrimytho diſputatur. Priorem Latina habet Origenis editio; alteram è Vaticanis F
membranis Allatius eruit. Homilia inſuper tertia in Joſue ait Origenes ſe aliquando de duabus meretricibus, quarum litem Salomon diſceptavit, in Eccleſia ad populum diſſeruiſſe. Caſſiodorus præterea in libro de inſtitutione divinarum Scripturarum, cap. 2. affirmat ſe quatuor Origenis Homilias in primum librum Regum inveniſſe; unam in librum ſecundum; & unam, eamque prolixam in librum ſecundum Paralipomenon. Idem cap. 6. narrat, viſas ſibi in duos Eſdræ Libros ſingulas Origenis Homilias, quæ à Bellatore Presbytero Romana oratione explicatæ ſunt. Jobum multis Homiliis Origenes expoſuit. Sic Euſtathius Antiochenus in Diagnoſtico de Engaſtrimytho: ὡς δή γε τῷ πολλὰ παρομιλήσας ἰῶβ, ... μετώνομα εἰς ταὐτὸ συγκαίρων ὁμιλίας ὀνόμασι καὶ τρίβῳ χαυδαΐῳ. *Cum de miſero Iob*

A *Iob Homilias habuisset, in Filiarum nomina sublimi oratione excurrens, aniliter eo in argumento versatus est.* Has Homilias ad sensum fuisse ab Hilario conversas tradit Hieronymus in Catalogo Scriptor. Eccles. & Epist. 75. adv. Vigilantium, ubi & id apponit: *Cur Tractatus ejus* (Origenis) *in Iob descriptos habes, in quibus contra Diabolum, & de Stellis, cæloque disputans, quædam locutus est quæ Ecclesia non recipit?*

III. Psalterium Origenes triplici expositionum genere illustravit, Commentariis, Homiliis, & Scholiis. Primum illum inter Græcos integrum Psalmorum corpus multis voluminibus explicasse proditum est ab Hieronymo Epist. 89. ad August. quod de Commentariis intelligo. Ex his multa vel imitatum, vel interpretatum fuisse Hilarium idem auctor est; qui & septem è Tomis illis se Latinis verbis expressisse refert, à Psalmo nimirum decimo ad
B decimum sextum. Idem etiam libr. 1. Apolog. adv. Rufin. cap. 3. *Octogesimum quoq; nonum Psalmum*, inquit, *qui scribitur, Oratio Moysi, hominis Dei, & reliquos undecim, qui non habent titulos, secundum Huilli expositionem, ejusdem Moysi putat* (Origenes) *nec dedignatur Ebræam Scripturam interpretans, per singula loca quid Ebræis videatur inferere.* Ea porro Commentaria instigante Ambrosio suscepta, eidemque inscripta fuisse ex fragmento intelligimus, quod habet Epiphanius Hær. 64. cap. 7. Tractatus Origenis in Psalterium centum & quinquaginta vidisse se asseverat Trittemius in libr. de script. Eccl. Novem Homilias in Psalmos 36. 37. 38. Romano sermone Rufini opera donatas Latina Origenis habet editio. De Psalmorum illorum expositione ita Rufinus in Prologo: *Idcirco tibi eam, Aproniane fili charissime, in novem orationculas, quas Græci Homilias vocant, velut in uno corpore digestam in Latinum transtuli.*
C Eam in novem Homilias digestam se transtulisse dicit, non in novem Homilias digessisse; contra quam Erasmo, & Sixto Senensi visum est. Ex Homilia præterea in Psalm. 82. fragmentum historiæ suæ inseruit Eusebius: & Homiliam in Psalmum centesimum laudat ipse Origenes Homil. 15. in Jos. Denique brevibus Scholiis Psalterium fuisse ab Origene annotatum affirmat Hieronymus sive quisquis est Auctor Comm. in Psalm. in Procem. *Proxime*, inquit, *cum Origenis Psalterium, quod Enchiridion ille vocabat, strictis & necessariis interpretationibus annotatum in commune legeremus, simul utercque deprehendimus nonnulla eum vel perstrinxisse leviter, vel intacta penitus reliquisse; de quibus in alio opere latissime disputavit, quod scilicet non putaret rem magnam brevi sermone concludere.* Et deinde: *Non quod putem à me posse dici quæ ille præteriit; sed quod ea quæ in Tomis vel Homiliis ipse disseruit, vel ego digna arbitror lectione, in*
D *hunc angustum Commentariolum referam.* Quibus Tomi Origenis, Homiliæ, & Scholia in Psalterium singulatim notantur.

Erasm. in Censur. de Comment. in 3. Psal. Sixt. Bibl. libr. 4.

IV. Ex ejus Commentariis in Proverbia Salomonis particulas duas depromsit Pamphilus in Apologia. Catena quoque manuscripta Bibliothecæ Mazarinianæ in Lucam, ad cap. 8. v. 4. insigne fragmentum indidem expromit. Ipsius explicationum in Ecclesiasten scribit Sixtus meminisse Methodium in libro de resurrectione. Quod equidem in fragmentis, quæ apud Epiphanium, & Photium extant, nusquam reperio. In Canticum Canticorum multum laboris & studii contulisse ipsum testatur Gregorius Nyssenus. Commentarios quidem & Homilias in hunc librum dedit. Commentarii duplices fuerunt: Parvum Tomum juvenis scripsit, è quo laciniam capiti septimo Philocaliæ intextam deprehendas: annis vero
E provectior decem composuit Tomos, quos memorabili elogio Hieronymus exornavit, in Prologo ad Damasum, suæ interpretationi duarum Origenis Homiliarum in Canticum præfixo: *Origenes*, inquit, *cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit: nam decem voluminibus explicitis, quæ ad viginti usque versuum millia pæne perveniunt, primum Septuaginta Interpretes, deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & ad extremum Quintam Editionem, quam in Actio littore invenisse se scribit, ita magnifice, aperteque disseruit, ut inde mihi videatur in eo completum esse quod dicitur: Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Horum Commentariorum pars non contemnenda in Editione Latina hodieque supereſt, sed male in Homilias distributa, ut ostendemus inferius, cum de superstitibus Origenis Operibus erit agendi locus. Homilias autem in Canticum duas Hieronymus Latine explicavit, *quas*, ut ipse
F ait, *in morem quotidiani eloquii parvulis adhuc lactentibus* (Origenes) *composuit.*

Greg. Nyss. in Procem. Comment. in Cant. Cantic.

V. Isaiam Adamantius Commentariis, Homiliis, & Scholiis interpretatus est; & Commentariorum quidem triginta libris, Homiliis viginti quinque. Hieronymus libr. 1. Apolog. adv. Rufin. cap. 3. *Certe etiam Origenes Patriarchen Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat; & tricesimum tomum in Esaiam, in cujus fine edisserit: Væ tibi civitas Ariel, quam expugnavit David, illius expositione concludit; ut cum aliter prius sensisse se dicat, doctum ab illo, id quod est verius, confitetur.* Et in Procemio ad primum Commentariorum suorum in Isaiam librum: *Scripsit in hunc Prophetam juxta Editiones quatuor, usq; ad visionem quadrupedum in deserto Origenes triginta volumina, è quibus vicesimus sextus liber non invenitur. Feruntur & alii sub nomine ejus de visione τετραπόδων duo ad Gratam libri, qui pseudographi putantur; & viginti quinq. Homiliæ: & ἐπιμετρήσεις quas nos Excerpta possumus appellare.* Plura autem scripsisse illum persuadere possunt

Euseb. l. 6. Hist. c. 32. hæc Eusebii verba, unde sua Hieronymus mutuatus est: καὶ ὡριγένης δὲ κ τοῦτον τὸν χρόνον τὰ εἰς τὸν Ἡσαΐαν συνετάξατο, ὧν εἰς μὲν τὸ τρίτον μέρος τῆς Ἡσαΐου μέχρι τῆς ὁράσεως τῶν τετραπόδων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ, τριακοντα εἰς ἡμᾶς προῆλθον τόμοι· *Hac tempestate Origenes commentarios suos in Isaiam composuit, è quibus in tertiam quidem partem Isaiæ, usque ad visionem quadrupedum in deserto, triginta ad nos Tomi pervenerunt.* Et continuo de Commentariis ejusdem in Ezechielem agens, viginti quinque sua ætate extitisse ait, neque plures Origenem in hunc Prophetam scripsisse: quasi subinnuens aliquos è Commentariis in Isaiam intercidisse. In antiquo Codice Marchali, unde Isaiæ contextum depromsit Curterius, & cum Procopii Commentariis edidit, Tomorum illorum Origenis numeri ad limbum adscripti sunt, & in tricesimo desinunt, qui notatus est ad oram capitis 29. v. 1. atque hinc proinde pertinuit ad cap. 30. v. 6. unde initium ducit visio quadrupedum. A B

Jeremiæ Prophetiam per Homilias Adamantius explicavit. Quatuordecim ex Homiliis confuso ordine Hieronymus in Latinum sermonem transtulit. Novemdecim habuit Scorialensis Codex, quo usus est Corderius, sub nomine Cyrilli; quarum duodecim inter Hieronymianas jam ante habebantur. Fragmentum ex Homilia trigesima nona decimum offert Philocaliæ caput. Cassiodorus in libro de instit. divinar. Scriptur. cap. 3. asserit Origenem 45. Homiliis Jeremiam exposuisse, ex iisque quatuordecim sibi fuisse inventas, eas nimirum quas Hieronymus Latinitate donaverat. Denique Rabanus Maurus quinque illas supra quadraginta Origenis Homilias in Jeremiam vidisse se asseverat. At in Threnos Jeremiæ novem Origenes dictaverat Tomos, ex quibus quinque duntaxat ad suam ætatem perseveravisse Eusebius memoriæ prodidit. C

Euseb. libr. 6. Histor. cap. 32. Ezechielem viginti quinque Tomis ab Origene fuisse illustratum docet idem Eusebius. Docet & vetus Marchali liber omnes Prophetas complexus: nam ad Ezechielis oram Origenianorum Tomorum numeri suis sunt notati locis, nec plures sunt quam quinque & viginti. Ex Homiliis vero in Prophetæ hujus enodationem pronuntiatis, quatuordecim ab Hieronymo Romanis conversæ verbis in Latinam editionem conjectæ sunt. Ex hoc Origenis loco Tract. 29. in Matth. *Quæ autem sequuntur in textu Danielis, sicut potuimus, exposuimus,* in Danielem aliquid ab ipso compositum fuisse discimus: & è Prœmio quoque Hieronymi ad undecimum Commentariorum in Isaiam, in quo ait, sese Origenem cum aliis fuisse assentatum in Expositione septuaginta Hebdomadarum; nisi quis hæc in aliis fortasse libris obiter ab Origene tractata fuisse dicat. Multo igitur minus hæc addocent Homiliasne an Commentaria in Danielem ediderit. Cæterum cum novemdecim Origenis Homilias in Jeremiam, falso Cyrillo adscriptas è Scorialensi codice depromserit Balthasar Corderius, & in editionis suæ Præfatione notaverit ejusdem Auctoris Commentarios in Ezechielem & Danielem contineri in hoc ipso Codice, caveat Lector, ne eos quoque Cyrillo perperam tribui, itidem ut Homilias in Jeremiam, & ad Origenem pertinere temere existimet: tam enim Cyrilli quam Origenis esse possunt: re ipsa quippe in omnes Prophetas scripsisse fertur Cyrillus, & ejus etiam in Danielem Homilias in Vaticana Bibliotheca servari tradit Sixtus Senensis. Rei veritatem vel sciunt, vel scire possunt Scorialenses illi Hieronymiani, qui his thesauris incubant. D

Sixt. lib. 4. Bibl. in Cyrillo.

VI. In duodecim Prophetas viginti quinque ἐξηγήσεων Origenis volumina manu Pamphili exarata reperisse se narrat Hieronymus: plures tamen scripsisse Adamantium significat Eusebius: τούς τε εἰς τοὺς δώδεκα προφήτας τόμους συνέταξε, ἀφ' ὧν μόνους εὑρομεν πέντε καὶ εἴκοσι. *Et Tomos in duodecim Prophetas conscribit, ex quibus quinq; & viginti duntaxat reperimus.* In Oseam nonnulla scripsisse fertur, atque item in Zachariam, nec non & in Malachiam: atque hos Commentarios è viginti quinque ἐξηγήσεων illarum numero fuisse arbitror. In Oseam quid commentatus sit, his verbis tradit Hieronymus: *Origenes parvum de hoc Propheta scripsit libellum, cui hunc titulum imposuit:* ὡς τοῦ πῶς ὠνομάσθη ἐν τῷ ὡσηὲ ἐφραΐμ· *hoc est: Quare appellatur in Osee Ephraim: volens ostendere quæcunque contra eum dicuntur, ad Hæreticorum referenda personam. Et aliud volumen* ἀκέφαλον καὶ ἀτέλειστον, *quod & capite careat & fine.* Addit præterea: *Qui* (Didymus) *tres libros me petente dictavit, quinq; quoque alios in Zachariam. Nam & in ipsum duo tantum Origenes scripsit volumina, vix tertiam partem à principio libri usque ad visionem quadrigarum edisserens.* Idem in Prologo ad primum Commentariorum in Zachariam: *Scripsit in hunc Prophetam Origenes duo volumina usq; ad tertiam partem libri à principio.* Hæc Hieronymus de Commentariis Origenis in Zachariam: istud vero de ejus voluminibus in Malachiam: *Scripsit in hunc librum Origenes tria volumina, sed historiam omnino non tetigit, & more suo totus in allegoriæ interpretatione versatus est.* E F

Hieronym. libr. de script. Eccl cap. 86. Euseb. libr. 6. cap. 36. Histor. Hier. Proœm. Comm. in Oseam. Hier. Proœm. Comment. in Malach.

VII. De Origenis Exegeticis in Matthæum id habet quoque Hieronymus: *Legisse me fateor ante annos plurimos in Matthæum Origenis viginti quinque volumina, & totidem ejus Homilias, Commaticumq; interpretationis genus:* hoc est, Commentarios, Homilias, & Scholia. Totidem ejus Commentarios numerat Eusebius libr. 6. Histor. cap. 36. Quapropter mendosa esse

Hieron. Proœm. Comm. in Matth.

esse liquet hæc verba è Prologo Hieronymi, qui præfixus est Latinæ interpretationi Homiliarum Origenis in Lucam: *Siquidem illud quod olim Romæ sancta Blæsilla flagitaverat, ut 36. Tomos illius in Matthæum, & quinq; alios in Lucam, & 39. in Iohannem nostræ linguæ traderem.* Legendum enim: *25. Tomos illius in Matthæum.* Corruptam lectionem Erasmus, Sixtus Senensis, & Josias Simlerus ac Conradus Frisius secuti sunt. Mendosa quoque illa in Rufini Invectiva 2. in Hieron. in quibus viginti sex Origenis in Matthæum libros ab Hieronymo commemoratos fuisse refert; quem etiam errorem secutus est Vincentius Bellovacensis Specul. Doctrinal. libr. 18. cap. 43. Bonam illorum partem Græce repræsentavimus, meliorem tempus consumsit. Misere vero deformata sunt, quæ Latinis Editionibus continentur. Inter Homilias quæ *in diversos* inscribi solent, septem circa Matthæi interpretationem versantur, sed quoniam incerti sunt auctoris & fidei, suo loco excutientur.

Erasm. in Censur. lib Orig. Sixt. Bibl. libr. 4. Ios. Siml. et C. Fris. in Epit. Bibl. Gesner.

Quinque Tomos Origenis in Lucam Hieronymus commemorat. Novem vero & triginta ejusdem Homilias in hunc Evangelistam Latina oratione expressit, quibus pepercit annorum inclementia, Tomis consumtis. Plures vero ab Origene fuisse conscriptas cur suspicer, faciunt postremæ sex, quæ cum continuatum in superioribus ordinem non teneant, è majori numero videntur detractæ. Facit & ipse Origenes Tomo 13. in Matth. pag. 333. ubi quædam à se in Homiliis in Lucam scripta narrat, quorum nulla in superstitibus Homiliis apparent vestigia. Comment. in Joh. Tomos triginta duos Adamantius edidit. Ita Rufinus Invect. 2. in Hieron. *Interim Origenis libros, ut supra diximus, in omnem admirationem extollit, & dicit, quod si eos interpretetur Romana lingua, cognoscet quantum boni & ante nescierit, & scire nunc cœperit, id est, in Matthæum, inquit, viginti sex libros* (lege, *viginti quinque*) *& in Lucam quinque, & in Iohannem triginta duos.* Inde est quod in Codice Commentariorum in Johannem quo usus est Ambrosius Ferrarius novem interruptæ seriei Tomi in 32. Tomos fuerant distributi. Emendetur ergo locus ille Prologi Hieronymi ad Homilias Origenis in Lucam à se conversas: *Siquidem illud quod olim Romæ sancta Blæsilla flagitaverat, ut 36. Tomos* (lege 25. *Tomos*) *illius in Matthæum, & quinque alios in Lucam, & 39. in Iohannem nostræ linguæ traderem.* Lege 32. *in Iohannem*; non ut legisse videtur vir eruditus, *triginta quatuor.* Scribit Eusebius ex universa hac Commentariorum mole duos & viginti duntaxat libros suo ævo extitisse. His vero temporibus vix supersunt novem. Duæ præterea in Johannem reperiuntur Homiliæ inter eas quæ *in diversos* inscribuntur; sed quoniam de ipsarum Auctore non constat, de ipsis alias quæstionem habebimus. De Expositionibus in Acta Apostolorum unum illud quod scribam habeo, aliquot Homilias in illa fuisse ab Origene lucubratas: caput siquidem Philocaliæ septimum claudit exiguum fragmentum è quarta Homilia in hunc librum.

Hier. Prolog. in Homil. Orig. in Luc.

Euseb. lib. 6. Histor. cap. 24.

VIII. Ad enodandas Pauli Epistolas ingentem operam & laborem Origenes contulit: præcipue vero circa Pauli Epistolam ad Romanos summam adhibuit diligentiam; nam quæ in Latina Editione à Rufino conversa extant, vix mediam Commentariorum exæquant partem, quos in eam Epistolam ediderat. Rufinus in Præfatione ad Heraclium interpretationi suæ præfixa, *Suades*, inquit, *ut nostra voce quindecim ejus* (Origenis) *volumina, quibus Epistolam Pauli ad Romanos disseruit, explicemus.* Ita legerunt & ediderunt Merlinus, Erasmus, & Genebrardus: inde Sixtus Senensis scripsisse Origenem dixit in Epistolam ad Romanos Commentariorum libros quindecim. At eos viginti numero fuisse asserit Cassiodorus libr. de instit. divinar. scriptur. ita loquens: *Sancti Pauli prima omnium & admirabilior destinata cognoscitur ad Romanos, quam Origenes viginti libris Græco sermone declaravit: quos tamen supradictus Rufinus in decem libros redigens, adhuc copiose transtulit in Latinum.* Confirmatur illud ex his Rufini verbis in Præfatione mox laudata: *Addis autem ne quid laboribus meis desit, ut omne hoc quindecim voluminum corpus, quod Græcus sermo ad quadraginta fere, aut eo amplius millia versuum produxit, abbreviem, & ad media, si fieri potest, spatia coarctem.* Igitur Rufini interpretatio media circiter pars est Origeniani Operis; atqui hæc interpretatio decem complectitur libros; viginti ergo opus Origenianum complectebatur. Igitur pro *quindecim* legendum apud Rufinum *viginti*. Addit deinde Rufinus interpolata fuisse Commentaria Origenis, & in omnibus fere Bibliothecis defuisse *aliquanta ex ipso corpore volumina.* Epistolam ad Corinthios priorem latissime interpretatum esse ipsum, ait Hieronymus Epistol. 52. ad Pammach. Id confirmatur ex ipsius Origenis Homilia 17. in Luc. in qua se disseruisse ait in hujus Epistolæ caput 1. vers. 2. Epistolam quoque ad Galatas Commentariis, Homiliis, & Scholiis explicavit. Testis Hieronymus: *Scripsit ille vir* (Origenes) *in Epistolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina, & decimum Stromatum suorum librum commatico super explanatione ejus sermone complevit; Tractatus quoq; varios, & Excerpta, quæ vel sola possint sufficere, composuit.* Hæc verba repetit subinde Epistol. 89. ad Augustinum; tum subjungit paulo post: *Hanc autem explanationem, quam primus Origenes in decimo Stromateon libro, ubi Epistolam Pauli ad Galatas interpretatur, & cæteri deinceps Interpretes sunt secuti,* &c. Docet nos etiam Hieronymus tribus voluminibus Epistolam ad Ephesios eundem illustrasse, ipsumque se fuisse secutum;

Hieron. in Procem. Comment. in Epist. ad Galat.

tum; quod iterat libr. 1. Apol. adv. Rufin, cap. 4. & 5. Fragmentum è libro tertio in Epistolam ad Colossenses adducit Pamphilus in Apologia. In priorem ad Thessalonicenses Epistolam ἐξηγητικὰ edidisse Origenem discimus ab Hieronymo, cujus hæc verba sunt Epistol. 152. ad Minerium & Alexandrum: *Origenes in tertio volumine* ἐξηγηματικῶν *Epistolæ Pauli ad Thessalonicenses primæ, post multa quæ vario prudentique sermone disseruit, hæc intulit: de quibus nulli dubium est Acacium pleraque libasse.* Atque hæc ἐξηγητικὰ libr. 2. contra Celsum laudantur. Decerptis è libro Origenis in Epistolam ad Titum laciniis locupletavit Apologiam suam Pamphilus, easque ita commendavit: *Quæ quidem non in publico dicta sunt ab eo, id est, in communi Ecclesiæ auditorio, ne forte putetur propter audientes favorabilem aptasse sermonem: sed ex aliis hæc libris protulimus, quos in secreto apud semetipsum nullo arbitro intercedente dictabat.* Denique in Epistolam ad Ebræos Commentaria & Homilias emisit. Commentariorum fragmentis in Apologia usus est Pamphilus. Quæ si quis ex Homiliis profecta esse velit; sciat ille, nulla ex Homiliis testimonia Pamphilum hoc Opere protulisse: id ipse asseverat: *Incipientes igitur indiciis scriptorum suorum ostendere quid de singulis senserit, ex his præcipue libris testimonia congregabimus, quos accusatores ejus quam maxime criminantur, id est, quos per spatium & quietem in secreto conscripsit; hos enim asserunt maxime à prædicatione Ecclesiastica discrepare.* Quamvis autem Homilias aliquot per otium, ut dixi, lucubraverit, in secreto tamen conscriptæ dici non possunt, quæ ad id conscribebantur, ut populo universo audiente recitarentur. Homilias autem Origenis in illam ad Ebræos Epistolam allegat Eusebius libr. 6. Hist. cap. 25.

Utrum Apocalypseos mysteria scriptione aliqua Adamantius aperuerit, incertum est; constat illud modo, mente id destinasse ipsum, cum Matthæum interpretaretur, in senecta nempe ætate; Tractatu quippe 30. in Matth. futurum pollicetur, ut ad libri hujus enodationem animum aliquando appellat. Quod si spem fefellit eventus, consilium morte peremtum crediderim. Tradit certe Epiphanius, ut supra dictum est, propositum fuisse Origeni Scripturam universam enarrare.

Epiphan. Hær. 64. cap. 3.

SECTIO TERTIA.

DE ORIGENIS EXEGETICIS QUÆ SUPERSUNT, DEQUE VETUSTIS IPSORUM INTERPRETATIONIBUS.

I. *De Exegeticis in Genesin*, II. *Exodum*, III. *Leviticum*, IV. *& Numeros*: V. *in Josue, Judices, Reges*, VI. *Psalmos, & Proverbia*: VII. *Canticum Canticorum*: VIII. *Isaiam*, IX. *Jeremiam*, X. *Ezechielem*, XI. *& Oseam*, XII. *in Matthæum*, XIII. *Lucam*, XIV. *Johannem, & Acta Apostolorum*: XV. *& in Epistolas ad Romanos, Colossenses, Titum, & Ebræos.*

I. EX immenso Origenianorum ἐξηγητικῶν numero, ne brevis hæc quidem, quam recensuimus, series ab injuria temporum fuit immunis; maxima siquidem scriptionum illarum pars intercidit, adeo ut perpaucæ admodum vetustatis subterfugerint invidiam, & velut laceræ è naufragio tabulæ ad nos transmissæ sint. Laceras dixi, nam vel truncatæ, & magna sui parte mutilatæ, & male mulctatæ sunt, vel perversis interpretationibus deformatæ. Attamen ut in aurificum officinis pretiosa ipsa scobs est, & studiose colliguntur ramenta; ita nos aureas magni Origenis reliquias, quoad ejus fieri poterit, è tenebris ac pulvere vindicemus. Initium erit à Genesi. Hanc diximus superiore sectione tredecim Commentariorum libris fuisse ab Origine expositam. Ex his fragmenta duo libris suis de præparatione Evangelica Eusebius inseruit: prius extat libr. 7. & capitis prioris Geneseos versum duodecimum explicat; Commentariorum autem partem esse ex stylo arguitur: posterius illustrat capitis ejusdem versum decimum quartum, jacet autem in libro sexto Eusebii. Habetur etiam in Philocaliæ capite 22. fragmenti hujus pars aliqua, unde discimus è tertio Tomo Commentatiorum Origenis depromtum illud esse. Aliud præterea reperitur Philocaliæ cap. 14. ubi ex eodem Tomo petitum id esse significatur. Ex horum e librorum Præfatione exiguum fragmentum, & aliud quoque è libro primo recitat Pamphilus in Apologetico. Scripserat Origenes Homiliarum mysticarum in Genesin libros duos: illarum partem esse septemdecim eas quæ supersunt arbitratus est Sixtus Senensis. Huic ego neutiquam assentiri possum: Homiliæ enim quas habemus, extempore videntur fuisse pronuntiatæ, & ab actuariis in literas relatæ; mysticæ vero meditate per otium elaboratæ, & ab Origene ipso editæ sunt. Editio Merlini Hieronymo tribuebat earum interpretationem quæ supersunt; hanc Rufino deberi agnoverunt Erasmus & Ge-

A & Genebrardus. Id probatur ex ipsius Prologo ad Ursacium: *Nam & promisisse me memini, ut si quæ sint Adamantii senis in Legem Moysi dicta colligerem, atque ea Latino sermone nostris legenda transferrem:* & deinde: *Igitur ut possum quæ injunxisti, explicare contendo. Iam enim ex omnibus quæ in Lege scripta reperi, solæ ut puto in Deuteronomio desunt oratiunculæ.* Atqui Latine redditas habemus Homilias in quatuor priores libros Pentateuchi; quis ergo Rufinum Interpretem ausit inficiari? Probat ipsum hoc Peroratio subjecta interpretationi Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos, quam Rufino adscribendam esse suo loco docebimus: is in ea se Origenis Homilias in Genesin, Exodum, & Leviticum Latine convertisse scribit. Nulla itaque adhibenda est fides antiquo Codici Bibliothecæ Regiæ, in quo illa ipsa de qua agimus Homiliarum Origenis in Genesin interpretatio Hieronymo adscribitur.

B Observet interim Lector, postremam Homiliam bona sui parte esse mutilatam; nam omnes Patriarcharum benedictiones pro instituto non persequitur, & solenni caret clausula, quam Homiliis suis omnibus Origenes imponere consuevit.

II. Commentariorum in Exodum lacinias aliquot vigesimo sexto Philocaliæ capiti Basilius & Gregorius intexuerunt. Homiliæ vero duodecim Latina editione continentur. Nomen Interpretis adscriptum non est, sed ex Prologo Rufini ad Ursacium, & ejusdem Peroratione ad interpretationem Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos, quæ mox laudavimus, manifestum est non alium Interpretem quam Rufinum quæri debere: id quod vel ex ipsa styli similitudine statim deprehendas. Fallitur ergo Sixtus Senensis Hieronymo interpretationem hanc tribuens.

C III. Ad interpretationem Homiliarum Origenis sexdecim in Leviticum Rufino itidem adjudicandam, & arguendum Sixtum qui eam Hieronymo adscribit, valere debent eadem argumenta. Qualiter autem in interpretandis Homiliis illis, & quæ in Genesin, & quæ in Exodum habitæ sunt, se gesserit Rufinus, id ipse declarat in Peroratione mox citata: *Fateor namque, Heraclifrater amantissime, quod dum tuis desideriis satisfacere cupio, oblitus sum pæne mandati quo præcipitur: Onus supra vires tuas ne levaveris: quamvis nobis nec in cæteris quæ te insistente, imo potius pensum diurni operis exigente, in Latinum vertimus, defuerit plurimus labor, dum supplere cupimus ea quæ ab Origene in auditorio Ecclesiæ ex tempore, non tam explanationis, quam ædificationis intentione perorata sunt: sicut in Homiliis, sive in Oratiunculis in Genesin & in Exodum fecimus, & præcipue in his quæ in librum Levitici ab illo quidem perorandi stylo dictata, à nobis*

D *vero explanandi specie translata sunt. Quem laborem adimplendi quæ deerant idcirco suscepimus, ne pulsatæ quæstiones & relictæ, quod in Homiliatico dicendi genere ab illo sæpe fieri solet, Latino Lectori fastidium generarent.* Egregium scilicet Interpretem, de suo quidquid libitum est largientem. Hoc illi debemus tamen, quod legitimo suo auctori restitutæ sunt; quæ inter Cyrilli Opera falso venditabantur. Itaque Bellarminus, qui lib. 4. de verbo Dei, cap. 11. essentne Origenis definire non ausus fuerat, easdem in libro de scriptor. Eccles. absque hæsitatione huic attribuit. Unde explodendus Heterodoxus quidam, qui eas posuit nuper inter Opera Origenis suppositicia. Cæterum primum Philocaliæ caput fragmentum exhibet ex Homilia secunda in Leviticum, quæ quidem ab Homilia secunda Rufinianæ collectionis plane diversa est. Decurtatam ea particula & mutilatam à Rufino Homiliam hanc opinati sunt quidam; sed multo verisimilius est plures fuisse Homiliarum istarum collectiones, &

E in una quidem secundum tenuisse locum Homiliam illam, unde prodiit Philocaliæ fragmentum, quæ à Rufiniana collectione abfuerit. Homilias quidem in Numeros, quæ supersunt, à se collectas & digestas Rufinus ipse prædicat, ut mox dicemus. Homiliæ in Jeremiam ab Hieronymo Latine redditæ, alio ordine in Editione Latina, quam in Codicibus Græcis collocatæ sunt: quod & alibi factum observabimus. Idem itaque Homiliis in Leviticum contigisse, & pro Interpretum, studiosorumve libitu variis modis fuisse selectas, & ordinatas existimare proclive est.

IV. Ex Prologo quem præfixit Rufinus interpretationi suæ octo & viginti Homiliarum Origenis in Nnmeros, quæ ad hanc diem supersunt, & ex ipso etiam stylo intelligitur vehementer eos falli, quicunque alium Interpretem assignant quam Rufinum. *Quæcunque,*

F *in Numerorum libro, sive Homiliatico stylo, sive etiam ex his quæ Excerpta appellantur, scripta reperimus, hæc perurgente te* (Ursacium alloquitur,) *Romana ut potuimus voce ex diversis in unum ordinem collecta digessimus.* Has nempe quas habemus Homilias undecunque collectas pro arbitrio suo in ordinem disposuit, simulque etiam Scholia ipsa permiscuit; quod Rufino Interprete dignum erat. Inanis itaque est Andreæ Riveti Observatio, Auctorem Homiliarum istarum Latinum esse ex eo arguentis, quod Homil. 12. differentia notetur inter, *excudere, & exsidere*: quæ Rufini Interpretis munificentiæ accepta referenda sunt. Oratiunculas vero in Deuteronomium quo minus Latine exposuerit, quemadmodum animo destinaverat, mors impedimento fuit.

V. Homilias Origenis in Josue sex & viginti Latina nobis exhibet Editio. Hieronymo

interpretationem tribuit titulus Prologi: sed tam interpretatio, quam interpretationi præfixus Prologus prorsus Rufinum auctorem habent. Ac stylus quidem stylo superiorum Homiliarum cum orationis contextu, tum dictionum delectu perquam similis est. Nec interpretem se dissimulat ipse Rufinus in Peroratione suæ interpretationis Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos. Prologus quoque Rufinianas merces olet. Cur Hieronymo tributus sit, caussæ id fuisse puto. Scripserat in Prologo Galeato Hieronymus: *In Templo Dei offert unusquisq; quod potest; alii aurum, argentum, & lapides pretiosos: alii byssum & purpuram, & coccum offerunt, & hyacinthum: nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles, & caprarum pilos.* Hæc in Prologo suo expressit Rufinus, & dilatavit. Idem Chromatium alloquitur, quem Præfationibus suis in Paralipomena & in Tobiam Hieronymus compellat. Hos illi titulos largitur Rufinus: *O mi semper venerabilis pater Chromati*; istos Hieronymus in Prologo libri 2. Comment. in Habacuc: *Mi Chromati, papa venerabilis.* Ex his natus error. Nec id casu tamen, sed dolosis Rufini artibus factum conjicio, qui cum se Origenismi vulgo suspectum esse, propterea que minus vendibiles merces suas intelligeret, fucum incautis lectoribus facere voluisse verisimile est; Hieronymi autem adversarii sui nomen præscripsit, quo eum quoque in Origenismi suspicionem vocaret, à quo tam sæpe doctrinæ hujus fuerat criminatus. Simili vafritie adversus eum usus est in Peroratione interpretationis Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos, ut suo loco à nobis dicetur. Rufini autem non minus familiaris fuisse videtur Chromatius, quam Hieronymi, utpote Episcopus Aquilejæ, quæ Rufini patria fuit. Gratianus Causs. 23. quæst. 1. ex Homilia 15. Origenis in Josue locum affert, quem Gregorio adscribit. Nempe locum hunc sibi usurparat Gregorius, quem aliunde arreptum esse Gratianus advertere debuit. Homiliæ vigesimæ insigni parte constat duodecim Philocaliæ caput. Hanc si cum Rufini interpretatione conferas, verene hæc in laudata toties Peroratione de se prædicaverit Rufinus, deprehendes: *Nam illa quæ in Iesu Nave, & in Iudicum librum, & in trigesimum sextum, & in trigesimum septimum, & trigesimum octavum Psalmum scripsimus, simpliciter expressimus ut inventimus, & non multo cum labore transtulimus.* Rufinum quidem interpretationis hujus auctorem agnoscit Erasmus: at Præfationem confictam à Bibliopolis & suppositam existimat, idcirco quod solœcismis & sermonis ineptiis scateat, & quod Homilias istas in Josue extemporales esse significet, cum scribat tamen Athanasius diligentissimum Origenem fuisse. Futilia sane argumenta. Quasi non orationem suam stribliginibus quoque inquinaverit Rufinus; quasi non homilias & ex tempore pronuntiaverit Origenes, & per otium lucubraverit, ut infra demonstrabimus. Hæc Erasmi censura quantumvis inepta, ineptiorem etiam istam à Magdeburgensibus expressit: *In librum Iesu Nave Homiliæ 26. supersunt, quas non esse Origenis Erasmus indicat, ex solœcismis dictionum, & locutionum improprietate, & sermonis ineptiis; item ex singulis allegoriis; tum quod Hieronymus in Catalogo Scriptorum nullam hujus operis mentionem faciat.* Quod de Præfatione dixit Erasmus, de Homiliis dictum arbitrati sunt Magdeburgenses. Id longe abest ab Erasmi sententia: nam hoc argumento suppositiam putat Præfationem, non quod Homilias istas Origeni falso ipsa adscribat, sed quod ex tempore ab ipso recitatas fuisse doceat. Tum addit: *His adjiciam quod ut Hieronymus in Catalogo Scriptorum nullam hujus Operis facit mentionem, ita Rufinus in Peroratione quam paulo ante citavimus, profitetur se hujus libri, & sequentis Iudicum Interpretem.* Ait Erasmus opera sua recensentem Hieronymum in Catalogo Scriptorum nullam Interpretationis hujus feciisse mentionem; Rufinum vero in Peroratione subjecta Commentariis Origenis in Epistolam ad Romanos se ejus auctorem esse professum. Atque ait id quidem, ut Rufinum, non Hieronymum, Interpretationis hujus auctorem esse probet; non ut falso Homilias ipsas Adamantio adscribi demonstret, quod putaverunt Magdeburgenses. Sic demum concludit: *Hæc pluribus inculcare visum est, ob morosa quorundam crassaque judicia, qui nimium tribuunt quibuslibet titulis ac Præfatiunculis.* Quibus verbis satis ostendit se de Præfationis, non de Homiliarum Auctore disputasse. Et tamen Magdeburgensium sententiam amplexum esse video Gulielmum Perkinsium, aliumque ætatis hujus Heterodoxum, virum bene doctum, cujus nomini parco.

Erasm. in Censur. libr. Orig.

Magdeb. Cent. 3. cap. 10.

Perkins. in Problem. de ementito fidei Romanæ Catholicismo.

Ex eadem Rufini Peroratione proxime commemorata Homiliarum novem in Judices auctor esse Origenes, Rufinus Interpres, & quidem, si quid ipsi credendum, satis accuratus deprehenditur. Nec aliunde profectam dicas Homiliam unicam in Reges Latine editam, sive opus ipsum, sive interpretationem spectes. Illud in ea maxime animadverti velim, quod habetur circa initium: *Nolite ergo in nobis illud requirere, quod in Papa Alexandro habetis. Fatemur enim quod omnes nos superat in gratia lenitatis.* Alexandrum Hierosolymitanum Præsulem significat, à quo ad Presbyterii ordinem fuerat promotus. Quod cum ignoraret Andreas Rivetus, frustra ex iis occasionem sumsit Homiliæ hujus Origeni abjudicandæ. *At quis ille*, inquit, *Alexander Papa? Si primus Episcopus Romanus ejus nominis, multo antiquior est: sin vero Episcopus Alexandrinus, multo recentior; successit enim Achillæ anno Christi 311. cum Origenes extre-*

A *extremum diem obiisset circa annum 256.* Alteram Homiliam de Engastrimytho, quam è Vaticana Bibliotheca erutam publicavit Allatius, & Codicis fides, & stylus ipse, & Eustathii Diagnosticus Origenis esse demonstrant.

VI. Agnoscimus etiam ex proxime allato Rufinianæ Perorationis testimonio Homilias novem in Psalmos 36, 37, & 38. Origeni merito abscribi, Rufino vero interpretationem; eamque simpliciter fuisse expressam. In gratiam Aproniani viri nobilis, & cauſlæ ſuæ faventis laborem hunc susceptum à se declarat in Prologo his Homiliis præfixo. Tangendus hic obiter Erasmus, qui in Censura super his Homiliis, criticæ suæ nimium permittit, earumque auctorem, & interpretem, dubios facit: *Nec ipse*, inquit, *qui præfatur, profitetur se has Homilias simpliciter vertisse, ut habebantur apud Græcos, nec illic exprimit nomen Auctoris.* Verum quidem;
B at meminisse debuerat Erasmus Auctorum nomina Operum initiis præscribi solere, ac proinde præfantem Rufinum necesse non habuisse profiteri has Homilias se ex Origene vertisse, cum id titulus clamaret. Futilius etiam est argumentum petitum ex Peroratione, in qua nomen Auctoris non expressit. Agebat de Operibus Origenis à se interpretatis; Origenem ipsum nominaverat; Homiliarum ipsius in Genesin, Exodum, & Leviticum mentionem fecerat: addit deinde: *Nam illa quæ in Iesu Nave, & in Iudicum librum, & in trigesimum sextum, & in trigesimum septimum, & trigesimum octavum Psalmum scripsimus, simpliciter expressimus ut invenimus.* Facile sane intelligitur hæc quoque Opera, itidem ut proxime commemorata, Origenis esse, cujus nomen ad singula apponere superfluum fuisset & molestum.
Quod si hæc Origeniani nominis prætermissio dubium Auctorem facit, cur de Auctore Ho-
C miliarum in Psalmos dubitavit Erasmus, de Auctore Homiliarum in librum Judicum neutiquam dubitavit? par enim erat utrobique ratio. Eodem modo de Auctore interpretationis ratiocinamur: quænam enim hæc est ἀποκλήρωσις, reliquarum Homiliarum in Peroratione memoratarum interpretationem tribuere Rufino; hanc vero illi, earum itidem ut aliarum interpretem se profitenti abjudicare? Magni profecto & excellentis ingenii vir fuit Erasmus, sed præcipitis judicii. Hanc tamen ejus censuram sequuntur Magdeburgenses, sequitur & Robertus Cocus Anglus; eamque hoc fulcit argumento; *quod in diversis textibus explicandis, quomodo Latine, quomodo Græce se habent, enarrat. Exempli gratia in Psalmum 6. Hic (inquit, verba faciens de textu quodam in Deuteronomio) ubi Latine dicitur: In zelum adduxerunt me, & ego in zelum adducam, in Græco idem ipse sermo est, qui & in Psalmi initio est dictus:*
D *Æmulati sunt me, & ego æmulabor eos.* Parum enimvero perspecta fuit huic censori Rufini licentia, cui solenne est ejusmodi additamenta ad Auctoris contextum adjicere. Hoc amplius, Erasmus ex Origenianis in Psalterium Commentariis depromtum hunc Homiliarum librum, liberius conversum, & in Homilias dissectum, immani prorsus audacia conjectat. Nam ejusmodi feratur conjectorum licentia, jam vero quid erit certum, quid constans in literis? antiqui rerum confundentur fines, & omnia susque deque vertentur. Merito itaque hanc Erasmi censuram confutat Genebrardus in Collectaneis, multisque ac solidis rationibus has Homilias auctori suo Origeni asserit. Atque ex eo quoque refellitur Gulielmus Perkinsus Anglus, qui Homilias duas in Psalmum 38. ex genuinorum Origenis Operum serie expungit. *Perkins. in Problem. de ementito Romana fidei Catholicismo.*

E Antonius Verderius Supplemento Epitomes Bibliothecæ Gesnerianæ Bibliothecam, sive Antiquitates Constantinopolitanas subjunxit, in quibus inter libros Illustriss. Principis Domini Jacobi Marmoretæ hunc recenset, cui titulus est: *Origenis explicatio in Psalterium David.* Tum subjicitur: *Et rursus in explicationem Origenis habet solutionem explicationis Iohannes Mabropoda Metropolitanus sanctissimæ Metropoliticæ Ecclesiæ Euchaitarum: atque ipse Origenes, uti habet suam explicationem, filius est S. Hippolyti Philosophi, & Martyris.* Hæc ipsa ad calcem Apparatus sui adjecit Possevinus, cum variarum Bibliothecarum Catalogos pertexeret. Quæ cum satis obscura sint, ego sic intelligo, Origenem in hac Expositione Psalterii imitatum esse Hippolytum, quem Commentarios in Psalterium scripsisse tradit Hieronymus.
Eundem autem Hieronymum alibi probavimus falso ibidem docuisse Origenem in Hippo-
F lyti æmulationem ad interpretandas Scripturas sese accinxisse. Igitur vel Catalogi concinnator, vel qui Codicem ipsum descripserat, Origenem putavit in explicando Psalterio Hippolyti imitatorem & filium fuisse. Scribunt præterea Josias Simlerus, & Conradus Frisius in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, aliique, Origenianam Psalterii expositionem in Cæsarea Viennensi Bibliotheca asservari. *Hieron. de script. Eccles. c. 36.*

Porro è Tomis in Psalmum primum habemus partes aliquas apud Epiphanium Hær. 64. cap. 6. & Philocaliæ cap. 2. & 3. & apud Eusebium libr. 6. Histor. cap. 25. & iterum apud Epiphanium in eadem Hær. cap. 10. & apud Pamphilum in Apologetico, ubi sextam adversus Origenem criminationem refellit. Rursum insigne segmentum è Tomo in Psalmum quartum capite 25. exhibet Philocalia; & aliud è Commentariis in Psalmum sextum Apologeticus Pamphili, septimam confutans adversus Origenem criminationem; & aliud *in Origene.*

ite-

iterum idem Apologeticus, sextam criminationem tractans, è Commentariis in Psalmum A
decimum quintum, & aliud denuo ibidem, è Commentariis in Psalmum decimum octavum; & rursum aliud Philocalia capite primo, è Commentariis in Psalmum quadragesimum. At Eusebius libr. 6. Histor. cap. 38. profert particulam ex Homilia ad Psalmum 82. Hæ omnino reliquiæ è tot Homiliis & Tomis temporum injuriæ subductæ sunt. Commentariorum in Proverbia fragmenta duo in Apologetico suo Pamphilus ab interitu vindicavit. Aliud quoque in Catena Mazariniana in Lucam extat; sed Catenarum fragmenta recensere nobis hic propositum non est.

VII. E parvo Tomo in Canticum, quem juvenis scripserat Origenes, particulam quandam habemus Philocaliæ capite septimo. E secundo vero Tomo Commentariorum quos decem voluminibus grandior natu digessit, aliud segmentum reperimus vigesimo sexto capite Philocaliæ, quæ in eo finem facit. Eorundem vero voluminum decem Prologum, cum sequentium Tomorum initio Latina Origenis repræsentat editio, à Rufino interpretatum: sed deformatum, & pro Homiliis perperam venditatum. Cur ita sentiam, causas afferam adversus nonnullos, qui de Operis hujus Auctore falsa senserunt. Ejus quidem scriptor esse Origenes ex stylo deprehenditur, & ex allegoricis & tropologicis expositionibus, in quas ab historicis excurrit. Id probant præterea sententiæ earum consimilrs & germanæ, quæ in duabus Homiliis ab Hieronymo conversis occurrunt: *Epithalamium*, inquit in Prologo, *libellus, id est, nuptiale carmen, in modum mihi videtur Dramatis à Salomone conscriptus, quem cecinit instar nubentis sponsæ & erga sponsum suum.* In Homilia vero priore ab Hieronymo Latine reddita: *Hæ quippe in hoc libro,* inquit, *fabula pariter & Epithalamio sunt personæ, ex quo* C
& Gentiles sibi Epithalamium vindicarunt, & istius generis carmen assumtum est. Epithalamium siquidem Canticum Canticorum. Primum Cantici versum exponens in ψευδωνύμῳ Homilia quæ Prologum excipit, scribit τὸ ἡγεμονικὸν variis nominibus in Scriptura sancta signari, vel vocabulo cordis, vel pectoris ac sinus, si de discumbentibus in convivio agatur; velut cum super pectus Jesu recubuisse dicitur Johannes, Christi ἡγεμονικὸν esse intelligendum: in Levitico idem exprimi per pectusculum & armum, qui Sacerdotibus separatur; in Cantico vero per ubera. Tum ita concludit: *Cor tuum, ô Sponse mi, id est, dogmata quæ intra te sunt, vel doctrinæ gratia superat omne vinum, quod cor hominis lætificare solet. Sicut enim in his de quibus dicit: Quia Deum videbunt, cor competenter dictum esse videtur, & inter discumbentes sinus ac pectus ponitur pro habitu sine dubio discumbentium formaque convivii: & rursus ut apud Sacerdotes pectusculum & brachium mysticis designatur eloquiis; ita etiam arbitror in præsenti loco, ubi amantium habitus & colloquia describuntur, gratissime hoc ipsum principale cordis in uberibus appellatum.* Ecce tibi res easdem in Homilia priore ab Hieronymo conversa, super eundem Cantici versum: *Congrue sermo divinus unam eandemq; rem pro locorum qualitate diversis vocabulis nuncupat. Quando hostia effertur in Lege, & vult intellectum ostendere, pectusculum separationis affatur. Quando vero recumbit aliquis cum Iesu, & sensuum ejus communione perfruitur, non pectusculum ut supra, sed pectus alloquitur. Porro cum Sponsa loquitur ad Sponsum, quia nuptiale carmen inducitur, non pectusculum, ut in sacrificio; non pectus, ut in Iohanne discipulo, sed ubera nominat, dicens: Quia bona ubera tua super vinum. Communica ut Sponsa cum sensibus Sponsi, & sciat quia inebriant atq; lætificant istiusmodi cogitatus.* Quis non utrumque locum in eadem incude formatum dicat? Merlinus demum in aliquo quidem Codice nomen Hieronymi Operi huic adscriptum E
sese reperisse dicit, sed in omnibus tamen vetustis, & probatis voluminibus Origenem auctorem signari fatetur. Dubitandum itaque non est, quin Origenem Opus istud de quo agimus, auctorem habeat.

Nunc vero probandum est, perperam fuisse illud in Homilias distributum, & partem esse Tomorum decem quos in Canticum scripsisse memoratur. Argumento primum stylus est, quem alium esse in Tomis, alium in Homiliis sciunt qui in Origenis lectione versati sunt. Stylus Homileticus familiaris est, simplex, popularis, brevis; alter sublimis, diffusus, curiosus, eruditus. Talis autem scriptio in Canticum, de qua res est. Quorsum præterea Prologus ille? Prologos Tomis nunquam non præfigit Origenes; nunquam Homiliis. Postremo solenni hac clausula Origenis Homiliæ fere terminari solent, ut vix unam alteramve ab hoc more discre- F
pantem reperias, ᾧ ἐστιν ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, cujusmodi nihil in ψευδονύμοις illis Origenis Homiliis occurrit. Minime ergo Homiliæ sunt, sed Tomi. Optime Vincentius Bellovacensis Speculi Doctrinalis libr. 18. cap. 43. Origenianarum scriptionum numerum contexens, emisisse Adamantium ait in Canticum Homilias duas: in principium vero libri ejusdē libros tres. Nec patitur Operis granditas, ut partem eam esse putemus parvi Tomi, quem juvenis in Canticum elaboravit; cum præsertim fragmentum illud è parvo Tomo, quod Philocaliæ capite septimo adducitur, in his quatuor Homiliis vel Prologo nusquā extet: at illud alterum quod capite vigesimo sexto Philocaliæ ex secundo è decem Tomis depromtum est, in Homilia secunda ex illis quatuor reperiatur. Quapropter verisimile est

tres

A tres Homilias priores ipsos esse priores Tomos tres; postremam vero, quarti partem; quod & ex eorum prolixitate æstimare liçet. Denique in eo Opere laudat Origenes Expositiones suas in Exodum, in Leviticum, in Numeros, & in Josue, quas probabile non est jam tum fuisse elaboratas, cum parvum Tomum in Canticum moliretur, utpote quem adhuc juvenis composuit; at maturior ætate ad decem Tomos concinnandos accessit. Objici potest scriptum esse ab Hieronymo in Prologo interpretationis Homiliarum duarum in Canticum, Origenem in decem Tomis Septuaginta Interpretes, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, & Quintam Editionem magnifice, aperteque disseruisse; quod cum in ψευδωνύμοις quas tractamus Homiliis non appareat, hinc consequi Opus esse à decem Tomis diversum. Verum sciendum est, Rufinum scriptionis hujus esse Interpretem, ut mox ostendam, cui cum so-
B lenne sit pervertere omnia, & ad libitum recoquere, adeo ut Tomos Origenis in Epistolam ad Romanos ad mediam partem coarctaverit, quis ullam ab eo fidem expectet?

Supereſt ut Rufinum Interpretem esse demonstremus. Hieronymus in Prologo Homiliarum duarum Origenis in Canticum, de decem voluminibus Commentariorum agens, eorum interpretationem ait à se fuisse prætermissam, quod res esset ingentis otii, laboris, & sumptuum. In libro quoque de scriptoribus Eccles. inter libros Origenis à se conversos, nullam hujus mentionem fecit. Minime igitur Hieronymo adscribenda est hæc interpretatio. Gennadius autem in Catalogo Virorum illustrium significare videtur quæcunque Origenis opera Hieronymum interpretem non habent, ad Rufinum esse referenda; neutiquam ergo dubitare licet, quin interpretatio ea Rufino debeatur: nam antiquam esse, & æqualem
C Hieronymianæ ætatis, & Gennadio antiquiorem stylus satis arguit; qui, ut alia omnia prætermitterem argumenta, solus Rufinum interpretem indicat. Maxime vero indicant selectæ quædam, & magna ex parte barbaræ voces Rufino usitatissimæ, cujusmodi illæ sunt: *attitulare, competenter, complecti* in significatione passiva, *cessare, creatura*, pro creatio, *incorruptio, numerositas, observantiæ, observanter, participtum*, pro eo quod est, partis adeptio, *pretiositas, rationabiliter, refutare*, pro abnuere, *sequestrari, significantiæ*. Quod si quis opponat interpretationibus suis Prologos Rufinum præfigere solere, ut tradit Gennadius; huic autem libro Prologum ab Interprete appositum non fuisse; sciat ille multos è Rufini Prologis intercidisse; velut illum, quem toties laudavimus, Numeris præfixum, & Ursacio inscriptum, quem Latina Origenis Editio neutiquam repræsentat.

D Quæ cum ita sint, de nihilo esse patet, quod in vetustis quibusdam Codicibus nomen Hieronymi lucubrationi huic fuit prænotatum, ut observat Sixtus; quodque ex hoc Opere testimonia attulerint Magister Sententiarum, & S. Thomas, sub nomine Ambrosii. Castigandus quoque Erasmus, qui & ipse sentit, & idem ut sentirent Magdeburgenses perfecit, hoc opus esse *Hominis Latini, pulchre docti, ac bene diserti*: propterea quod in Prologo Græcos laudat, velut alienos, his verbis: *Quum apud Græcos, qui eruditi ac sapientes videntur*. Id ipsum liquere ait ex interpretatione *amoris, charitatis, dilectionis*, & *cupidinis*. Demum suspicatur ejus esse, cujus extant libri de vocatione Gentiũ, & Commentarii in aliquot Psalmos. Quæ quam frivola sint, promtum est ostendere. Ethnicos omnes à Luca in Actis, & à Paulo ἕλληνας appellari notum est: hinc Judæi opponuntur τοῖς ἕλλησι, id est, Ethnicis, seu Gentili-
E bus. Itaque à Patribus ἕλληνες, tanquam alieni laudantur, & ab ipso etiam Origene Tom. 15. in Matth. p. 382. ubi ait: Ἐὰν δέ τις τῇ ἀνθρωπίνῃ ἐνορῶν ἀσθενείᾳ καταφρονῇ μυθικῆς λέξεως, τράπηται ἐπὶ ἀλληγορίας, δυσωπηθήσεται ἔκ τινων καὶ ἑλληνικῶν ἱστοριῶν, ἐν αἷς δόξῃ τὴν παρ' ἕλλησι σοφίαν ἱστορῆσαί τινες τὸ ἐνταῦθα πρὸ πλείονος ὧν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν λόγου πεποιημένοι. Cæterum vel ex hoc loco, unde supposititicium esse illud opus conjicit Erasmus, ubi non obscuris verbis Platonis laudatur Sympoſium, in quo de amoris natura disseritur, conjectura non levis capi potest, auctorem Operis hujus esse Origenem, cui Platonis disputationes suos in usus convertere solenne est. Quod ad vocum illarum, *amoris, charitatis, dilectionis*, & *cupidinis* attinet, hæc atque alia ejus generis, quæ Romanum scriptorem sapiunt, Rufini perfidiæ debuerunt adscribi. Quale illud est quod observat Robertus Cocus Anglus, dixisse Auctorem Commentarii
F hujus, *Verbum Dei apud Græcos masculino genere proferri, apud nos neutro genere*: & qualia sunt ea loca Operis istius, de quibus ait Bruno Amerbachius Præfat. in Hieronymi Tomum 7. *Multa sunt, quæ Latini hominis esse non Græci comprobent*. Quorum judicium, ut & illud Gulielmi Perkinsi, inter rejicula & spuria hoc Opus recensentis, merito flocci facimus.

Erasm. in Censur. lib. Orig. Magd. lib. Cent. 3. cap. 10.

Perkins. in Problemate de emendato fidei Romanæ Catholicismo.

Præter parvi Tomi fragmentum, & amplas è decem Tomis lacinias, duæ quoque supersunt Homiliæ ab Hieronymo Latino sermone explicatæ *fideliter magis, quam ornate*, ut ipse ait in Prologo ad Damasum. Homiliam priorem in partes duas perperam Merlinus disjecuit; primam partem Epistolæ pro Præfatione venditans. Errorem viderunt Erasmus, & Genebrardus, & in suis Editionibus correxerunt; parte utraque in unum conjuncta.

VIII. Superiore Sectione diximus, Origenem triginta voluminibus, & viginti quinque

Homiliis Isaiam explicasse. E libro primo Commentariorum fragmentum affert Pamphilus in Apologetico; & aliud paulo post è libro vigesimo octavo. Ex Homiliis supersunt omnino novem in Editione Latina. Interpretis nomen non adscribitur, quem Hieronymum esse censeo. Idipsum censet Erasmus, aitque Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum fateri se hoc fragmentum vertisse ex Commentariis Origenis in Isaiam. Equidem id solum in eo Catologo reperio, ubi de seipso agit Hieronymus: *In Hieremiam & in Ezechielem Homilias Origenis viginti octo, quas de Græco in Latinum verti; de Seraphim & Osanna.* Atqui Homiliarum quæ extant, prior agit de Seraphimis stantibus super solium Domini, Isaiæ 6 2. sed leve est hoc argumentum, ad probandum istas novem Homilias Hieronymum convertisse. Verisimilior mihi conjectura capitur ex stylo, & ex delectu quarundam dictionum, quas frequentius sibi Hieronymus ascisçere amat, quod optimum est internoscendis Scriptoribus argumentum. Dictiones illæ sunt: *absconsus, dominicus, nuncupativus, principale* pro eo quod est, τὸ ἡγεμονικὸν, *principari alicui, principalis, prophetes, repromitto, repromissio, speculatorius, turpiloquium, Zabulus, cuncta Evangelicorum*, aliaque ejusmodi. Noret diligens Lector Homiliam nonam mutilam esse in editionibus Merlini, Erasmi, & Genebrardi, & postrema parte truncatam, eique supplendæ detractam fuisse partem postremam Homiliæ nonæ (juxta Hieronymi collectionem sextæ) in Jeremiam, ab his verbis: *Conversi sunt ad iniquitates patrum priorum.* Jamdiu vero in his Homiliis error iste inolevit: Codices siquidem manu exarati Bibliothecæ Regiæ eadem deformitate vitiati sunt. Nempe facile contigit ut librarius imprudens ad describendam postremam partem Homiliæ Origenis in Isaiam nonæ, ab Hieronymo conversæ accedens, casu inciderit in postremam partem Homiliæ Origenis in Jeremiam nonæ, ab Hieronymo itidem conversæ. Unde non inane quoque sumitur argumentum Homiliarum in Isaiam non secus interpretem esse Hieronymum, ac Homiliarum in Jeremiam. Profecto caussæ fuit hic error, cur postrema pars Homiliæ in Isaiam nonæ interciderit.

IX. Observavimus supra quinque & quadraginta in Jeremiam Homilias Origenem elimasse. Exingenti hac Homiliarum strue quatuordecim Latine refudit Hieronymus, ut ipse de se testatur in Præfatione Homiliarum Origenis in Ezechielem, & in libro de scriptor. Eccles. Novemdecim Græce edidit Balthasar Corderius è Scorialensi Bibliotheca, suamque interpretationem adjunxit. Cyrilli vero præfixit nomen, deceptus ab antiquo Codice, optimæ cæteroquin notæ. Istæ nominum commutationes ex eo oriuntur persæpe, quod in idem compacta volumen plurima variorum opera, partim auctorum suorum inscripta nominibus, partim destituta, librarios facile fallant, carentem auctoris sui nomine scriptionem ad eundem pertinere credentes auctorem, cujus nomen præ se fert scriptio proxime antecedens. Non in his vero duntaxat, sed in aliis etiam lucubrationibus, Origenis nomen cum Cyrilli nomine permistum ac confusum est. Sexdecim Origenis Homilias in Leviticum vetustæ Cyrilli habent editiones, & Cyrillo adscribunt. Commentarium quendam in Marcum (quem aliquando cum Deo publici juris faciemus) Origeni Codices quidam, Cyrillo nonnulli, Victori Antiocheno alii tribuunt. Novemdecim itaque Homilias Cyrillo perperam adscriptas Adamantio restituendas judicamus hoc argumento, quod inter quatuordecim Origenis Homilias ab Hieronymo conversas duodecim ex iis reperiantur, quas Græce Corderius publicavit. Accedit Vaticani Codicis auctoritas, has ipsas novemdecim in Jeremiam Homilias habens, & Origeni assignans. Septem ex illis emisit in lucem Michaël Ghislerius in Catena sua in Jeremiam; eas nimirum quæ in Hieronymianis deerant. Eundem inter illas ordinem ponit Codex uterque, atque eum legitimum, & Jeremiæ locis quos enarrant, consentaneum. Nam quem tenuit Hieronymus, confusus ille est, vel ipso fatente: *Itaque*, inquit, *post quatuordecim Homilias in Hieremiam, quas jampridem confuso ordine interpretatus sum.* Unde manifestum est, titulos his Homiliis præfixos Hieronymi non esse. Ad hæc fragmentum ex Homilia trigesima nona, capite decimo Philocaliæ exhibetur.

X. Tomi Origenis in Ezechielem vigesimi particula quadam constat undecimum Philocaliæ caput. Hieronymus vero quatuordecim ejusdem Homilias in hunc ipsum Prophetam Romanis verbis expressit. Testis Prologus in earum Homiliarum fronte collocatus: testis & liber de Scriptor. Eccles. cap. 146. Testis quoque Rufinus Invect. 2. qui & ad Vincentium Prologum scriptum fuisse docet. Miratur Erasmus quid sit cur Hieronymus, alias creber Præfationibus, nihil ad Homilias in Isaiam, & Jeremiam à se Latine redditas præfatus sit; in Prologo autem ad Homilias in Ezechielem erasum quæritur Hieronymi nomen, & ejus quoque quem Hieronymus alloquitur. Suspicatur vero Prologos fuisse sublatos ab his ad quos scripserat, postquam Origenis nomen factum est Romanis invidiosum, & verisimile esse in his Prologis Hieronymum magnifice prædicasse Origenis ingenium. Ego vero singulis libris Origenis à se expositis Prologos prætexuisse Hieronymum fateor

Erasm. in Censur. libr. Orig.

A fateor, nam id asserit Gennadius in Catalogo virorum illustrium: at quos prætexuit, non de industria, sed casu & librariorum oscitantia censeo fuisse sublatos; alioquin sublatus quoque fuisset Prologus ad Damasum Homiliis Origenis in Canticum præfixus; & iste alter ad Homilias in Ezechielem. In editione Merlini Prologo præfixus est hic titulus; *Prologus Translatoris ejusdem*: ejus nempe qui antecedentes Origenis Homilias in Jeremiam verterat, quem constat Hieronymum fuisse.

XI. Ostendimus superius ex Proœmio Commentariorum Hieronymi in Oseam, parvum scripsisse libellum Origenem περὶ τοῦ πῶς ὠνομάσθη ἐν τῇ ὠσηὲ ἐφραΐμ, & aliud præterea in eundem Prophetam volumen ἀκέφαλον καὶ ἀτέλευτον. Ex utro petitum sit istud fragmentum, quo conflatur octavum Philocaliæ caput, incertum est; ex alterutro petitum esse certum
B est: nam quamvis id eis præmissum sit: ἐκ τῶν εἰς τ ὠσηὲ ἐξηγητικῶν, Hieronymus autem loco laudato nullos ab Origene in Oseam scriptos fuisse Commentarios asserat dicens: *Rogavi eum*, (Didymum) *ut quod Origenes non fecerat, ipse compleret, & scriberet in Oseæ Commentarios*, intelligendum est plenos in totum Oseam Commentarios Origenem non scripsisse, sed exiguos solum libellos.

XII. Viginti quinque in Matthæum Tomos Origenes elaboravit. Breve segmentum è primo Tomo adducit Eusebius libr. 6. Histor. cap. 25. eoque brevius aliud indidem profert Pamphilus in Apologetico. Aliud è secundo Tomo, Philocaliæ capite sexto exhibetur. Aliud affert è septimo Tomo Pamphilus. Julius Cæsar Bulengerus in Disputationibus contra Casaubonum Part. 2. Diatrib. 3. pag. 191. fragmentum affert ex Origene ad cap. 6. Matth.
C & p. 166. aliud ex eodem ad cap. 23. atque aliud item pag. 167. ex iisdem Expositionibus in Matth. cujus locum non indicat. Indiligens profecto Bulengerus, qui unde hæc habuerit sibi, Lectorem non monuit. An ex Codice aliquo manu scripto? vix credo: nam quicunque hodie supersunt, quicunque certe mihi noti sunt, vel à decimo tertio capite vel à sequentibus ducunt initium; in vigesimo secundo, vel citra desinunt. Fortasse igitur ex Catena aliqua prodierunt isthæc. Quanquam nihil habent ejusmodi, quotquot excussimus Catenas ego & Combefisius. In vetustis Codicibus manu exaratis Tomus undecimus cum sex proxime sequentibus reperitur. Codex Ladenburgensis, quo usus est Erasmus, à Matth. 13, 36. auspicabatur, quemadmodum & Holmiensis: Regius priore undecimi Tomi parte mulctatus est. In Catalogo librorum Ducis Bavariæ notatur Tomus undecimus initio
D quoque mutilus, cum proxime sequentibus quinque. Erasmus in Epistola ad Franciscum Cigalinum affirmat nihil Origenis habere in decimum Matthæi caput. At Vaticanus Codex fertur constare Tomis decimo, undecimo, duodecimo, & decimo tertio. Scripsetunt quoque Josias Simlerus, & Conradus Frisius in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, haberi in Italiæ Bibliotheca quadam decimum Tomum Commentariorum Origenis in Evangelium Matthæi; item fuisse apud Diegum Hurtadum Venetiis eorundem Commentariorum Tomum 1. (lege X) XI. XII. Quod si par est reliquorum inter se consensus, qualis Regii exemplaris cum Holmiensi, ex uno eodemque Codice descriptos omnes censuerim. Porro levis licet Bellarmini conjectura, qua Commentarios illos ab Origene abjudicat, non tamen ἀναπόκριτος prætermittenda est. Sic ait ille in libro de scriptor. Ecclesiast. ubi
E de Origene: *Tractatus quintus in Matthæum videtur esse Latini auctoris: nam adducens Auctor verba Isaiæ 48. Dominus misit me & spiritus ejus: in Græco, inquit, Spiritus Sanctus neutri generis est, non masculini, ut apud nos; ubi se inter Latinos numerat. Et si Tractatus quintus Latini auctoris est, non parva suspicio est reliquos etiam Tractatus ejusdem Operis, Latini auctoris esse.* Habetur hic Origenis locus Tom. 13. in Matth. 18. p. 323. 324. Quamvis hoc Bellarmini judicium palam refellat Codicis Græci lectio; ea tamen si careremus, non plus valeret illud adversus hunc Adamantii librum, quam adversus reliquos, quos veterum Interpretum studio Latine redditos legimus: in iis siquidem frequenter ejusmodi occurrunt additamenta Interpretum, suæ linguæ hominibus gratificantium. Legat qui volet pagellas aliquot à Rufino conversas, videbit quam sæpe mantissas similes de suo accudat.

F Amplior est Vetus Interpretatio Commentariorum Origenis in Matthæum, quam Græcum ullum exemplar manuscriptum: Holmiense quippe omnium, quæ quidem ad meam pervenerint notitiam, prolixissimum, à Matthæi capite 13. vers. 36. ad caput 22. vers. 33. pertinet: prisca autem Interpretatio à Matthæi 16. 13. initium ducens, ad 27. 66. progreditur. Hanc Commentariorum partem in Homilias sive Tractatus 35. librarii male feriati diviserunt. Recentior videtur ista divisio temporibus Vincentii Bellovacensis; quippe qui Speculi Doctrinalis libr. 18. cap. 43. libros Origenis sua ætate superstites recensens, cum eos fere commemoret, qui hodieque in Editione Latina comparent, libros in Matthæum viginti sex assignat, corrupta ut dixi exemplaria secutus, quæ totidem pro viginti quinque notabant. Interpretationis auctorem assignare proclive non est. Hieronymus in Prologo Homiliarum Origenis in Lucam scribit nec virium suarum, nec otii, nec laboris fuisse vi-

ginti quinque Tomos illius in Matthæum, quinque in Lucam, triginta duos in Johannem, A
roganteBlæsilla, Romanæ linguæ tradere. Proinde Veteris Interpretationis in Matthæum
auctor non est Hieronymus. Minime sane audiendi Josias Simlerus, & Conradus Frisius,
ita scribentes in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ: *Origenis in Matthæum Homiliæ 36. ab
Hieronymo translatæ, inter D. Hieronymi Opera habentur*: nam neque extant Homiliæ 36. Ori-
genis in Matthæum, sed 35. duntaxat; neque earum Interpres Hieronymus habendus est;
imo Hieronymo recentior est, nam si jam prodiisset ejus ætate, novam Blæsilla neutiquam
postulasset; nec ita scripsisset Hieronymus in Epistol. 65. ad Pammach. & Ocean. cap. 2.
*Centum quinquaginta anni prope sunt, ex quo Origenes mortuus est Tyri: quis Latinorum ausus est
unquam transferre libros ejus de resurrectione*, τῶν ἀρχῶν ἑρμηνείας, & τόμους; Nemo igitur exi- B
stimet ullam Tomorum interpretationem esse Hieronymo antiquiorem. Nihilo magis Ru-
fino videtur adscribenda, quod Erasmi pace hanc ipsi attribuentis dictum velim: ille enim
in Apologia Pamphili loca quædam è Commentariis in Matthæum adducta interpretans,
non aliis solum utitur verbis, quam quæ interpres iste Vetus adhibuit, verum etiam multa
quæ in eo desiderantur, repræsentavit; cum tamen in eadem Apologia loca vertens ex aliis
depromta Commentariis, quos ipse fuerat interpretatus, non aliis utatur verbis quam suis,
seque sui similem in eodem loco bis vertendo ostendat. Adde stylum ab Hieronymiano &
Rufiniano penitus discrepare, & deterioris ac recentioris ætatis vitio & corruptela esse in-
quinatum. Gennadio quoque recentiorem esse ex eo conjicio, quod in Catalogo illu-
strium virorum non obscure significat, quæcunque Origenis Opera ab Hieronymo non
conversa suis temporibus extabant, ea à Rufino Latine reddita fuisse. Ostendimus autem C
nec Hieronymo, nec Rufino adscribi posse hanc interpretationem, unde sequitur Gennadio
quoque fuisse posteriorem. Cum ex hac autem interpretatione Thomas Aquinas in Aurea
Catena loca multa ἀυτολέξει referat in versus Matthæi, posteriores versu 13. capitis 16. perspi-
cuum est Thoma vetustiorem eam esse, talemque ejus ætate fuisse, qualis hodie circumfer-
tur. Thoma itaque antiquior est, Gennadio recentior. Propius vero ad Gennadii ætatem
accedere non levibus indiciis deprehendimus. Tomo 17. in Matth. pag. 470. hæc habet
Origenes: ὑποῖοί εἰσιν οἱ συγχέοντες καιρὸς καὶ υἱὸν ἔννοιαν, ⟨◊⟩ τῇ ὑποστάσει ἕνα διδόντες εἶ- D
ναι τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱόν. Vertit vetus Interpres: *Quales sunt Hæretici, qui confundunt Patris & Filii substantiam,
unum dicentes esse Patrem & Filium.* ὑπόστασιν reddit *substantiam*, quod magnam Scriptoris
antiquitatem sapit; hac enim notione ὑπόστασιν antiqui fere Patres usurpant. Hilarius in
libro de Synodis contra Arianos tres agnoscit substantias in Trinitate, hoc est, ὑποστάσεις, ἰδιό-
τητας, πρόσωπα, substantiam ab essentia distinguens. Priscus quoque Novi Testamenti Inter-
pres locum hunc Ebr. 1. 3. ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, reddit; *Qui
figura substantiæ ejus*: nec id mutavit Hieronymus, quamvis ὑπόστασις ibi *Personam* videatur
significare. Nihil tamen hic affirmo; scio enim à Patribus multis substantiam ipsam, seu
naturam & essentiam Patris hic intelligi. Ad hæc Vetus ille Interpres Tract. 8. insignem
locum profert ex Evangelio secundum Ebræos. Atqui id de suo addidit; quippe quod in
exemplaribus Græcis nusquam appareat. Ac proinde temporum illorum, quibus hoc su-
pererat Evangelium, æqualis fuit.

Profecto Interpretis hujus ætatem investiganti alicui verisimile forsitan fiet Cassiodori E
temporibus vixisse, ipsumque adeo esse Epiphanium Scholasticum Cassiodori familiarem
& necessarium. Supra memoratæ notæ videntur convenire, aliæque præterea. Græcæ
linguæ parum consultus fuit Epiphanius, oratio barbara, dissipata, & inculta. Summa Vete-
ris illius Interpretis barbaries, vix mediocris idiomatis Græci peritia, plane nulla in evolven-
dis obscurioribus sententiis perspicacitas; cujus sibi conscius difficillima quæque quasi
consulto prætermisit. Certe tam abnormi licentia interpretationem hanc administravit,
ut mirabile sit; totas paginas detraxit, totas addidit, nec uspiam exemplar assectatus est.
Verum Historiam Tripartitam ab hoc Epiphanio scriptam si quis accurate cum vetusta illa
Origeniani in Matthæum Commentarii interpretatione conflixerit, summam styli discre-
pantiam, atque hanc multo illa inquinatiorem, & innumeris vocabulorum portentis defor- F
miorem offendet. Æqualis Epiphanii fuit Bellator quidam Cassiodori itidem familiaris,
cujus rogatu multas Græcorum scriptiones, nonnullas etiam Origenis Latino sermone re-
pendit. Huic si quis Commentariorum in Matthæum interpretationem adscriptam velit,
non valde repugnabo. Nec multum adversatur conjecturæ nostræ Cassiodori de hac inter-
pretatione silentium, qui alias plerasque Epiphanii & Bellatoris in libro de institutione di-
vinarum Scripturarum recensuit; nam post editum hunc à Cassiodoro libellum lucubrari
ea potuit.

De septem Origenis in Matthæum Homiliis quæ habentur inter eas, quas in diversos vulgo appellant, quoniam incerti sunt Auctoris, suo loco disputabimus.

XIII. Homiliæ Origenis in Evangelium Lucæ triginta novem Latina editione continen-
tur.

A tur. Interpretem sese professus est Hieronymus in Prologo ipsis præ textu, & in libro de scriptor. Eccles. cap. 146. Erasmus in Epistola ad Franciscum Cigalinum scripserat has alterius cujusdam esse videri, quam Origenis, sed in Censura ad libros Origenis mutavit sententiam, & verum Auctorem agnovit. Nihilominus ita differit: *In Catalogo tamen ita facit hujus operis mentionem* (Hieronymus) *ut magis videatur ex Didymo vertisse. Quum enim Origenis mentionem reliquisset, post hunc in modum loquitur: De Spiritu Sancto Didymi, quem in Latinum transtuli, librum unum, in Lucam Homilias triginta novem, in Psalmos à decimo usque ad decimum sextum tractatus septem, captivi monachi vitam, &c. Quibus ex verbis nihil aliud intelligi potest, quam aut esse Hieronymi hoc opus, aut ab eo versum ex Didymo. Hoc utrum casu an studio factum sit, nescio.* At observasset Erasmus pari argumento Homiliarum duarum in Canti-
B cum auctorem revocari posse in dubium, cum in eodem Catalogi capite hæc habeat Hieronymus: *De tribus quæstionibus Legis Veteris, Homilias in Cantica Canticorum duas, adversus Helvidium.* Nempe Auctoris nomen adscribere neglexit, quem aliunde satis notum esse sciebat. Addit Erasmus: *Dein quum in cæteris nihil habeatur erroris, hic multa sunt vel suspecta vel damnata.* Itane vero? nihilne in libris περὶ ἀρχῶν, in Commentariis in Matthæum, in reliquis operibus habetur erroris? Mirare Lector effrænem Erasmi in Veterum expendendis scriptis, & projectam temeritatem. Modestior Merlinus, errores his Homiliis ab Origeniani nominis æmulis aspersos asseverans: quanquam & id valde incertum. Pauculas quasdam particulas ex Origene in Lucam exhibet Julius Cæsar Bulengerus Part. 2. Diatrib. 3. p. 158. & 222. adversus Casaubonum, ex Catenis fortasse aliquibus depromtas.

C XIV. Eduobus & triginta Commentariorum in Johannem Tomis, novem omnino supersunt; primus, secundus, sextus, decimus, decimus tertius, decimus nonus, vigesimus, vigesimus octavus, & trigesimus secundus. In Bibliothecæ Regiæ Codice hi Tomi suis notati numeris reperiuntur. Eosdem complectitur Tomos præter decimum, & vigesimum octavum memoratus liber in Bibliothecæ Bavaricæ Catalogo. At Codex Bibliothecæ Venetæ sancti Marci, licet Regii consimilis sit, nec plura habeat, à callido tamen librario in Tomos triginta duos distributus fuit, hâc arte lacunas & hiatus celare, & apud incautos dissimulare, & pro integro venditare volentes. Eo fit, ut eundem hunc esse putem, qui fuit Diegi Hurtadi, quique simili dolo dissectus fuisse memoratur. Hanc Tomorum partitionem, quam secutus est Ferrarius, falsam esse arguunt fragmenta, quæ è quarto Tomo pro-
D feruntur in quarto Philocaliæ capite, & in quinto reperiuntur Tomo Ferrarianæ Interpretationis. Similiter è sexto Tomo particulam recitat Basilius libr. de Spiritu sancto, c. 29. Extat illa in sexto Tomo Codicis Regii, in octavo vero Ferrarianæ interpretationis. Codicum porro omnium ea est similitudo inter se & congruentia, ut ex uno exemplari descriptos esse omnes pro certo habeam. Præter superiora exiguam è Tomo secundo in Johannem particulam promit Pamphilus in Apologetico, secundam criminationem confutans. Capite quarto Philocaliæ fragmenta adducuntur è quarto Tomo; item capite sequenti alia fragmenta è Præfatione quinti Tomi in idem Evangelium; cujus Præfationis aliam quoque portionem in caput 25. libri sexti Historiæ Eusebius inserit. Ex Origene in Johannis caput sextum lacinias quasdam exiles profert Bulengerus in Disputationibus contra
E Casaubonum Part. 2. Diatrib. 3. pag. 251. quas cum Codices manu scripti Commentariorum in id Evangelium non exhibeant, ex Catenis prodiisse veri absimile non est. Denique inter Homilias in diversos duæ habentur in Johannem, quæ cum certum auctorem non habeant, paulo post suo loco ventilabuntur.

Unicum supererat in Apostolorum Acta fragmentum Origenis, è quarta detractum Homilia, quod capiti Philocaliæ septimo Basilius & Gregorius Theologus insulserunt. In Catalogo librorum Illustrissimi Principis Domini Jacobi Marmoretæ, quem inter Antiquitates Constantinopolitanas Supplemento Bibliothecæ Gesnerianæ inservit Antonius Verderius, commemoratur Origenis Explicatio in Acta Apostolorum, & in Epistolas Pauli, de quibus nunc suo ordine agendum est.

F XV. Rufinus Heraclii impulsu viginti Tomos Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos Latinæ linguæ donandos suscepit: sed qua fide? sua nempe, hoc est, pessima: nam totum opus jam interpolatum, & aliquot voluminibus decurtatum ad mediam fere partem sese contraxisse profitetur in Præfatione ad Heraclium. Injuriam Origeni illatam facilius deprehendes, si fragmenta quædam lucubrationis hujus inserta Philocaliæ cum Rufiniana conversione confligas. Adversus hanc audaciam merito Erasmus excandescit, & falso affictam Hieronymo operis hujus interpretationem Rufino restituit. Cur Hieronymo tributa sit, Rufini astu & vafritie factum puto, qui ad declinandam facti invidiam (male quippe audiebat Origenis nomen) & in Hieronymum, à quo sæpe Origenismi causa exagitatus fuerat, refundendam, nomen suum non apposuit, modestia factum simulans, quod malis artibus actum erat: *Verum ego*, inquit, *qui plus conscientiæ meæ quam nomini*

defero, etiamsi addere aliqua videor, & explere quæ desunt, aut breviare quæ longa sunt, furari tamen A
titulum ejus, qui fundamentum operis jecit, & construendi ædificii materiam præbuit, rectum non puto. Sit sane in arbitrio legentis cum opus probaverit, operis meritum cui velit adscribere. Deinde in Peroratione verba hæc dolose adjecit: *Ajunt enim mihi; In his quæ scribis, quoniam plurima in eis tui operis habentur, da titulum nominis tui, & scribe: Hieronymi, verbi gratia, in Epistolam ad Romanos, Explanationum libri.* Hinc delusi bardi homines Hieronymi nomine librum præscripserunt. At vel ex eo stoliditas eorum arguitur. Nam si Interpres fuisset Hieronymus, cur voces illas, *verbi gratia*, addidisset, quæ declarant fictitium esse & ascititium id nomen, non legitimum? Subjungit paulo post conversurum sese Clementis libros; quod à Rufino factum esse constat, non ab Hieronymo; tum ait: *Satisfaciam sane in eo amicis meis; dabo titulo nomen meum, Auctoris nihilominus vocabulo permanente: nam Hieronymi ne putetur, Clemens scribetur:* Hieronymi nempe, cujus nomen adscriptum supra finxit. Eadem versutia usum esse non semel Rufinum jam supra notavimus. In Prologo Homiliarum in Josue sententias Hieronymi & stylum referre conatus est. In Præfatione ad libros περὶ ἀρχῶν nomen suum celavit. Ita occultando Origenismo, & traducendo Hieronymo fucum vulgo faciebat. Minime itaque assentior Erasmo, mangonii hujus librarios insimulanti, & ad emtores alliciendos prætextum ab iis Hieronymi nomen censenti. Præter contractam illam & truncatam Rufini Interpretationem habemus Tomi primi portionem in Apologia Pamphili; longe vero ampliorem capite Philocaliæ 24. Aliud quoq; è Tomo nono fragmentum nobis offert caput ejusdem Philocaliæ nonum. Exiguam denique particulam ex eodem Opere submministrat alio Apologiæ loco Pamphilus. Tomum vero, unde translata est, non notavit. C
Atque hæc cum legitimum horum Commentariorum Actorem Adamantium esse clarissime demonstrent; non dubitavit tamen novitius quidam scriptor Heterodoxus hoc ipsos in suppositititiorum Origenis scriptorum seriem conjicere; à Gulielmo Perkinso delusus, qui eos male quidem à Rufino conversos scripsit, quod verissimum est; Origeni vero falso esse tributos neutiquam cogitavit.

Brevem libri tertii in Epistolam ad Colossenses laciniam, & alias libri in Epistolam ad Titum nonnullas Apologetico suo Pamphilus insulsit. Hieronymus in Epistola ad Minerium & Alexandrum fragmentum affert è tertio volumine ἐξηγηματικῶν Origenis in primam ad Thessalonicenses. Ex Homiliis in Epistolam ad Ebræos paucula quædam descripsit Eusebius libr. 6. Histor. cap. 25. Indidem nonnulla affert Pamphilus diversis Apologetici sui locis. D

Multa præterea è variis Origenis lucubrationibus fragmenta Catenæ submministrant; sed neque locos unde illa petita sunt, indicant; nec certa est Catenarum fides, ut monuimus alibi. Quapropter fragmentorum quæ ex iis profecta sunt, nullam hic habendam rationem duximus. Ex iis autem excerptæ sunt multæ Origenis in varios Scripturæ libros ἐξηγήσεις, quæ in Vaticanæ Bibliothecæ Catalogis commemorantur.

SECTIO QUARTA.

DE ORIGENIS TETRAPLIS, HEXAPLIS, ET OCTAPLIS. E

I. *Proponitur Epiphanii sententia de Origenis Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis.* II. *Asseritur propositus duarum Ebraicarum columnarum in Hexaplis, & Octaplis situs.* III. *Quæritur, quare in Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis Theodotionem Symmachus præcesserit.* IV. *Investigatur mens Eusebii de Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis.* V. *Unum & idem opus fuerunt Hexapla, & Octapla.* VI. *Ex superioribus recentiorum multorum errores arguuntur.* VII. *Editionem Interpretum Septuaginta, quæ in Hexaplis habebatur, asteriscis, obelis, lemniscis, & hypolemniscis Origenes distinxit. Ei præterea* F
quæ erat in Tetraplis Scholia adjecit. VIII. *Editionem τῶν ο΄ Hexaplis intextam emendarunt Eusebius, & Pamphilus, & primi seorsum vulgaverunt. Inde triplex illo tempore editio τῶν ο΄, Origeniana, Eusebiana, & κοινή.* IX. *Eadem circiter tempestate κοινὴν resarcit Lucianus, resarcit & Hesychius. Hinc quintuplex τῶν ο΄ editio.* X. *Suas quoq; editiones asteriscis, & obelis discriminarunt Lucianus, & Hesychius; ut & suam τῶν ο΄ interpretationem Hieronymus. Inquinatæ sunt & vitiatæ hodiernæ omnes τῶν ο΄ editiones.*

Aga-

I. AGamus jam de Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis, Origenianorum operum omnium nobiliſſimis & laudatiſſimis: quorum rationem cum accuratiſſime Epiphanius tradiderit in libro de ponderibus & menſuris, hujus præcipue veſtigia perſequi decet. Collegerat jam ante Adamantius Interpretationes Scripturæ à Senioribus Septuaginta, Aquila, Theodotione, & Symmacho elucubratas. Quintam præterea & Sextam Editionem commodum nactus eſt, quas in angulis quibusdam occultas inveſtigaſſe ipſum & in lucem edidiſſe ſcribit Euſebius. Athanaſius vero in Synopſi docet imperante Caracalla, in doliis Hierichunte repertam fuiſſe Quintam à Studioſo quodam ex iis qui erant Hieroſolymæ; Sextam vero ſub Alexandro Mammęæ Nicopoli ad Actium à quodam Origenis diſcipulo. Idem propemodum habet Epiphanius in libro de ponder. & menſ. cap. 18. additque priorem è tenebris fuiſſe erutam ſeptimo Caracallæ anno. Fallitur Cedrenus, qui utramque Hierichunte inventam fuiſſe narrat.

Ex iis ſex Interpretationibus, & Ebraico exemplari, Tetrapla ſua, Hexapla, & Octapla Origenes concinnavit. Ac Tetrapla quidem, quæ Hexaplis tamen tempore poſteriora fuerunt, quatuor conſtabant Editionibus per columnas diſpoſitis, prima Aquilæ, ſecunda Symmachi, tertia Septuaginta Senum, & poſtrema demum Theodotionis. Interpretationem τρίτο tertio loco poſuit, ut ad eam, quam omnium exiſtimabat eſſe accuratiſſimam, reliquæ facilius exigi & examinari poſſent. Hexaplis hæ ipſæ interpretationes quatuor, eodem ordine collocatæ, cum Ebraico exemplari, Ebraicis deſcripto literis, & eodem Græcis characteribus exarato continebantur. Prior occurrebat columna Ebraica Ebraice depicta; at quæ contextum Ebraicum Græcis exaratum literis exhibebat, interpretationi Aquilæ proxime conjungebatur. Subjuncta autem poſt ſex illas columnas Hierichuntina Editione, quam Quintam appellavit Origenes, & numeri quinarii nota ε, inſignivit; & poſt Hierichuntinam Nicopolitana, quam vocavit Sextam, & ἐπισήμῳ ϛ' notavit, Octapla exiſtebant. Hæc fere Epiphanius loco laudato: quæ ut clariora ſint, primam Geneſeos vocem, prout in Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis diſpoſita fuit, depingemus.

DIAGRAMMA

TETRAPLORUM, HEXAPLORUM, ET OCTAPLORUM.

Exemplar Ebraicum, Ebraicis literis deſcriptum.	Exemplar Ebraicum Græcis elementis exaratum.	Aquila	Symmachus	Septuaginta	Theodotion	Quinta Editio Hierichuntina.	Sexta Editio Nicopolitana.
בראשית.	Βερεσίτ	ἐν κεφαλαίῳ	ἐν ἀρχῇ	ἐν ἀρχῇ	ἐν ἀρχῇ.	Deſideratur	Deſideratur.
		1	2	3	4		
		TETRAPLA.					
1	2	3	4	5	6		
HEXAPLA.							
1	2	3	4	5	6	7	8
OCTAPLA.							

II. Hæc habet, inquam, Epiphanius in libro de ponder. & menſ. cap. 19. præterquam quod ſpectat ad columnarum Ebraicarum ſitum: nam ex aliis quibuſdam Epiphanii locis exiſtimare poſſit aliquis contextum Ebraicum Græcis notatum characteribus priore loco fuiſſe. Hujusmodi ille eſt ex Hær. 64. cap. 3. ὅθεν τὸ πρῶτον αὐτὸ ἐπιμελῶς ἐφιλοτιμήσατο συναγαγεῖν τὰς ἑρμηνείας, ἀκύλα, συμμάχου, τήν τε ἑβδομήκοντα δύο, καὶ Θεοδοτίωνος, πέμπτης τε καὶ ἕκτης ἐκδόσεως, μετὰ τὴν θέσεως ἑκάστης λέξεως ἑβραϊκῆς, καὶ αὐτῶν ὁμοῦ τῶν στοιχείων. ἐν τῷ πλήθει δὲ ἀντικρυς δευτέρα σελίδι χρώμενος τῇ σύνθεσιν ἑβραϊκὴν μὲν τῇ λέξει, ἑλληνικὴν δὲ (sic enim lego, non ἑλληνικῷ) τῷ γράμματι ἑτέραν πάλιν πεποίηκε συνθεσιν. *Vide primum ſtuduit in unum con-*

conjungere sex interpretationes Aquilæ, Symmachi, Septuaginta duorum, & Theodotionis; Quintam etiam & Sextam editionem; cum adjectione vocum singularum Ebraicarum propriis elementis descriptarum: ex altera autem parte oppositâ, utens altera columna depingendo contextum, Ebraicum quidem dictione, Græcum vero literis, alium rursum contextum lucubravit: Hæc ita exponi possent: medium locum tenuisse sex interpretationes Græcas inter Ebraica Ebraice scripta, quæ ad unam sita erant partem; & Ebraica Græce exarata, quæ ad aliam partem erãt collocata. Sed hanc expositionem respuunt verba Epiphanii ejusdem, quæ mox afferemus è libro de ponder. cap. 19. ubi Ebraicum utrumque contextum priore loco notatum fuisse agnoscit. Videtur itaque id sibi potius voluisse Epiphanius, ad unam Ebraicæ columnæ Ebraicis elementis exaratæ partem notatas fuisse Græcas sex interpretationes; ad alteram vero Græce scriptum contextum Ebraicum. Hoc idem significare dicas ista è libro de Ponder. cap. 7. B Τὰς γὰρ ἑρμηνείας καὶ τὴν ἑβραϊκὴν γραφὴν ἑβραϊκοῖς στοιχείοις καὶ ῥήμασιν αὐτοῖς ἐν σελίδι μιᾷ σωτέον εἶναι, ἄλλην σελίδα ἀντιπαράθετον δι' ἑλληνικῶν μόνων γραμμάτων, ἑβραϊκῶν δὲ λέξεων, &c. *Sex enim interpretationes, & Ebraicam Scripturam Ebraicis elementis ac verbis cum in una columna conjunxisset, aliam columnam oppositam, literis quidem Græcis, vocibus autem Ebraicis descriptam adjecit.* Quod si sex interpretationes, & Ebraicum exemplar Ebraice scriptum simul conjunxerat; in extima profecto columna contextum Ebraicum charactere Græco exaratum sequitur fuisse adtextum. Sed præfixa sine dubio fuisse Ebraica Ebraice depicta, tum subnexa eadem Græce exarata, & subjectas deinde sex Interpretationes ex iis manifeste concluditur quæ leguntur apud Hieronymum in Epist. ad Tit. 3. 9. *Vnde & nobis curæ fuit omnes Veteris legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla* (ita lege, non *exempla*, ut vulgo) *digesserat, de Cæsariensi* C *Bibliotheca descriptos ex ipsis authenticis emendare, in quibus & ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta, & Græcis literis tramite expressa vicino: Aquila etiam, & Symmachus, LXX. quoq;, & Theodotio suum ordinem tenent.* Columnas omnes prosequitur sui ordine recensuit. Apertius etiam Rufinus libr. 6. Eusebianæ histor. cap. 13. *Famosissimos illos Codices primus composuit Origenes in quibus per singulas columnulas è regione separatim opus Interpretis uniuscujusq; descripsit, ita ut primo omnium ipsa Hebræa verba Hebraicis literis poneret; secundo in loco per ordinem Græcis literis è regione Hebræa verba describeret; tertiam Aquilæ Editionem adjungeret; quartam Symmachi; quintam Septuaginta Interpretum, quæ nostra est; sextam Theodotionis collocaret, & propter ejusmodi compositionem exemplaria ipsa nominavit ἑξαπλᾶ.* Ex his etiam liquet præfixos Græcis editionibus fuisse Ebraicos contextus, non subnexos; nec præfixum alterum, alterum subnexum, ut indicare videntur illæ Epiphanii voces: ἐκ πρώτης δὲ ἄντιμερ. D Liquet hoc quoque ex his ejusdem è libr. de ponder. cap. 19. τινὲς τοίνυν, ὡς ἔφην, ταύταις ταῖς βίβλοις ἐντυγχάνοντες, καὶ εὑρίσκοντες τὰς δύο ἑβραϊκὰς πρώτας κειμένας, μὴ ταύτας ὂν τὴν τοῦ ἀκύλα τεταγμένην, &c. *Nonnulli igitur, ut dixi, hos libros legentes & reperientes Ebraicas duas editiones priore loco sitas; post eas vero illam Aquilæ collocatam,* &c. Ne quis vero vocem σελίδι pro eo usurpatam putet, quod nos paginam appellamus; nam σελὶς columnam quoque significat, adeo ut plures columnas una pagina contineret. Porro ordinem istum quem statuimus, luculenter adstruit vetustissimus Codex Barberinus duodecim Prophetarum, qui ad Oseæ 11. 1. breve Hexaplorum specimen ad oram attextum habet, & in sextum Tomum Polyglottorum Bibliorum suo loco retulit Waltonus. Desiderantur quidem Ebraica Ebraice scripta; priore vero loco sita sunt Ebraica Græcis elementis concepta; proxime subest his Aquila; huic Symma- E chus; quem excipiunt LXX. ultimam columnam sibi vindicat Theodotion.

III. Disquisitione dignum est, ecquid in Interpretationum dispositione Theodotioni antiquiori Symmachum recentiorem Origenes anteposuerit. Facile hunc nodum solvere se posse putasset Epiphanius, qui Theodotione vetustiorem fuisse Symmachum opinatus est libr. de ponder. cap. 16. 17. Itaque collocatos fuisse tres illos respondisset, juxta ordinem suæ ætatis. Ego vero à recepta opinione discedere non possum, quæ priorem ætate ponit Theodotionem quam Symmachum: nam quid opponi potest his Hieronymi Præfat. in Evangel. *Non quæro quid Aquila, quid Symmachus sapiant, quare Theodotion inter novos & veteres medius incedat:* quibus non temperatum duntaxat interpretandi genus, quod tenuit Theodotion, sed media etiam ejus ætas Aquilam inter & Symmachum significari videtur. F Origeni ergo aliud fuisse caussæ puto, cur ita interpretationes illas digereret. Ad Ebraica maxime accedebat Aquila, hunc illis ideo proxime adjunxit. Ab iisdem plus reliquis recedebat Symmachus, quippe qui sententiarum fuisset, quam verborum retinentior. Ut ex conflictu Aquilæ & Symmachi, qui abierant in diversa, & extrema fuerant persecuti, veritas eliceretur, optima ratione uterque simul conjunctus est. Subnexi sunt illis deinde Interpretes LXX. & Theodotion, qui mediam viam tenuerant. *Quasi non,* inquit Hieronymus Præfat. in Job. *apud Græcos Aquila, Symmachus, & Theodotio, vel verbum è verbo, vel sensum è sensu, vel ex utroque commixtum, & mediæ temperatum genus translationis expresserint.* Ordo autem studiorum postulat, ut intricatam quæstionem, & incertam disceptaturi, extremas primum

A primum & oppositas exploremus sententias, inde ad temperatas & medias progrediamur. Atque hunc modum servavit Origenes in collocandis interpretationibus.

IV. Nunc ea quam dedimus Tetraplorum, Hexaplorum, & Octaplorum descriptio an Eusebii rationibus consentiat, anquiramus. Scribit ille Origenem τὰς παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα ἐμφερομένας πρωτοτύπους αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γραφὰς, κτῆμα ἴδιον ποιησάμενος· *Usurpatas apud Iudæos Scripturas primigenias, ipsis Ebræorum literis descriptas, comparasse.* Hæc aliter intellexit vir doctus, atque ita reddidit: *comparasse eum sibi Scripturas, quæ apud Iudæos prototypis Ebræorum literis descriptæ esse feruntur:* Prototypas autem Ebræorum literas, ipsa esse Samaritarum elementa asseruit; velle igitur id sibi Eusebium, Samaritanis Scripturæ codicibus usum fuisse Origenem, eademque in Hexapla inseruisse. Verum qui propius ad locum hunc Eusebii B mentem attenderit, plane alium inde sensum extundet. Αἱ παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα ἐμφερόμεναι πρωτότυποι γραφαὶ, nihil aliud sonat, quam *primigeniæ Scripturæ quæ apud Iudæos circumferuntur*; non vero, *quæ apud Iudæos prototypæ Scripturæ esse feruntur*; dixisset quippe, παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα φερόμεναι. Quod si id sibi voluisset Eusebius, cur eas potius παρὰ τοῖς Ἑβδομήκοντα φερομένας, quam apud Græcos, Helleniſtas, aliosque dixisset, qui Samaritanas literas antiquiores esse Judaicis una cum Judæis fatebantur? Quis putet denique Hexaplis, ad Scripturæ illustrationem & publicam utilitatem concinnatis, Samaritarum exemplaria inferſisse Origenem, Judaica neglexisse; cum angustis finibus coërceretur Samaritica illa gens, latius vero Judaica pertineret? Quod si quis exemplaria utraque locum sibi in Hexaplis vindicasse dicet, non ergo Hexapla vel Octapla; sed Heptapla, vel Enneapla dicenda erant. Constat certe hoc capite Eusebium C Ebraica exemplaria Græcis interpretationibus oppositisse, quarum ratione veritatem Ebraicam merito πρωτοτύπους γραφὰς appellavit. Profecto Epiphanium, Hieronymum, & Rufinum stupor ingens occupasset, si editiones ac columnas Hexaplorum accurate percensentes, Samariticam prætermisissent. Non ergo verum est Samaritani Codicis testimonia, quæ occurrunt in scriptis Patrum, ex Origenis Hexaplis fuisse petita; sed certo certius est usos fuisse Patres Græca interpretatione Samaritani exemplaris. Maneat igitur loco huic Eusebii vulgata sua & recepta sententia. Addit deinde Origenem, præter editionem Interpretum Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, duas præterea protulisse in lucem, alteram Nicopoli, alteram in alio quodam loco repertam. Tum ait: ἔν γε μὴν τοῖς ἑξαπλοῖς τῷ ψαλμῷ μὴ τὰς ἐπισήμους τέσσαρας ἐκδόσεις, ἀμόνον πέμπτην, ἀλλὰ καὶ ἕκτην, καὶ ἑβδόμην προσθεὶς ἑρμηνείαν, ὅτι μιᾶς αὐθις σεσημείωται. οὓς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένης ἐπὶ θήρᾳ καὶ τοὺς χρόνους ἀντωνίνε τὲ τῦ υἱε σεβήρε. Hæc verba parum hactenus intellecta explanare operæ pretium est: *In Hexaplis quidem Psalmorum, post insignes quatuor Editiones, non Quintam solum, sed & Sextam, & Septimam adjungens interpretationem, in singulas rursus columnas descripsit; utpote quæ Hierichunte reperta sit in dolio temporibus Antonini, ejus qui fuit Severi filius.* ὅτι μιᾶς locutio est Tactica, qua res significantur in unum versum collocatæ à fronte ad tergum. Optime docet Budæus, quid sint νῆες ὅτι μιᾶς τεθαμέναι, nempe naves ita instructæ, ut unica in fronte sit, reliquæ pone sequantur in versum porrectæ. Ita ἐφ' ἑνὸς τεταγμένοι στρατιῶται, milites sunt in unum versum à fronte ad tergum instructi. Hanc locutionem eleganter huc transtulit Eusebius: quoniam enim per longas & angustas columellas digestæ erant Editiones in Hexaplis, propterea E ὅτι μιᾶς σεσημειωμένας esse dixit. Sua quoque vis inest vocabulo σεσημείωται, σημειοῦς præter alias significationes, sonat etiam, *scriptum aliquod ad aliud adjicere, adscribere*, ut superius observatum est. Igitur, ὅτι μιᾶς σεσημείωται, hoc est, *in singulas columnas describens adpriores adtexuit.* Perperam hæc accepit Nicephorus libr. 5. cap. 11. ait enim: ἐπέμπτην μόνον, ἀλλὰ καὶ ἕκτην, καὶ ἑβδόμην προσθεὶς ἑρμηνείαν ὅπσημαίνεται. Nec difficultate caret quod subest apud Eusebium, Origenem ad reliquas interpretationes adjecisse septimam, quod Hierichunte in dolio imperante Caracalla reperta sit. Idem habet Zonaras. Certum est ex Athanasii & Epiphanii auctoritate Quintam Editionem Hierichunte in dolio fuisse repertam imperante Caracalla. Addit Epiphanius una repertos esse libros alios, cum Ebraicos, tum etiam F Græcos. Quod si ex his fuisse septimam illam Psalmorum editionem dicamus, ita cum aliis Eusebius conciliabitur. Opinantur quidam Septimam illam Editionem eandem esse ac Lucianeam, hoc argumento, quod Athanasius, sive Synopseos auctor Luciani editionem septimo loco recenseat, & Septimam appellet: sed multum falluntur; nam Luciani editio ipsa fuit κοινὴ, post Origenis ætatem correcta & emendata à Luciano, ut tradit Hieronymus initio Epistolæ ad Suniam & Fretellam. Septimam vero Editionem, quæ Hexaplis intexta est, Hierichunte inventam esse imperante Caracalla Eusebius asseverat: quod de κοινῇ certe dici non potest. Hexapla igitur illa Origenis, sive Octapla, quæ in aliis Scripturæ libris sex Græcis constabant editionibus, septem in libro Psalmorum continebant. Ita postmodum scribit Eusebius: ταύτας ὁ ἅπασας ὅτι ταυτὸν συναγάγων, διελών τε κῶλον, καὶ ἀντιστραφεὶς ἀλλήλαις μὴ καὶ αὐτῆς τῆ ἑβραίων σημειώσεως, τὰ τῶν λεγομένων ἑξαπλῶν ἡμῖν ἀντίγραφα παρεδίδοτο. Sensus est: *Has omnes cum in unum conjunxisset, & per cola*

Euseb. libr. 6 Hist. cap 16.

Euseb. l. 6. Hist. c. 16.

cola distinxisset, & invicem opposuisset, una cum Ebraici contextus adjectione, Hexaplorum nobis exemplaria reliquit. Diximus σημειῶσις id esse, *Scriptum aliquod ad aliud adjicere*; inde σημείωσις, *Scripti alicujus ad aliud adjectio*. Itaque ἑβραίων σημείωσις, est Ebraici exemplaris ad reliquas interpretationes appositio. Hæc præter legitimam sententiam à nonnullis alio detorta sunt. A

Post Hexapla, ex quatuor Editionibus, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta Interpretum, & Theodotionis simul conjunctis & oppositis, Tetrapla conflavit Adamantius, ut tradit Eusebius, & post illum Zonaras. Nec enim aliud sonant hæc Eusebii verba: ἰδίως τὴν ἀκύλα, καὶ συμμάχου, καὶ Θεοδοτίωνος ἔκδοσιν ἅμα τῇ τῶν ἑβδομήκοντα ἐν τοῖς τετραπλοῖς ἐπικατασκευάσας, quam eum post Hexapla, ex his quatuor Editionibus Tetrapla seorsum compegisse; non vero in Tetraplis seorsum digestas, & separatim discretas fuisse singulas interpretationes, ita ut suas singulæ paginas occuparent: in iisdem enim fuerunt paginis descriptæ omnes ac invicem oppositæ, sive, ut ait Epiphanius, συντεταγμέναι, qui & addit, si Tetraplis Græcis Dipla Ebræa fuissent adjuncta, prodiisse Hexapla; quod fieri certe non potuisset, nisi è regione invicem oppositæ essent in iisdem paginis Tetraplorum Græcanicæ editiones, quemadmodum & in Hexaplis. B

V. Animadversionem nostram requirit, quod idem ait Eusebius, collectis in unum sex Editionibus Græcis, & adjecto Ebraico contectu Hexapla nobis Origenem reliquisse; Psalmorum vero Hexapla Græcis editionibus septem constitisse. Eusebio consentiunt Scholia Romana in Editionem τῶν ὁ, in quibus nonnunquam super Psalmos Hexapla citantur. Consentit & Epiphanius Hær. 64. cap. 3. & post illum Zonaras, qui diserte pronuntiant Hexapla sex Editiones Græcas, cum gemina Ebraici textus descriptione fuisse complexa. C Quæri igitur potest, cur Hexapla dicta sint, quæ octo columnas habuere. Nec enim, puto, cum Erasmo & Magdeburgensibus sentit quisquam ἑξαπλᾶ, non à numero ἕξ appellationem esse sortita, sed à verbo ἐξαπλόω, quod est, *explano*: nam unde factæ dicerentur voces, τετραπλᾶ, &, ὀκταπλᾶ; Respondent nonnulli Hexapla dicta, non à numero columnarum, sed à numero Interpretationum sex; nulla habita contextus Ebraici ratione, qui inter Interpretationes numerari non debuit. Huic opinioni favere videtur Epiphanius loco mox allato, cum ait: ὥστε εἶχε τὴν πᾶσαν παλαιὰν διαθήκην δι' ἑξαπλῶν καλουμένων, καὶ δίχα τῶν δύο ἑβραϊκῶν ῥημάτων. *Adeo ut Vetus omne Testamentum iis Hexaplis, & gemino Ebraico contextu fuerit comprehensum*: ubi aperte Hexapla Græca à Diplis Ebraicis distinguit. Hexapla ergo, inquiunt, à sex Interpretationibus fuerunt denominata, quemadmodum Tetrapla à quatuor, ac ideo falli qui Hexaplis vulgatas quatuor editiones Græcas, & exemplaria duo Ebraica assignant. Id si sit, palam sibi repugnaverit Epiphanius libro de ponder, & mensur. cap. 19. qui ita differit: Τετραπλᾶ γάρ εἰσι τὰ Ἑλληνικὰ, ὅταν αἱ τοῦ ἀκύλα, καὶ συμμάχου, καὶ τῶν ἑβδομήκοντα δύο, καὶ Θεοδοτίωνος ἑρμηνεῖαι συντεταγμέναι ὦσι. τῶν τεσσάρων δὲ τούτων σελίδων ταῖς δυσὶ ταῖς ἑβραϊκαῖς συναφθεισῶν, ἑξαπλᾶ καλεῖται· ἐὰν δὲ καὶ πέμπτη, καὶ ἡ ἕκτη ἑρμηνεία συναφθῶσιν, ὠκταπλᾶ τοῦτος ὀκταπλᾶ καλεῖται. *Tetrapla enim Græcis constant, cum Aquilæ, & Symmachi, & Septuaginta Senum, & Theodotionis interpretationes simul conjunctæ sunt: quæ columnæ quatuor si Ebraicis duabus adjiciantur, Hexapla dicuntur: quod si Quinta & Sexta interpretatio accesserint, sequitur ut Octapla nominentur.* Quibus adsonat Rufinus in interpretatione decimi sexti capitis libri sexti Historiæ Eusebii. Aliò vero abit Nicetas, & Dipla Ebraica, quoniam idem omnino continebant, pro una, eaque bipartita columna habita fuisse vult, atque illa cum τῆς ὁ, Aquila, Symmacho, Theodotione, ac Quinta editione sex columnas constituisse, ac Hexaplas inde fuisse appellata. D E

Eraſm. de doctr. & libr. Orig. Magdeb. Cent. 3. cap. 10.

Nicet. Theſ. orth. fid. lib. 4. Hær. 31.

Has inter oppositas & repugnantes sententias, novam, &, nisi me animus fallit, verissimam tueor. Falsum est, quod vulgo creditur Quintam, & Sextam Editionem universos Scripturæ libros fuisse complexas. Aliquot duntaxat continebant ex illis, eosque potissimum qui versibus constant apud Ebræos. En tibi testem Hieronymum in Epistolam ad Tit. 3. 9. *Unde & nobis curæ fuit omnes Veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare; in quibus & ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta, & Græcus literis tramite expressa vicino. Aquila etiam, & Symmachus, LXX. quoque, & Theodotio suum ordinem tenent. Nonnulli vero libri, & maxime hi qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias Editiones additas habent, quam Quintam, & Sextam, & Septimam translationem vocant, auctoritatem sine nominibus Interpretum consecutas.* Itaque in illa variarum Editionum coagmentatione, aliqui libri quatuor duntaxat constabant editionibus, cum Diplis Ebraicis; atque hi libri erant vere ἑξαπλοῖ. Sex vero habebant editiones Græcas, cum Diplis Ebraicis, alii libri per versus compositi, excepto Psalterio, nempe Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum: ac proinde erant ὀκταπλοῖ. At liber Psalmorum præter geminas Ebraici contextus columnas septem editiones continebat, meritoque librum hunc ἐννεαπλοῦν fuisse diceres. Igitur Opus istud Origenis partim erat Hexaplum, partim Octaplum, partim Enneaplum: sed Septimæ Editionis, quæ ad unum pertinebat Psal- F

A Psalterium, in tota Bibliorum denominanda mole ratio habita non est, ideoque à nemine Enneapla dicta sunt. Asserit etiam Origenes ab interpretationibus Aquilæ & Theodotionis abfuisse Threnos Jeremiæ. Itaque Liber ille fuerit τετραπλᾶ, sed totum corpus Bibliorum propter libri exiguitatem Tetraplum dici non debuit. Quidam Hexapla ista volumina appellarunt, fortasse etiam Hexapla ab Origene inscripta sunt, quod magna illorum pars quatuor editionibus, Aquilæ, Symmachi, τῶν ὁ, & Theodotionis, ac Diplis præterea Ebraicis esset conflata: alii vero cum his voluminibus sex editiones Græcas præter Ebraica exemplaria inesse intelligerent, Octapla vocanda censuerunt. Quapropter nemo mirari debet, cur Hexaplis sex editiones Græcas, & duos contextus Ebraicos fuisse intextos dixerint Eusebius, Epiphanius, & Zonaras: intextæ quippe erant editiones illæ sex in aliquibus dun-
B taxat libris, non in universis; nam quamvis intextæ itidem essent in Psalmis editiones septem, Hexapla tamen Psalmorũ idem dixit Eusebius. Manifestum ergo est unum idemq; opus fuisse Hexapla & Octapla; sed à diversis quibus constabat partibus diversas appellationes habuisse. Tetrapla autem privatum fuit ac separatum opus ab Origene post Hexapla accuratum, in Studiosorum gratiam, quibus tantum abs re sua vel otii vel facultatis non erat, Hexapla comparare possent. Nec quemquam moveat quod scribit Hieronymus, *Exceptis Septuaginta Interpretibus, alias quoque editiones in unum congregasse volumen*; quod & ex Hieronymo transtulerunt Freculphus Lexoviensis, & Honorius Augustodunensis: id enim sibi volunt, præter LXX. Interpretes, reliquos etiam Origenem in unum volumen congregasse.

Hieron. de script. Eccles. in Orig. Freculph. Chron. Tom. 2. l. 3 c. 2. Hon. Aug. de script. Eccles.

C VI. Ex his facile intelligitur, quantum ratio Scaligerum fugerit, qui in delineatione Hexaplorum seu Octaplorum, quam in sacras suas Exercitationes retulit Heinsius, utrumque Ebraicum contextum post interpretationes Græcas sex in finem conjecit. Si modo revera Scaligeri fuit hæc delineatio, quod dubium mihi faciunt Scaligeriana nuper edita, in quibus Octaplorum columnas enumerans, prioribus locis Ebraicas duas recenset. Nec felicior Heinsius, cum columnas ibidem Hexaplorum describens, tertiam attribuit Septuaginta Interpretibus, quartam Aquilæ, quintam Theodotioni, & sextam Symmacho. Neque iis excusandis sufficit Nicetæ Acominati auctoritas, qui in simili versatus est errore, columnis Ebraicis subjectos fuisse τὰς ὁ, his Aquilam, tum Symmachum, inde Theodotionem, & Quintam demum interpretationem asseverans. Peccat quoque Baronius aliter in
D Tetraplis dispositas editiones Græcas censens ac in Hexaplis, & priorem in illis locum τοῖς ὁ assignans, in his tertium. Hos in fraudem videtur illexisse Philoponus, qui in libro περὶ κοσμοποίας loca sacri Contextus ex his quatuor interpretationibus afferens, priore loco τὰς ὁ collocat; his subjicit Aquilam, huic Theodotionem, illi Symmachum. Nec enim Tetrapla repræsentare Philoponus instituit; sed in interpretationibus disponendis Interpretum ætatem respexit: cum clarum sit cæteroquin ex Epiphanio postremam columnam obti-
E nuisse Theodotionem tam in Tetraplis quam in Hexaplis, secundam Symmachum, atque hos inter medios Septuaginta incessisse. τετραπλᾶ γάρ εἰσι, inquit, τὰ ἑλληνικά, ὅταν αἱ τὸ ἀκύλα, καὶ συμμάχῳ, καὶ τῶν ἑβδομήκοντα δύο, καὶ θεοδοτίωνος ἑρμηνεῖαι συντεταγμέναι ὦσι. *Tum enim existunt Græcanica Tetrapla, quando interpretationes Aquilæ, Symmachi, Septuaginta Senum, & Theodotionis in unum fuerint compositæ.* Tum addit, si Dipla Ebraica præfigantur, conflari Hexapla. Pro Origenianorum Tetraplorum specimine haberi non posse loca illa à Philopono è quatuor Græcis interpretationibus detracta probari quoque potest ex Philastrio, qui Hær. 137. asserit Aquilæ conversiones in medio librorum nunquam fuisse positas, sed dextræ, lævæque assignari solitas fuisse. Aquilæ interpretatio in Tetraplis priore loco ponebatur; qui locus diverso respectu vel dexter erat, vel sinister: legentium respectu sinister erat, dexter libri ipsius. Itaque alii dextro loco situm esse, alii sinistro scripserant. Id cum legisset Philastrius, existimavit, Aquilam in aliquibus Tetraplorum exemplaribus dextrum tenuisse locum, in aliis sinistrum; sed hallucinatus est, nam semper columnæ
F huic deputatus est, quæ ad Lectorum lævam collocata erat. Ut ut est, certe in medio nunquam fuisse constat: fuisset autem, si priorem columnam occupassent Septuaginta Interpretes, Aquila secundam. Refellitur etiam ex supradictis Salmasius, qui hæc scribit in Commentario de Hellenistica: *Sed nusquam Hieronymus Quintæ & Sextæ editionis meminit; & cum Hexapla vocitat, intelligit Tetrapla Græcania, cum Diplis Hebraicis, quæ Hexapla faciebant.* Et mox allatis quibusdam Hieronymi locis, in quibus Græcæ solum quatuor Editiones memorantur, subjicit: *Apparet, ex his Origenem quatuor tantum editiones inter se comparasse, & composuisse in Tetraplis, quæ cum duobus Hebraicis textibus Hexapla illa Ecclesiis dedicata contexebant.* Certe in Hieronymi verbis à me supra allatis è Commentariis in Epistolam ad Titum, mentio fit Quintæ & Sextæ editionis, & sæpissime in Epistola ad Suniam & Fretellam, aliisque locis. Hexapla autem dicta sunt ea, non quæ Tetrapla solum Græcanica, cum Diplis Ebraicis, sed quæ Quintam præterea, & Sextam, ac Septimam editionem, non ubique,

Nicet. Thes orth. fid. lib. 4. Hær. 31. Bar. A. 231. c. 9.

Epiph. de pond. c. 19.

sed in aliquibus solum libris adjunctam haberent. Ait paulo post Salmasius: *Sed & veteres Patres ex quibus compositæ Catenæ, ut vocant, in diversos Veteris Testamenti libros leguntur, nunquam citant varietates Translationum è Quinta & Sexta Editione, sed ex quatuor illis tantum quas invicem composuerat Origenes, ex quibus Tetraplafecerat, & cum gemino Ebraico* ἑξαπλᾶ. Consule Notas Flaminii Nobilii, quam sæpe Quintæ ac Sextæ editionis variantes Lectiones citent Patres antiqui, deprehendes. Falsum quoque esse apparet, quod jactant recentiores quidam, Origenem nulla unquam Octapla composuisse, sed Hexapla duntaxat & Tetrapla. Octapla certe itidem ut Hexapla composuit Origenes, quoniam idem opus Hexaplum & Octaplum fuisse demonstravimus. Confutatur etiam ex præcedentibus Usserii Armachani nova opinio, non puram solum & emendatam interpretationem τῶν ὁ, sed κοινὴν quoque in Hexaplis habitam fuisse asserentis, quod Bellarmino quoque videtur fuisse persuasum. Deprehenditur quoque multiplex Magdeburgensium hallucinatio in his ipsorum verbis: *Primum versioni LXX. quæ tum fuisse videtur vulgatissima, adjunxit Aquilæ Pontici, Theodotionis, & Symmachi editiones repertas à se, multo tempore absconditas: aliam quidem Nicopoli in Actiaco littore; aliam aliis in locis, sicut ipse scribit: indicavit Eusebius libr. 6. cap. 17. His postea superaddidit Quintam, Sextam, & Septimam, quas dixerunt Editiones: quarum unam inventam esse indicavit in Hiericho, in dolio, tempore Antonini Caracallæ.* Nam ut de Symmachi interpretatione sileam, Aquilæ & Theodotionis editiones ab Origene fuisse repertas probari minime potest; nec ullam ex iis tribus Nicopoli inventam fuisse verum est, sed Sextam. Omnium vero turpissime erravit Sixtus Senensis, qui Tetrapla cum Hexaplis confudit, & permiscuit, Hexapla vero ab Octaplis discrevit, idemque ut faceret Viro cuidam magno persuasit * quique Septimam Editionem nec in Hexaplis, nec in Octaplis unquam fuisse asseveravit; contrarium disertis verbis affirmante Eusebio.

Bellarm. de script. Eccl. *Sixt. lib. 4. & 8. Bibl.* *Euseb. lib. 6. Hist. c. 16*

VII. Aliud præterea diligentiæ Origenis monumentum Hexapla præferebant. Notaverat ille Senes Septuaginta voces aliquas, quæ in Ebræo haberentur, interpretando neglexisse, nonnullas autem de suo inseruisse, variaque ipsorum circumferri exemplaria inter se diversa, & sive ex supinitate librariorum, sive ex Criticorum temeritate vitiata: hinc calumniæ ansam arripere Judæos, ejusmodi interpretationem in Christianorum Ecclesiis prælegi solere caussantes, quæ Ebraicæ veritati in omnibus non consentiret. Consulantur ipsius Tomus in Matthæum decimus quintus, & Epistola ad Africanum, ubi de Exemplarium τῶν ὁ corruptione, & Judæorum calumniis disserit. His incommodis ut occurreret, interpretationem Septuaginta Senum emendavit ex optimorum exemplarium fide, atque ejus præsertim quod in Serapeo servabatur, quodque ipsum τῶν ὁ αὐτόγραφον fuisse affirmant Veteres nonnulli. Asteriscos præterea, ubi quid deesset, cum prætermissis vocibus inseruit; quæ vero illi præter Ebraicorum fidem adjecissent, præfixo obelo signavit: *Quæ signa*, inquit Hieronymus, *& in Græcorum, Latinorumque poëmatibus inveniuntur*, unde & ab Origene translata sunt. Quæ de lemnisco subjicit Epiphanius, valde corrupta & confusa sunt; unde vix certi quicquam possis extundere. Id sibi tamen videtur velle, lemniscos adscripsisse Origenem, quotiescunque duo pluravé paria Interpretum (hos enim in triginta sex paria fuisse discretos, & in omnibus fere consensisse autumat, cum Scripturam sacram in Ægypto interpretarentur) vocem aliquam usurpassent, ab ea diversam (ejusdem licet significationis) qua usi fuissent reliqui Interpretes; (quod ipsum fere habent Hesychius in Psalmum 12. 4. & Isidorus Origin. libr. 1. cap. 20.) hypolemniscos vero adnotasse, si quando vocem hujusmodi par unicum adhibuisset. Quibus significatur Origenem 36. Interpretum exemplaria simul contulisse. Ab Epiphanio dissentit Andreas Masius, & paria illa Interpretum, velut aniles fabulas respuit, tumque appositos putat lemniscum & hypolemniscum, cum varias aliquas lectiones plures paucioresve Codices assererent. Alium notarum illarum usum profert Johannes Curterius, nec aliud significare lemniscum putat quam verbis consentire Interpretes aliquos, discrepare sensu; hypolemniscum vero, quam sensu eos & verbis dissonare. Sed mihi verisimilior videtur Masii sententia. Asteriscorum illorum, obelorum, lemniscorum, & hypolemniscorum formas notat Epiphanius, & nominum significationes; multumque fallitur, cum vocabulum, λημνίσκος derivat à Græco λιμνάζειν. nam Syracusiam esse vocem constat. Reliqua fuse persequitur Epiphanius in eodem libro: nec docet tamen utrum quæ Hexaplis intexta est interpretatio τῶν ὁ in 1. Reg. 14. 4. μᾶλλον ταῦτα ἐν τῷ ἑξαπλῷ ἤκριβωται, ὡς ἐκ Θεοδοτίωνος προστεθέντα. *Imo, hæc in Hexaplo asterisco notata sunt, utpote quæ ex Theodotione adjecta sint:* & ex istis Hieronymi, quæ repetit Rufinus Invect. 2. *Sed & Origenes asteriscos fecit, ex translatione Theodotionis assumens, ut componeret volumina quæ appellantur Hexapla.* Tum subjungit: *Quia frequenter si disputatio accidisset, vel immutata esse aliquata, vel deesse, vel abundare in nostris Scripturis mentiebatur, voluit Origenes nostris ostendere, qualis apud Iudæos Scripturarum lectio teneretur, & in propriis paginis vel columellis editio-*

Masius Præfat. in Græc. edit. Iosue, & Annot. suas Iob. Curcer. Præfat. ad Precep. Comm in Isaiam.

nes

A *nes eorum singulas quasq; descripsit; & ea quæ apud illos sunt addita vel decerpta, certis quibusque signis additis, ad versiculorum capita designavit; & in alieno, non suo opere suas tantummodo notas fixit; ut sciremus non quid nobis, sed quid ludæis adversum nos certantibus aut deesse aut abundare videretur:* & iterum ex istis Hieronymi in Præfat. Paralip. ad Chromatium: *Et certe Origenes non solum exempla* (lege *Hexapla*) *composuit quatuor editionum, è regione singula verba describens, ut unus dissentions statim cæteris inter se consentientibus arguatur: sed quod majoris audaciæ est, in Editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans quæ minus fuerant, & virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita.* Sed Origenem ipsum audire operæ pretium est: sic ille Tom. 15. in Matth. p. 381. Νωῖ δὲ δηλονότι πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορὰ, εἴτε διὰ ῥαθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε διὰ τόλμης τινῶν μοχθηρὰς διορθώσεως τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ διὰ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσῃ προστιθέντων ἢ ἀφαιρούντων· τὴν μὲν οὖν ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῆς παλαιᾶς διαθήκης διαφωνίαν, θεὸς διορθοῖ, εὐρεῖν ἰσασιν, κριτηρίῳ χρησάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι τῶν ὀλίγα διαφερομένων πρὸς τοὺς ἑβδομήκοντα διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων τὸ στῆσαι ἐκείνας ἐφυλάξαμεν, καί τινα μὲν ἀθετήσαμεν ἐν τῷ ἑβραϊκῷ κείμενα, ὡς τολμήσαντα αὐτὰ πρὸ ἡμῶν μεθερμηνεῦσαι. Τινὰ δὲ μεθ' ἀστερίσκων προσεθήκαμεν, ἵνα δῆλον ᾖ ὅτι μὴ κείμενα πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα ὁμοῦ τῶν λοιπῶν συμφώνως τῷ ἑβραϊκῷ προσεθήκαμεν. Ex hoc loco suspicari licet, non ex Theodotione solum, sed & aliis editionibus nonnulla fuisse inspersa. Quapropter Epiphanius, à quo rerum illarum accurate tradita historia est, desiderari ait à plurimis apud Interpretes Septuaginta quæ ex Ebræis referre prætermiserunt ipsi, Aquila vero, & Symmachus, ac reliqui Interpretes repræsentarunt: ex uno autem Theodotione addita esse non apposuit. Emendatio hæc τῶν ὁ per obelos & asteriscos, caussæ fuit Hieronymo, cur ita Augustinum alloqueretur Epist. 89. cap. 6. *Miror, quomodo Septuaginta Interpretum libros legas, non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos, sive corruptos per obelos & asteriscos, & Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris; præsertim cum ea quæ addita sunt, ex hominis Iudæi atque blasphemi, post passionem Christi, editione transtulerit.* Corruptos dicit libros Septuaginta Interpretum, propter additamenta è Theodotione, cum in Isaiæ 58. cap. emendata ac vera appellet Hexaplorum exemplaria, quæ eadem additamenta præferebant; nam neglectis asteriscis qui vel in legendo, vel in describendo negligi poterant, maxima existebat Theodotionis cum τοῖς ὁ confusio: at observata asteriscorum distinctione, legitima τῶν ὁ verba à Theodotione accurate secernebantur. Itaque pro legentis attentione D & diligentia corrupta erant, vel emendata. Quo circa in eadem ad Augustinum Epistola ita pergit Hieronymus: *Vis amator esse verus Septuaginta Interpretum? Non legas ea quæ sub asteriscis sunt; imo rade de voluminibus.*

Epiph. de pond. & m.

Editioni τῶν ὁ, quæ erat in Tetraplis Scholia ad limbum aliqua adjecisse Origenem discimus ex memorato Codice Marchali, quem habent Claromontani Patres Societatis Jesu: adnotatum enim est ante Ezechielem, librum hunc ex Hexaplis descriptum esse; correctum vero ad Tetraplorum fidem: postmodum subest: ἃ τινα καὶ αὐτὸς (ὠριγένης) χεῖρι διορθώσατο, καὶ ὑπολιγράφητο· ὅθεν εὐσέβιος ἐγὼ τὰ σχόλια παρέθηκα· πάμφιλος καὶ εὐσέβιος διορθώσαντο· Quæ (Tetrapla) *ipsius* (Origenis) *manu emendata, & Scholiis succincta erant: unde ego Eusebius Scholia apposui: Pamphilus & Eusebius emendarunt.*

E VIII. Apud multos hanc opinionem percrebuisse video, Origenem quo parabilior esset emendata à se Editio Septuaginta, edidisse eam seorsum, & ex ingenti Hexaplorum mole exemisse; adeo ut solitaria illa, alterius quæ habebatur in Hexaplis unde erat profecta, germana esset, & omni ex parte similis. Ratio istius opinionis valida nulla affertur. Probabilior mihi videtur sententia Johannis Baptistæ Morini, viri doctissimi, Editionem illam τῶν ὁ ex Origenianis Hexaplis descriptam ab Eusebio & Pamphilo, & primum evulgatam arbitrantis; juxta illud Hieronymi in Præfat. ad Paralip. ad Chromatium: *Alexandria & Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt;* F *quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt.* Nam cum frequenter exscriberentur Hexapla in Ecclesiarum, doctorumque hominum usum, novis indies deformabantur sordium inquinamentis; cum præsertim asteriscorum & obelorum adnotationem vel insuper haberent librarii, vel non satis diligenter administrarent: unde ingens incidebat rerum perturbatio, confusis & permistis cum Septuaginta Senum interpretatione Theodotionis additamentis: *Misericordia & veritas,* inquit Hieronymus in Epistol. ad Sun. & Fretell. *obviaverunt sibi: & dicitis, quod in Græco, sibi, non habeatur:* ἴλεως καὶ ἡ ἀλήθεια συνῆντεσαν, *id est, Misericordia & veritas concurrerunt; nec in Hebræo habetur, & apud Septuaginta obelo prænotatum est: quæ signa dum per scriptorum negligentiam à plerisque quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error oboritur.* Loquitur de editione τῶν ὁ, quæ Hexaplis inerat. De generante ergo magis magisque hac Editione, restituere eam conati sunt Eusebius & Pamphilus, ex ipso αὐτογράφῳ, quod erat in Cæsariensi Bibliotheca; restitutam vero & seorsum

Ioh. B. Morin. in Præf. ad LXX.

magna diligentia descriptam publicaverunt. Atque ea Editio Palæstina dicta est. Summo A scilicet applausu fuit excepta, & in Hierosolymæ, aliisque Orientis Ecclesiis decantari cœpta, & librariorum sæpe eam in publicos usus exscribentium labore disseminata passim ac propagata; cum propter Auctoris famam, & Emendatorum nobilem doctrinam, tum propter operis ipsius dignitatem. Hujus editionis & emendationis luculentum extat monumentum in Codice Renati Marchali, jam sæpe laudato; in quo post Jeremiæ librum adnotatum est, descriptum eum esse ex Origenis Hexaplis, & emendatum ex Tetraplis manu ipsius exaratis; idque opera Pamphili & Eusebii.

En tibi jam itaque triplex editio Septuaginta Senum; Origeniana hæc quæ in Hexaplis continebatur; altera privatim edita ab Eusebio & Pamphilo, quæ prioris mere germana erat; tertia vetus illa quæ Origenis emendationem præcessit, & κοινὴ seu vulgata appellata B est, quæque multiplex & diversa fuit, utpote varias passa adulterationes. Non alia autem Septuaginta Interpretum editio usurpabatur vulgo ante Origenem, quem quæ κοινὴ dicebatur. Hanc appellationem idcirco consecuta erat, quod nulla per Orientem Scripturæ editio frequentiori usu contereretur. Quo factum est, ut editio κοινὴ non unam aliquam & peculiarem Septuaginta Senum editionem notare deinde cœperit, sed ipsam eorundem Interpretum conversionem generali appellatione significaverit. Rem uno verbo expedio. Vocabulum illud, κοινὴ, generi & speciei commune fuit, ut aliæ pleræque voces: Generi, cum qualemcunque τῶν ὁ editionem notavit; Speciei, cum ei soli addicta est, quæ ante Origenis emendationem circumferebatur. Speciei tributa est primum, inde ad genus ipsum transivit. Quamobrem aliquando Hieronymus τοὺς ὁ, ab Origene scilicet emendatos, à κοινῇ C distinguit; aliquando cum ea permiscet & confundit. Distinguit quidem in Proœmio ad librum 16. Commentar. in Isaiam. *Liquido*, inquit, *confitentes in Ebraico non haberi, nec esse in LXX. Interpretibus, sed in Editione Vulgata, quæ Græce* κοινὴ *dicitur, & in toto orbe diversa est.* LXX. Interpretes signat ab Origene emendatos. Et in Epistola ad Sun. & Fretell. κοινὴ *autem ista, hoc est, Communis editio, ipsa est quæ & Septuaginta, sed hoc interest inter utramque, quod* κοινὴ *pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio est. Ea autem quæ habetur in* ἑξαπλοῖς, *& quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata Septuaginta Interpretum translatio reservatur. Quidquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est, quin ita & ab Hebræorum auctoritate discordet.* Confundit vero τὰς ὁ cum Vulgata libr. 9. in Isaiæ 30. 20. *Multum*, inquit, *in hoc loco 70. Editio, Hebraicumque discordant. Primum ergo de Vulgata tractabimus.* Vulgatam editionem appellat τὰς ὁ, quorum verba pro- D fert: profert autem de Hexaplis. Et in Præfat. Commentar. in Daniel. *Origenes de Theodotionis opere in editione Vulgata asteriscos posuit.* Et in Epistola ad Suniam & Fretell. *Licet in Septuaginta & in Hexaplis ita repererim.* Hoc est in Vulgata, & in illa Hexaplorum. Vulgata speciatim & proprie dicta utebantur Sunia & Fretella, piæ & eruditæ fœminæ: multum illa à primigenio exemplari deflexerat. Hæ rogarunt Hieronymum, ut plurimorum Psalterii locorum, in quibus Græca à Latinis dissonabant, legitimam lectionem ex Ebraica veritate sibi traderet. Morem gessit Hieronymus, & prolixam rescripsit Epistolam, ex cujus evolutione discas, quid Vulgatam inter editionem, & illam quæ jacebat in Hexaplis, discriminis interfuerit.

IX. Dum hanc emaculandis Septuag. Senibus navabant operam Eusebius & Pamphilus; E similis cura Hesychium monachum in Ægypto, & Lucianum Antiochiæ eodem circiter tempore exercebat. Hi priscam illam Editionem, κοινὴν dictam, deformem mendis, & sexcentis vitiatã locis mutare in melius aggressi sunt. Adhibitis ergo vetustis Vulgatæ hujus interpretationis exemplaribus rem ita gesserunt, ut recusam ab Hesychio editionẽ Ægyptus amplexa sit: quam vero recoxit Lucianus, ab universis probata & usurpata sit regionibus, quæ Constantinop. & Antiochiã interjacent; nam Ebraicam etiam veritatẽ consuluisse fertur, ab eoq; emendata vetus illa Vulgata nomine ipsius affecta est. Hieron. in Epist. ad Sun. & Fretell. *In quo breviter illud admoneo, ut sciatis aliã esse editionẽ, quam Origenes & Cæsarienses Eusebius, omnesque Græciæ tractatores* κοινὴν, *id est, Communem appellant, atq; Vulgatam, & à plerisq; nunc* λουκιάνειος F *dicitur; aliam Septuaginta Interpretum, quæ & in* ἑξαπλοῖς *codicibus reperitur, & à nobis in Latinum sermonem fideliter versa est, & Hierosolymæ, atque in Orientis Ecclesiis decantatur.*

Igitur quintuplex post hanc ætatem Septuaginta Interpretum editio habita est; Vulgata vetus, Origeniana, Eusebiana, illa Luciani, & Quinta demum Hesychii. Sed quoniam ex Hexaplis profecta erat Eusebiana, pro una eademque utraque habita est. Quæ vero ὁ κοινῆς exemplaria superarant, in Studiosorum bibliothecis delitescebant. Atque ita licet quinque revera extarent hoc tempore editiones, trium duntaxat usus erat in Ecclesiis. *Alexandria & Aegyptus*, inquit Hieronymus, *in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Palæstinos codices legunt; quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt: totus q; orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.*

X. Cæ-

A X. Cæterum veri mihi videtur simillimum, Lucianum ipsum, & Hesychium cum κοινὴν emendabant, ut Origenis imitabantur studium, ita emendationis rationem tenuisse, & obelis ac asteriscis κοινὴν distinxisse, eique Theodotionis lacinias assuisse. Cum enim certum sit, Ægyptum ac Syriam Hesychii & Luciani editionibus esse usas; nec minus certum sit quæ iis in regionibus usurpabantur editiones τῶν ὁ, obelis fuisse & asteriscis signatas, plane hinc efficitur Hesychii & Luciani editiones notatas fuisse obelis & asteriscis. Hieronymus in Proœmio Comment. Daniel. *Sed & Origenes de Theodotionis opere in Editione Vulgata asteriscos posuit, docens defuisse quæ addita sunt; & rursus quosdam versus obelis prænotavit, superflua quæque designans. Cumque omnes Christi Ecclesiæ, tam Græcorum, quam Latinorum, Syrorumque,*
B *& Ægyptiorum, hanc sub asteriscis & obelis editionem legant, ignoscant invidi labori meo, qui volui habere nostros, quod Græci in Aquilæ, & Theodotionis, ac Symmachi editionibus lectitant:* & in Epistol. 89. ad Augustinum, cap. 6. *Vis amator esse verus Septuaginta Interpretum? non legas ea quæ sub asteriscis sunt, imo rade de voluminibus, ut Veterum tesautorem probes: quod si feceris, omnes Ecclesiarum Bibliothecas damnare cogeris; vix enim unus aut alter inventur liber, qui ista non habeat.* Quippe vix ulla reperire erat Hieronymi ætate exemplaria, quæ non vel ab Origene, vel à Luciano, vel ab Hesychio fuissent correcta. Cum itaque vulgata omnia exemplaria insedissent asteriscí & obeli, nec ulla fere essent in usu, quam quæ tres illi castigatores emendaverant, sequitur ita distinctos fuisse ipsorum Codices. Cujus discriminationis quosnam assignare par est auctores, præterquam Lucianum ipsum, & Hesychium, quod ab Origene primum fuerat inventum imitantes postmodum & excolentes? Quin & ad Editiones
C quoque Latinas pervenit ejusmodi ἔριδος· nam Hieronymus in Epist. 89. ad Augustinum, c. 6. Latinæ suæ τῶν ὁ interpretationi asteriscos quoque & obelos sese addidisse testatur.

Ex his porro Græcis editionibus, vel ea nempe quæ erat in Hexaplis, sive Eusebiana, vel Lucianea, vel Hesychiana, hodiernæ nostræ omnes videntur prodiisse: hac enim, ut ait Hieronymus, trifaria varietate totus orbis compugnabat; Vulgata vero omnium inquinatissima pene obsoleverat. Cum autem in Veteres illas magnam constet invectam esse confusionem ex librariorum oscitantia, dum vel obelorum & asteriscorum notationem negligunt, vel eos suis non adscribunt locis, negari non potest impuras esse recentiores Editiones τῶν ὁ, & vitiatas, utpote quæ ex antiquis illis prodierunt. Nam etiamsi profectæ essent
D ab Hexaplis, in quibus scribit Hieronymus, fuisse *Septuaginta emendata & vera exemplaria*; additamenta certe Theodotionis, quæ cum reliquo contextu, obliteratis asteriscis, ad nos transmissa sunt, editionem adulterant & corrumpunt. *Hieron. in Isaiæ 58. 11.*

CAPUT TERTIUM.

ORIGENIS SYNTAGMATA.

E

Capitis tertii partitio.

Gemina sectione absolvitur istud caput: Priore singula Origenis Syntagmata, quorum memoria supereſt, enumerantur: altera agitur de Origenis Syntagmatis quæ extant, deque vetustis libri περὶ ἀρχῶν interpretationibus.

SECTIO PRIMA.

SINGULA ORIGENIS SYNTAGMATA, QUORUM MEMORIA SUPEREST, ENUMERANTUR.

F

I. *Recensentur Origenis Syntagmata ab Eusebio commemorata.* II. *Ex his aliqua expenduntur accuratius; ac primum libri de resurrectione,* III. στρωματεῖς, IV. *De martyrio,* V. *Dialogi,* VI. *Epistolæ,* VII. *Interpretatio Ebraicorum nominum Novi Testamenti,* VIII. *Liber de oratione,* IX. *Disputationes adversus Hæreticos, in iisq; Parvus Labyrinthus.* X. *Quæritur, quid sint Origenis Monobiblia, & quid ipsius pro se Apologia à Vincentio Bellovacensi commemorata.* XI. *Philocaliam quoque in Origenianorum operum censu ponimus.*

Euse-

I. EUsebius Origenis vitam libro sexto Historiæ pertexens, plerasque ipsius scriptiones obiter commemorat, plures prætermittit, utpote qui in tertio vitæ Pamphili libro singulas fuisset complexus. Nunc cum eo careamus libro, confugiamus ad ipsius Historiam, & quæ in ea laudantur Origenis Syntagmata, eodem hic ordine recenseamus. Primi occurrunt Commentarii in veteres Philosophos, quorum lucubrationes non prælectionibus modo, sed scriptis etiam in gratiam discipulorum explicabat. Meminit eorum Eusebius libr. 6. Hist. cap. 18. Capite vero 24. duorum ejus de resurrectione librorum; tum operis περὶ ἀρχῶν, quatuor libris distincti; item στρωματέων numero decem; & capite 28. libri de martyrio, Ambrosio & Protocteto Cæsarienſis Ecclesiæ Presbytero consecrati; & capite 33. Disputationum quas cum Beryllo Bostrensi Origenes exercuit; & capite 36. librorum octo contra Celsum; & capite 39. Sermonum quorundam iis utilium, quibus in tormentis pro Christi fide toleratis consolatione opus esset; & passim, Epistolarum. Hæc de Origenis Syntagmatis Eusebius, quæ in antecessum proposuimus, fidelissimum hunc Origenianarum rerum narratorem præ cæteris pro more nostro consulentes.

II. Nunc retractemus ex his aliqua, & paulo accuratius expendamus. Duo duntaxat de resurrectione libri ab Eusebio commemorantur. At Hieronymus apud Rufinum libr. 2. Invect. scripsisse narrat Origenem *de resurrectione libros duos, & alios de resurrectione Dialogos duos.* Idem Hieronymus Epistol. 61. ad Pammach. cap. 8. citat librum ejusdem operis quartum. Atque hos libros Methodius ejusdem tituli opere confutavit.

III. Libros στρωματεῖς Origenes elimavit ad Clementis exemplum, à quo paris argumenti & inscriptionis lucubrationes hodie superstites elaboratæ sunt. Hieronymus Epist. 48. quæ est ad Magnum Oratorem Romanum: *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, meo judicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros, & totidem ὑποτυπώσεων, & alium contra Gentes; Pædagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum? quid non è media Philosophia est? Hunc imitatus Origenes decem scripsit Stromateas, Christianorum & Philosophorum inter se sententias comparans, & omnia nostræ religionis dogmata de Platone, & Aristotele, Numenio, Cornutoque confirmans.* Hunc ipsum Hieronymum alicubi dicere ait Rufinus, *Confœderatos esse quosdam Origeni ad perjurium, & istud mysticæ ejus traditionis arcanum absconditum esse in sexto Stromatum libro; nec ab ullo alio in tot sæculis, nisi à se solo deprehensum.* In Prooemio vero Commentar. in Epistol. ad Galat. Origenem scribit decimum Stromateon suorum librum Commatico super explanatione Epistolæ ad Galatas sermone compleviſse: & in caput 13. Daniel. quædam ait ipsum in eodem Stromateon libro de Susannæ & Belis fabulis dixisse. Quin etiam in Epist. 65. ad Pammach. & Ocean. cap. 2. neminem Latinorum affirmat ante suam ætatem libros Origenis de resurrectione, περὶ ἀρχῶν, Stromateas, & Tomos transferre voluisse, propter novitatem scilicet doctrinæ. Quoniam igitur ad Stromateon Clementis exemplum suos composuerat Origenes, ut accuratius perspectum habere possis, quo illi in argumento versati, qua arte conditi sint, lege Eusebianæ Historiæ libri sexti caput decimum tertium, ubi de hac Clementis scriptione disseritur.

Rufin. invect. 2.

IV. Quod attinet ad librum de martyrio, de eo ita commemoravit Hieronymus, his verbis: *Ambrosius confessionis Dominicæ gloria insignis fuit, cui Theoctisto Presbytero liber Origenis de martyrio scribitur.* Legendum omnino: *cui, & Theoctisto.* Id si vidisset Interpres Græcus, absurdam hanc nobis interpretationem neutiquam dedisset: τότῳ θεοκτίστῳ πρεσβυτέρῳ εἰβλίον ὠριγένους περὶ μαρτυρίας γεγραφεται. Videtur legisse: *Cui Theoctisti Presbyteri liber*, &c. Theoctistum nominat Hieronymus, qui ab Eusebio Protoctetus appellatur. Theoctistus Cæsarienſis fuit Episcopus; Protoctetus ejusdem Ecclesiæ Presbyter; perperam eos confundit Hieronymus. Protoctèto, non Theoctisto inscriptus est liber iste, ut ostendit ejus exemplar nondum editum, quod penes me est. Ejusdem argumenti Epistolam ad Patrem martyrio destinatum scripserat Adamantius etiamnum puer; cujus Epistolæ verba quædam repetit Eusebius libr. 6. Histor. cap. 2.

Hieron. de script. Eccles. c. 67.

V. Acta Concertationis Origeni cum Beryllo habitæ eadem fuisse arbitror atque Dialogum utriusque, quo hæreseos Beryllus coarguitur. Hunc ætate sua extitisse scribit Hieronymus libr. de scriptor. Eccles. cap. 71. Præter hunc Dialogum, alios quoque literis Origenes mandasse fertur. Rufinus in libello de adulteratione libror. Orig. quendam ab eo conscriptum, & à Candido Hæretico qui cum habitus fuerat, adulteratum commemorat. Circumferebatur ille Hieronymi temporibus, in eoque Origenes, & Candidus Valentinianæ defensor hæreseos inter alia disputabant, Filiusné esset de Patris substantia, & utrum Diabolus ejus esset naturæ, quæ salutem adipisci non posset. Africanus Origenis æqualis & amicus initio Epistolæ, qua ipsius sententiam de Susannæ historia rogavit, laudat Dialogum ejus ad Agnomonem, in quo partem illam libri Danielis in testimonium adduxerat,

quæ

A quæ Susannæ casum narrat. Extat denique Dialogus de recta in Deum fide, qui & contra Marcionistas inscribitur; sed spurius, & suppositititius, ut infra demonstrabimus.

VI. Epistolas Origenis quotquot erat nactus, à se fuisse collectas, & in proprios libros digestas tradit Eusebius; numero autem fuisse illas plusquam centum. Conficientissimus quippe literarum Origenes fuit. Librum collectionis hujus quartum citat Rufinus in libello de adulterat. libror. Orig. Ex hoc Epistolarum Syntagmate istas ab Eusebio commemoratas reperio: prima est ad Leonidem martyrio proximum: alteram scripsit Origenes adversus eos qui suum in literas humaniores studium criminabantur: proxima diversarum Epistolarum commemoratio est, in quibus indicatur Persecutionis sextæ tempus, quarum tamen inscriptiones & titulos sigillatim Eusebius non persequitur: tum mentio fit Epistolæ ad Africanum de Susannæ historia: laudatur deinde Epistola ad Philippum Imperatorem, B alia ad conjugem ipsius Severam, alia ad Fabianum Papam, aliæ ad alios complures Episcopos, quibus fidei professio continebatur; & diversæ denique distinctè non notatæ: postmodum plurimæ citantur Epistolæ, quæ declarabant quam utiles iis sermones reliquisset, quisolatio in cruciatibus indigebant. Hæc Eusebius. Testatur Hieronymus sua ætate superfuisse Origenis Epistolas ad Philippum, ipsiusque matrem; cum Eusebius è quo hunc librum Hieronymus consarcinavit, habeat, τὴν τούτου γαμετὴν, *conjugem ipsius*. Idem scribit de literis Origenis ad Beryllum Bostrensem Episcopum Hieronymus. Rufinus quoque in libello de adulter. libr. Origen. testimoniis utitur ex Epistola ab Origene ad amicos quosdam suos Alexandrinos scripta: & alteram laudat præterea ejusdem argumenti. Epistola ejus- C dem ad Gregorium Thaumaturgum decimum tertium Philocaliæ caput continetur. Partem denique Epistolæ cujusdam Adamantii proferunt Cedrenus, & Suidas.

Euseb. libr. 6. Hist. cap. 36. *Euseb. lib. 6. Hist. c. 2. cap. 19.* *cap. 28.* *cap. 31.* *cap. 36.* *cap. 39.* *Hieron. lib. de scriptt. Eccl. c. 65.* *Hier. ibid. cap. 71.*

VII. Aliarum præterea quarundam scriptionum Origenis mentionem apud Veteres invenio. Philo Judæus ediderat librum Ebraicorum nominum Veteris Testamenti, eorumque etymologias & interpretationes adjecerat: quem librum Latina oratione Hieronymus expressit. Quod in Testamento Veteri fecerat Philo, idem in Novo factitavit Origenes, suumque opus ad opus Philonis adjunxit; in eoque Hieronymum imitatorem habuit: cujus verba hæc sunt in Præfat. ad librum Ebraic. nomin. *Ac ne forte consummato ædificio quasi extrema deesset manus, Novi Testamenti verba & nomina interpretatus sum, imitari volens exemplar Origenem, quem post Apostolos Ecclesiarum magistrum nemo nisi imperitus negat. Inter cætera* D *enim ingenii sui præclara monumenta etiam in hoc laboravit, ut quod Philo quasi Judæus omiserat, hic ut Christianus impleret.* Libri ejusdem meminit Auctor Quæstionum ad Orthodoxos, qui falso tribuitur Justino, Quæst. 82. & 86. in eoque præter Ebraica nomina, mensuras etiam interpretatas esse docet. Videat ergo Rufinus, qua fide scripserit Invect. 2. in Hieronymum nec unum quidem Scripturæ verbum Origenem vertisse.

VIII. Librum de oratione emisisse Origenem memoriæ prodidit Pamphilus in Apologetico: *Denique*, inquit, *in tam multis, & tam diversis ejus* (Origenis) *libris nusquam omnino invenitur unus ab eo liber proprie de anima conscriptus, sicut habet vel de martyrio, vel de oratione, vel de resurrectione.* Quo licet careremus testimonio, ipsum opus quod ad hanc diem superest, per se innotesceret.

E IX. Theodoretus in libris Hæreticarum Fabularum Origenem sæpe allegat, & libros ipsius in testimonium adducit. Libro quidem priore, cap. 2. scripsisse eum ait adversus Menandrum Hæreticum; & capite 4. adversus Basilidem & Isidorum; & capite 7. adversus Helcesaitas; & capite 19. adversus Hermogenem & Valentinum; & capite 21. adversus Severum; & capite 25. adversus Apellem: & libro 2. capite 2. adversus hæresin Nazaræorum: & libro 3. capite 1. adversus Nicolaitas. Libro vero secundo, capite 5. tradit Origeni tribuere nonnullos Parvum Labyrinthum, qui liber adversus Theodotum Hæreticum scriptus est. Nicephorus quoque libro 10. cap. 36. Origenem testatur scriptis libellis luculenter refellisse Marcellum Galatam, & Porphyrium; iisque libris id assequi conatum esse, ut obscuri & intricati Scripturæ loci, quibus abuti solebant Hæretici, ad verum sensum deflecterentur. Non equidem crediderim totidem libros confutandis Hæreticis emisisse Origenem, quot Hæreticos ab eo confutatos narrat Theodoretus; sed plurimos ex illis in alterius argumenti scriptionibus obiter ab Origene perstrictos existimo; quemadmodum Heracleonem in Commentariis in Johannem sæpe ab eo sugillatum videmus, & ubique fere Valentinum, Basilidem, & Marcionem. At aliquos tamen adversus Hæreticos & Ethnicos quosdam ex instituto edidisse certum est; qualis est liber contra Celsum; qualis fuit Parvus ille Labyrinthus adversus Theodotum, si modo Origenem auctorem habuit; qualis fuit Lucubratio adversus Helcesaitas, quos peculiari opere convictos fuisse verisimile est.

X. Hieronymus apud Rufinum Invect. 2. indicem librorum Origenis pertexens, sic disserit: *Vultis noscere, quanta ingenii sui reliquerit monumenta? Sequens titulus ostendit: Scripsit in*

Geneſin libros tredecim: myſticarum Homiliarum libros duos: in Exodo Excerpta: in Levitico A
Excerpta, item Monobiblia, περὶ ἀρχῶν libros quatuor, de reſurrectione libros duos, & alios de reſurrectione Dialogos duos. Quid ſint Monobiblia incertum eſt. Fortaſſe non peculiare aliquod Origenis opus hoc nomine ſignatur, ſed ea ejus Opuſcula, quæ nos Syntagmatum appellatione complectimur. Cum enim Exegetica enumeraſſet Hieronymus, tum in unam claſſem Syntagmata conjicit, ad eaque ſuo ordine percenſenda accedens, *item* inquit, *ſcripſit Monobiblia, περὶ ἀρχῶν libros duos*, &c. quaſi dixiſſet: Item ſequentia ſcripſit Syntagmata (quæ & Opuſcula deinde Rufinus appellat) nempe libros περὶ ἀρχῶν, &c. Atque hæc, quod non aliorum librorum cauſſa eſſent elaborata, nec aliis adjungenda eſſent libris, cujusmodi erant Exegetica; ſed proprio continerentur argumento, & circa peculiarem ſibi materiem verſarentur, idcirco Monobiblia appellata ſunt. Sed hæc pro conjectura haberi volo. B

Ad poſtremum Vincentius Bellovacenſis Speculi doctrinalis libr. 18. cap. 43. Origenis lucubrationes quæ ad ſua pervenerant tempora enumerans, ſic auſpicatur: *Apologia pro ſe, tractatus 1.* Doctrinæ quidem ſuæ defenſionem ad Fabianum Papam miſiſſe Origenem ſupra notavimus: an ea his ſignificetur Vincentii verbis, an aliud quippiam opus Lector perſpicax arbitretur.

XI. Minime vero in hunc cenſum conferenda videretur eſſe Philocalia, ut quæ à Baſilio & Gregorio Theologo conſuta & conſarcinata ſit. Quoniam tamen ex Adamantii pannis tota contexta eſt, & ex ventilatis ſupra Origenis Operibus fere detracta ſunt fragmenta quibus illa conſtat; ideo non pro diverſo aliquo opere habenda eſt, ſed pro Origeniano tantum centone, in quo Origeniana omnia ſunt præter contextum: propterea que in hanc C
ſeriem à nobis admittetur.

SECTIO SECUNDA.

DE ORIGENIS SYNTAGMATIS QUÆ SUPERSUNT, DEQUE VETUSTIS LIBRORUM περὶ ἀρχῶν INTERPRETATIONIBUS.

I. *Agitur de libris de reſurrectione*, II. περὶ ἀρχῶν, *eorumque vetuſtis interpretationibus*, III. στρωματεῦσι, IV. *Protreptico ad martyrium*, V. *libris contra Celſum*, VI. *Epiſtolis*, VII. *libro de Oratione*, VIII. *& Philocalia.* D

I. EX enumeratis proxime Adamantii Syntagmatis fere omnibus, vel toti libri, vel inſignia fragmenta, vel particulæ aliquæ ad noſtra tempora pervenerunt. E libris quidem de reſurrectione primo & ſecundo fragmenta aliquot depromit Pamphilus in Apologetico, ad ſeptimam depellendam criminationem, qua de reſurrectione male ſenſiſſe Origenes dicebatur. Ex eodem quoque Opere, capitis decimi libri ſecundi περὶ ἀρχῶν, *Orig. lib. 2. de prin. c. 3* fatente ipſo Origene, pars aliqua translata eſt.

Bar. A. 232. cap. 4. II. Baronius libros περὶ ἀρχῶν ad exemplum Longini elaboratos ab Origene ſuſpicatur. Longinum ſiquidem hujus tituli librum ſcripſiſſe refert Porphyrius in Vita Plotini. Si quis E
è contrario Longinum affirmet operis ſui argumentum ab Origene ſumſiſſe, à vero longius non abibit; æque enim utrumque incertum eſt. Libri inſcriptionem parum aſſecutus eſt Rufinus, qui in Prologo ad libros περὶ ἀρχῶν reddi eam poſſe dicit *de principiis*, vel *de poteſtatibus*. Quis vero non intelligit Chriſtianæ religionis, ac veræ Philoſophiæ elementa hoc libro tradere propoſitum Origeni fuiſſe? Quamobrem revera ſunt, ut ſubjicit Rufinus, & obſcuriſſimi, & difficillimi. Addere poterat; erroribus quoque, & ψευδωνύμου γνώσεως ſeminibus refertiſſimi: in iis quippe præcipua dogmatum ſuorum fundamenta Origenes poſuit. Quocirca Didymus brevibus eos illuſtravit commentariolis, Rufinus vero Romana loquela expoſuit. Verum ut errorum ſuorum capita in hac lucubratione concluſit Origenes, ita in eadem malæ ſuæ & fluxæ penitus in interpretando fidei egregium ſpecimen edere F
velle viſus eſt Rufinus: ſic enim fatur in Prologo: *Sicubi ergo nos in libros ejus (περὶ ἀρχῶν) aliquid circa id invenimus, quod ab ipſo in cæteris locis pie de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermiſimus, aut ſecundum eam regulam protulimus, quam ab ipſo frequenter invenimus affirmatam. Si qua ſane velut peritis jam & ſcientibus loquens, dum breviter tranſire vult, obſcurius protulit; nos ut manifeſtior fieret locus, ea quæ de ipſa re in aliis ejus libris apertius legeramus, adjecimus explanationi ſtudentes: nihil tamen noſtrum diximus, ſed licet in aliis locis dicta, tamen ſua ſibi reddidimus.* Qui licet ſuam voluiſſet celare perfidiam, facile illa ſeſe prodidiſſet. Ex eo quippe libro multa in Apologeticum tranſtulit Pamphilus, quæ in Rufiniana interpretatione deſiderantur: velut in eo capite, ubi agitur *de coæternitate Filii Dei, & inſeparabilitate ejus à Patre*, recitatur teſtimoniũ iſtud è libro primo: *Videamus ergo, quid ſit Salva-*

ter

A *tor noster. Splendor dicitur*, &c. quod frustra in Rufini conversione requiras. Tale & illud est è libro itidem primo petitum: *Ex eo quod dicit Apostolus Paulus: Non ab hominibus*, &c. quod habetur in eo capite, ubi tertiæ criminationi Pamphilus respondet. Aliud quoque indidem profert ad quartam criminationem refellendam, quod Rufinus in interpretatione omisit. Fragmenta præterea Philocaliæ ex hoc Opere mutuata summam ejus vanitatem coarguunt, si cum ipsius verbis contendantur. Quanquam dubitari potest, annon aliqua detraxerint Basilius & Gregorius Philocaliæ contextores, quæ ab orthodoxa fide dissentirent. Certissimum vero petitur indicium ex conflictione locorum, quos è libris περὶ ἀρχῶν, acceptos, Rufinianorum valde dissimiles Justinianus in Epistola ad Menam repræsentavit. Itaque ex hac Rufini infidelitate quanta Christianæ pietati & doctrinæ pericula existerent,
B intelligens Hieronymus, novam interpretationem meliori fide adornavit, & Latinæ Ecclesiæ Origenis revelavit errores, nullis artibus dissimulatos, nullo falsæ interpretationis fuco oblitos; ut ab iis in propatulo positis facilius sibi Lector caveret. Verum ad hanc ætatem nova istæc interpretatio non pervenit.

Narrat ex aliorum fide Andreas Rivetus Critici sacri libro 2. cap. 2. libros περὶ ἀρχῶν Græce scriptos extare in quibusdam Bibliothecis. Falsum id esse affirmare ausim: nam neque in Gallicis, aut Italicis, aut Germanicis, aut Hispanicis reperiri eos certissimum est. Incertum vero est, an ex aliena fide, an ex suo ingenio conjecerit Abrahamus Scultetus, Anacephalæosin, quæ quartum claudit librum Operis de principiis, esse Rufini vel Pamphili. Quod ut nullo auctore, nulla ratione subnixum proponitur, ita nullo adducto argumento
C repudiatur. *Scultet. in Medull. Theolog. Patr. libr. 6. cap. 4.*

III. Ostendimus supra auctore Hieronymo στρωματεῖς Origenis, ad Stromateon Clementis Alexandrini exemplum compositos, Christianorum dogmata cum Philosophorum sententiis contulisse, illaque ex iis confirmasse. Specimen illorum è sexto libro desumtum exhibet Hieronymus libr. 1. Apolog. adversus Rufin. cap. 4. quo cum Platonem induxisset Origenes, probantem mendacio uti aliquando licere, idem sacrorum Librorum auctoritate, & Judithæ, Estheræ, ac Jacobi Patriarchæ exemplo adstruit.

IV. Fragmentum è Protreptico Origenis ad martyrium Bibliotheca Regia suppeditat. Totum vero opus, illustrissimi Domini de la Barde, Christianissimi Regis apud Helvetios Legati cura è Basiliensi Bibliotheca depromtum, ejus frater Ecclesiæ Parisiensis Canonicus,
D raræ virtutis, humanitatis, & integritatis, mei juris fecit, suoque à me inter Origenis Syntagmata ordine collocabitur.

V. De libris contra Celsum ita loquitur Eusebius in Antirrhetico adversus Hieroclem: δυνάμει δ' οὐδὲν ἐλάττω τὰ ἰδίας καὶ ἀπὸν γραφῆς ἀνατέτραπται, καὶ προαπελήλεγκται ἐν ὅλοις ὅλῳ ξυγγράμμασι, τοῖς ἀρίστοις γραφεῖσι, πρὸς τ' ἀλαζονικώτερον τῷ φιλαλήθει ὑπογεγραμμένον κέλευθα ἀληθῆ λόγου, ᾗ τὰς εὐθύνας ἀκριβολογίας, ἐν ὅσοις εὐρήκαμεν, ὁ φεδηλωμένος παραγαγὼν ξυλλήβδην ὅσα εἰς τὴν αὐτοῦ ὑπόθεσιν παντὶ τῷ εἰρῆσθαι τε καὶ εἰρήσεται, προλαβὼν διελύσαλο. *Iam autem potestate, licet non destinato contra ea scripto, obtrita & confutata sunt* (scripta Hieroclis) *in octo libris quos Origenes conscripsit adversus Celsi Verum sermonem, jactantiorem Opere illo* (Hieroclis) *qui Philalethes inscribitur: in quibus causas omnes & argumenta complexus vir ille, omnia simul quæcunque super ea re à quoquam vel dicta sunt, vel dicentur post hac, in antecessum dissolvit.* Vero; non alias enim tantam doctrinæ Christianæ & profanæ ubertatem, tanta argumentorum pondera expromit.
E Caussa scribendi Celsus fuit Epicureus, qui Christianam religionem impugnaverat libro, cui titulum fecerat, ἀληθὴς λόγος. Is cum summo plausu à Christo adversariis fuisset exceptus, confutandum suscepit Ambrosii rogatu Adamantius, jam licet è vivis sublato Celso.

VI. Ex Epistolis Origenis duas omnino integras, & nulla sui portione truncatas, quasdam ex parte duntaxat superstites habemus. Integra superest Epistola ad Julium Africanum, qua doctissimo illi viro, Susannæ historiam, quæ in Danielis libro legitur, adulterinam
F suspicanti, ipsiusque per epistolam roganti sententiam erudite respondit, suamque narrationi huic auctoritatem asseruit. Plurima utriusque circumferuntur Græca manu exarata exemplaria; quorum unum à se descriptum ad me transmisit Emericus Bigotius, singulari vir eruditione: & Nos aliquando, cum Deo, ambas inter Syntagmata vulgabimus. Integra quoque est Epistola, qua constat decimum tertium Philocaliæ caput, quaque Gregorium Thaumaturgum ad sacrarum literarum studium Origenes adhortatur. Rufinus in libello de adulteratione librorum Origenis, recitat partem Epistolæ, quam patria depulsus ad Amicos Alexandrinos Adamantius scripsit, in qua falso jactare adversarios queritur, persuasum esse sibi, futurum ut salutem Diabolus aliquando consequatur; addit Hæreticum quendam disputationis secum habitæ Acta adulterasse; & se Actorum misisse codicem, unde corruptor falsitatis argueretur; alium item Hæreticum, qui congredi secum detrectaverat, falsam disceptationis historiam mandasse literis, & passim vulgasse, sed vani-

tatis tandem & impudentiæ fuisse à se convictum. Hieronymus vero libr. 2. Apolog. adv. Rufin. cap. 5. hanc ipsam Epistolam parum fideliter à Rufino conversam causatur, dissimulasse quippe ipsum ab Origene lacerari Demetrium Alexandrinum Episcopum, & totius orbis Episcopos ac Clericos, à quibus Ecclesiæ communione fuerat prohibitus; deinde dicere Origenem ait, frustra se fuisse ab Ecclesia dejectum, nec vicem maledictis referre velle, seque iis usque adeo abstinere solere, ut Candidus Valentiniani dogmatis sectator occasionem inde nactus sit accusandi sui, quod Diabolum ejus esse naturæ dixerit, quæ salutem consequi possit. Tum initium Epistolæ à Rufino prætermissum, Hieronymus exhibet à se conversum. Rufino certe parum hic æquus est Hieronymus; cur enim cum adulteratos Origenis libros vellet ostendere, Epistolæ partem à proposito alienam descripsisset? Ex Epistola quam ad Patrem Christianæ fidei caussa supplicio destinatum etiam tum puer scripsit Origenes, verba aliquot repetit Eusebius libr. 6. Histor. cap. 2. Capite vero decimo nono prolixius recitat fragmentum Epistolæ, quam purgandi sui gratia adversus eos conscripsit, qui nimium ejus in Græcorum disciplinas studium damnabant. Denique Georgius Cedrenus, in Severo, Epistolæ cujusdam Origenis partem dat, in qua acriter ab Ambrosio ad interpretandas Scripturas, ac nimis quam par esset urgeri se conqueritur. Eandem ex Cedreno decerptam repræsentat Suidas. Ex Epistola Origenis ad Photium & Andream Presbyteros particulam proferunt Catenæ veteres in Deuter. 16. 20. Verum parum est auctoritatis in Catenis, ut diximus alibi; & quoad aliunde accedat fides, fragmentum hoc suspectum esto.

VII. Liber de oratione hortatu Ambrosii & Tatianæ lucubratus est. Hunc nos è manu scripto Codice Bibliothecæ Holmiensis Christinæ Reginæ descripsimus. Titulo quidem caret, sed ex ipsius Operis lectione Auctor, & argumentum facile deprehenduntur: ut alia quippe deessent indicia, vel ea sufficerent verba, quibus dissertatio absolvitur: ταῦτα κ' δύναμιν ἐμὴν εἰς τὸ τὴν ἐυχὴν πρόβλημα, καὶ εἰς τὴν ὲν τοῖς ἐυαγγελίοις ἐυχὴν, τά τε πρὸ αὐτῆς πρὸς τῷ μαλιστα εἰρημένα ἡμῖν φιλοθέῳ, φιλομαθέσταθοι, καὶ γνησιώτατοι ἐν θεοσεβείᾳ ἀδελφοὶ, ἀμβρόσιε & τατιανὴ· *Hæc a nobis pro virili super quæstione de oratione, & ea precatione quæ habetur in Evangeliis, & quæ ipsam apud Matthæum præcedunt, nobis elaborata sunt, studiosissimi, & germanissimi in pietate fratres, Ambrosii & Tatiana.* Quænam ea fuerit Tatiana, deque ipsa Dissertatione alias à nobis disputabitur accuratius, cum inter Syntagmata typis committetur.

VIII. Quoniam ex hoc albo Philocaliam non expungimus, paucis quoque de ea agendum est. Philocalia quid sit, breviter declarat Epigraphe ipsi præfigi solita: ἐκλογὴν ἐκ παντοδαπῶν βιβλίων ζητημάτων καὶ διαλύσεων ἐκ διαφόρων βίβλων τῶν ὡριγένους ποιημάτων, ἠθροισμένων ὑπὸ τῶν θεῖα σοφῶν γρηγορίου καὶ βασιλείου· *Delectum continet hicce liber quæstionum & solutionum quæ pertinent ad Scripturam, ex variis libris ab Origene elaboratis, qui collectus est à viris divinarum rerum peritis Gregorio & Basilio.* Tum subjungitur Epistola, qua id opus ad Theodorum Tyaneum Episcopum Gregorius Nazianzenus transmisit. Ostendunt quoque, quid sit Philocalia, elegantes Jambi nondum editi, quos in antiquo collectionis hujus codice manu scripto reperimus:

ᾧ (ὠριγένους) τὸ λόγων νεῶν ἁρμοσθὲν ὁρᾷς ξένιον,
βασιλεῖς κρίναντε, ὡς κρείττους πάνυ·
Cujus (Origenis) *sermonum nunc collectionem vides novam,*
Quos Basilius optimos esse judicavit.

Atque hæc eo libentius refero, quod iis vocis φιλοκαλίας, quo sensu à Basilio & Gregorio usurpata est, significatio continetur. Nihil autem sonat aliud ea vox quam delectum eximiorum quorundam locorum è variis libris Scriptoris alicujus: cujusmodi sunt fragmenta è Petronio ab aliquo Studioso collecta. Locum hic non habet altera φιλοκαλίας notatio, quam affert Augustinus libr. 2. contr. Academ. cap. 1. & libr. 1. Retractat. cap. 1. eam esse scribens rerum divinarum ex divina relatione, & Verbo Dei cognitarum studium; quo sensu usurpatum esse à Gregorio & Basilio hoc vocabulum opinati sunt Genebrardus & Tarinus: quî enim id congruet cum Origenianorum aliquot locorum Ecloga? At eo sensu, quem notat Augustinus, accipienda est vox φιλόκαλος, quam Origeni tribuere Gregorium Theologum in Epistolis scribit Photius.

Phot. Cod. 232.

CAPVT

A

CAPUT QUARTUM.

QUO ORDINE, QUIBUS TEMPORIBUS ORIGENIS LIBRI LUCUBRATI SINT, EXPLORATUR.

I. Variis Origenis scriptionibus suus ordo, sua tempora ex Eusebio assignantur. II. *Quo tempore Tetrapla, Hexapla, & Octapla concinnaverit, investigatur.* III. *Notantur nonnulla circa ordinem ac tempus Exegeticōn, ac Syntagmatum ipsius quorundam.* IV. *Distinguuntur ejusdem Homiliæ extemporales, & in otio elaboratæ.*

B

I. SI temporum effugisset injuriam liber ille Eusebii de vita Pamphili, in quem librorum Origenis indicem inferserat, argumento huic quod persequimur magna lux accederet: quo quoniam caremus subsidio, quid in ipsius Historia nobis opis situm sit, videamus. Hunc enim, ut in reliquis quæ ad Origenem pertinent, ita hac etiam in parte ducem præcipue spectabimus, in qua nobis proposuimus investigandum, quo ordine singuli Adamantii libri, quorum memoria supereſt, quibus temporibus fuerint lucubrati. Quæ
C prior ergo ab eo celebratur Adamantii scriptio, ii sunt Commentarii in veteres Philosophos, qui diuturnitate temporis omnes interciderunt. Proximæ commemorantur Scripturæ sanctæ interpretationes, quarum non contemnenda pars ad hanc diem servata est. Sacra volumina non longe post initia Alexandri commentariis explicare eum cœpisse repetio. Ac primum à Johannis Evangelio auspicatus est, in eumque priores quinque Tomos Alexandriæ composuit; nec non in Geneſin priores octo è Duodecim. Quin etiam viginti quinque priores Psalmos, & Jeremiæ Threnos ibidem expositionibus illustravit; in hisque sese libros de resurrectione jam ante elaborasse significavit. Libros quoque περὶ ἀρχῶν, & στρωματεῖς, antequam Alexandria excederet, composuit. Adepto Imperium Maximino, librum edidit de martyrio. Eo vero sublato, cum rerum potiretur Gordianus, in Isaiam &
D Ezechielem commentatus est in Cæsarienſi secessu. Meminit præterea Eusebius Epistolæ ad Africanum, qua historiæ Susannæ fides & auctoritas propugnatur: tempus vero quo data ipsa est, non assignat. Refert illud Petavius ad annum Christi 222. quo anno Imperium capessivit Alexander; cur ita sentiret, neutiquam adscripsit. At cum Nicomediæ scripta sit præsente Ambrosio, datam illam conjicio Imperium tenente Gordiano, annum ætatis agente Origene circiter quinquagesimum secundū, cum Cæsarea Athenas profectus, Nicomediæ Ambrosium obiter adiit. Postquam migravit Athenas, inchoatos in Ezechielem Commentarios ad umbilicum perduxit: Cantici vero Canticorum expositionem aggressus, lucubratis prioribus quinque libris, reliquos quinque Cæsaream redux absolvit. Anno Philippi tertio sexagenarium annum prætergressus Homilias ex ore suo, dum con-
E cionaretur, à notariis excipi tum primum passus est. Unde constat bonam earum partem, quæ ad nostram ætatem transmissæ sunt, non ab alio esse tempore repetendas. Homilia puta in Psalmum 82. cujus fragmentum ex Eusebio depromsimus, adversus errorem Helcesaitarum hac ætate exortum habita est. Hac ipsa tempestate Celsum libris octo confutavit; in Matthæi Evangelium, & Prophetas duodecim commentarios concinnavit, plurimas etiam Epistolas ad Philippum Imperatorem, & ad conjugem ipsius Severam, aliosque complures dedit, quæ sparsim in eo libro Eusebii suis temporibus assignantur.

Euseb. lib. 6. Histor. cap. 31.

II. Tetraplorum & Hexaplorum, quorum mentionem fecit Eusebius libr. 6. Histor.
F cap. 16. cui tempori adjungenda sit descriptio, statuere promptum non est. Factum id significare videtur Eusebius multo antequam Alexandria Origenes excessisset, tunc nimirum cum Ambrosium ad Christi fidem convertebat. Epiphanius autem Tyri lucubrata ea non semel asseveravit. Ego vero aliud rei huic tempus deputo, quando scilicet Christianos vexante Maximino Cæsaream Cappadociæ ad Firmilianum confugit Origenes. A Juliana enim liberaliter exceptus & domo & Bibliotheca à Symmacho olim instructa, ad eam deinde hæreditatis jure transmissa, nactus illic est Scripturæ sacræ exemplaria, quibus usus fuerat Symmachus. Tum vero Codices ipsum conflixisse inter se & conjunxisse probabile est: sed cum institutum opus per angustias temporis ibi absolvere non posset, suprema ipsi manum in otio Tyrio imposuisse. Non quod de iis cogitasse Origenem tum primum putem; sed Alexandriæ fortasse prius animo informata, Cæsareæ Cappadociæ in-

Epiphan. Hær. 64. cap. 3. & de pond. cap. 18.

choata, Athenis & Cæsareæ Stratonis affecta, ac Tyri demum arbitror fuisse perfecta. Ita Eusebio conciliatur Epiphanius, quorum ille aliquam in concinnandis Hexaplis Alexandriæ operam ab Origene positam videtur significare; hic Tyri fuisse composita aperte docet; quod ita intelligendum est, non Tyri solum ea elaborasse Origenem, sed in iis etiam locis, in quibus octo & viginti ante mortem annis versatus est, quos Tyri transactos perperam Epiphanius credidit. Firmat nostram conjecturam, quod ait Eusebius lib. 6. Histor. cap. 17. Symmachi interpretationem in Julianæ Bibliotheca Origenem reperisse. Nondum itaque Hexapla vel Tetrapla concinnaverat, quorum pars magna fuit Symmachi interpretatio. Eusebio itidem adstipulatur Epiphanius, scribens Hær. 64. cap. 3. Origenem lucubrationes suas in Scripturam, impulsu Ambrosii susceptas, ab Hexaplis fuisse auspicatum: τὸ πρῶτον, inquit, αὐτὸ ἐπιμελῶς ἐφιλοτιμήσατο συναγαγεῖν ἀπὸ ἐξαπλώσεων. Atqui tunc temporis Alexandriæ versabatur. Retorquebit argumentum aliquis, & dicet hoc tempore sex Interpretationes in unum colligere non potuisse Origenem, qui etiam tum Symmachi interpretatione, & editione sexta careret. Respondeo, Hexaplorum coagmentationem mente præformasse ipsum cum esset Alexandriæ, non ipsa coagmentasse, cum nondum exemplaria haberet ad manum, sed jam inde ipsis investigandis operam dedisse. Itaque non dicit Epiphanius, συνάγαι, sed, ἐφιλοτιμήσατο συναγαγεῖν.

Perfecto Hexaplorum opere, ut studiosorum sumtibus & operæ consuleret Origenes, ad compingenda Tetrapla animum convertit. Eusebius: τὰ τῶν λεγομένων ἑξαπλῶν ἡμῖν ἀντίγραφα καταλέλοιπεν. ἰδίως τὴν ἀκύλα καὶ συμμάχου, καὶ θεοδοτίωνος ἔκδοσιν φέρεται τῇ τῶν ἑβδομήκοντα ἐν τοῖς τετραπλοῖς ἐπικατασκευάσας. *Exemplaria nobis Hexaplorum reliquit; cum præterea Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis editionem, una cum illa Septuaginta Senum in Tetraplis seorsum digessisset.* Idem manifeste tradit Zonaras in Severo. Jam ante autem vel utravis, vel utraque compegerat Origenes, quam Commentaria scripsisset in Matthæum; in quorum Tomo 15. pag. 381. se varias Scripturæ Editiones contulisse, & obelis ac asteriscis notasse tradit.

Euseb. Histor. lib. 6. c. 6.

III. Has Origenis scriptiones recenset, suisque adjungit temporibus Eusebius. Nos præterea ex ipso Adamantio nonnulla collegimus, unde aliarum quarundam lucubrationum ordo ac tempus æstimari possint. Scripsisse Origenem Commentarios in Genesin, antequam libros περὶ ἀρχῶν componeret, & ex Eusebio intelligitur, & multo magis ex Origene ipso, qui libro 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. & libr. 2. cap. 3. istos citat Commentarios. Idem tamen libro 1. cap. 2. hæc habet: *Puto ergo posse priori quidem exemplo aptari eum qui ad imaginem & similitudinem Dei factus est homo, de quo diligentius, favente Deo, cum locum ipsum in Genesi exponere cœperimus, videbimus.* Quid ergo? an hæc à librariis, an ab Interprete vitiata dicemus? an alia quædam in Genesin meditatum fuisse fingemus Origenem, cum hæc scriberet? Equidem hæreo. Ex libro quoque de oratione cognoscimus scriptum hunc esse editis jam Commentariis in Genesin. Expositionum in Exodum, in Leviticum, & in Numeros nulla in sexto Eusebianæ Historiæ memoria: eas esse vetustiores decem Voluminibus Commentariorum in Canticum Canticorum hæc Origenis patefaciunt verba ex Homil. 1. in Cantic. *De quo plenius in libro Levitico, prout Dominus dare dignatus est, exposuimus:* & ista è Prologo: *Sed quomodo differant à sanctis Sancta sanctorum in Exodo, & quomodo differant opera ab operibus operum in Numerorum libro, tractantibus, prout potuimus, dictum est à nobis.* Quo tempore autem Canticum explanaverit, mox videbimus. Expositiones in Leviticum laudat iterum Origenes libr. 9. in Epist. ad Rom. cum ait: *De quibus singulis cum in librum Leviticum aliqua diceremus, pro viribus explanare tentavimus.* An vero Commentarii in Exodum, in Leviticum, & in Numeros his signentur, an Homiliæ, non satis apparet. De enarrationibus Deuteronomii altum apud Eusebium silentium. Recentiores illas esse reperio posterioribus Tomis in Johannem: sic enim scribit Origenes Tomo 32. in Johann. super Deuteronomii cap. 2. vers. 30. ἀλλὰ τὰ περὶ μὴν τούτου, οἰκειότερον ἐν τοῖς εἰς τὸ δευτερονόμιον ἐξεταθέντι ἄν. Posterioribus autem in Johannem Tomis suum mox tempus præfiniemus. At vetustiores fuerunt enarrationes illæ Deuteronomii Homiliis in Lucam: de iis quippe sic Origenes Homil. 8. in Luc. *Memini quondam Deuteronomium disserentem, dixisse me,* &c. quæ non aliud expositionis genus, quam Homileticum videntur indicare.

Observatum est Eusebio Commentarios in viginti quinque priores Psalmos Alexandriæ degentem Adamantium edidisse. Ipse vero Origenes Tomo 1. Commentar. in Epist. ad Rom. futurum pollicetur, ut Psalmum 57. aliquando enarret: & libro tamen quarto in eandem Epistolam, Psalmos sese interpretatum fuisse declarat: sed hic fortasse Tomos intelligit; illic Homilias vel Scholia. At Homilia 15. in Josue explicasse se significat Psalmum centesimum; & Homilia 13. in Levitic. meminit expositionis suæ in Psalmum 118. Hieronymus in Procœmio Commentariorum suorum in Abdiam scribit expositionem Origenis in Canticum, fœtum esse juvenilis ætatis. Hieronymum secutus Baronius factum id putat anno Christi 208. quo tempore vigesimum tertium ætatis annum agebat Adamantius

Bar. Ann. 208. c. 3.

A mantius. Pugnat illud cum rationibus Eusebii, qui tum eum Scripturam illustrare exorsum tradit, quum Antiochia Alexandriam reversus est, unum jam & triginta annos circiter natus. Idem alio loco decem illos Commentariorum in Canticum libros Cæsareæ absolvisse Origenem refert, quos in altero Athenienſi ſeceſſu inchoaverat. Ad ſecundum autem jam & quinquageſimum ætatis annum pervenerat, cum Athenas iterum repetiit. Expoſitiones præterea ſuas in Exodum, in Leviticum, & in Numeros hoc Opere laudat Origenes, quas nonniſi jam natu grandem emiſiſſe credibile eſt: laudat & oratiunculas in librum Judicum à ſe editas, quas non alias eſſe puto, quam quæ extant. Num ergo levia quædam & rudia jam tum adoleſcens effuderat Adamantius; provectior autem ætate nova illa Commentaria Tomis decem diſtincta edidit? Plane ita eſt: nam capite ſeptimo Philocaliæ fragmentum adducitur, cui verba hæc præfixa ſunt: ἐκ τῶ εἰς τὸ ᾆσμα μικρῶ τόμω, ὃν ἐν τῇ νεότητι ἔγραψεν. *E parvo Tomo in Canticum, quem juvenis ſcripſit.* Parvum hunc igitur Tomum, quem in juvenili ætate emiſerat, deſignat Hieronymus in Proœmio Commentariorum in Abdiam: decem autem volumina natu grandior elimavit. Id ſi ſit, jam intelligitur Euſebium priora illa rudimenta nullo habuiſſe numero, earumque duntaxat ſcriptionum duxiſſe rationem, quas ingenio & annis maturior Origenes accuravit. In Homilia ipſius undecima in Ezechielem hæc legas: *Eo tempore quo Hieremiam expoſuimus, ea quæ nobis gratia Dei orantibus vobis largita eſt, ſive certe utcunque ſenſimus, exponere conati ſumus.* Ante igitur Jeremiam interpretatus eſt, quam Homilias illas in Ezechielem habuiſſet. Necdum etiam Numerorum explicationem fuerat aggreſſus, cum Jeremiam Homiliis illuſtraret, ut ex duodecima manifeſtum eſt. In prima vero non multo ante ſe enarraſſe oſtendit ſententiam hanc Soſpitatoris: *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua*; quæ cum habeatur Matth. 13. 57. prolixaque illius extet interpretatio in Commentariis in Matthæum, ad ea procul dubio Origenes reſpexit: ex quo efficitur his Commentariis poſteriores eſſe Homilias in Jeremiam; nec multo tamen poſteriores, cum poſt annum ætatis ſexageſimum Commentaria illa concinnaverit; Homiliæ autem illæ ex earum genere ſint, quas ex tempore recitatas, à notariis hoc primum tempore deſcribi paſſus eſt. De lucubrationibus in Ezechielem ita ſcribit Sixtus Senenſis: *Cum Athenis degeret, jam ſexagenario major elaboravit, Euſebio teſte, in Ezechielem Tomos viginti quinque, cum prius in eundem Prophetam Homilias plurimas dediſſet.* Bis peccat Sixtus, nam annum quinquageſimum ſecundum nondum exceſſerat, cum alterum Athenienſe iter ſuſcepit, ut demonſtravimus; quo itinere cœptos in Ezechielem Tomos abſolvit: Homilias autem ſexagenario major habuit, utpote quæ ex illarum claſſe ſint, quæ cum pronuntiarentur ex ambone, à notariis in literas referebantur. Scripſiſſe quoque illum nonnihil in Danielem, priusquam exponendum Matthæum ſuſciperet, oſtendit illud è Tractat. 29. in Matth. *Quæ autem ſequuntur in textu Danielis, ſicut potuimus, expoſuimus.* Agit nempe de Danielis capite 9. verſ. 27. Diximus, Euſebium tradidiſſe, jam ſexagenario majorem Origenem circa idem tempus Celſum refelliſſe, & duodecim Prophetas expoſuiſſe. Certe Origenes libr. 7. contr. Celſ. affectos jam fuiſſe Commentarios ſuos in Duodecim videtur ſignificare, & ad eos perficiendos divinam opem implorare: ait enim. πλὴν καθ' ἡμᾶς καὶ τὸ δυνατὸν ἡμῖν πεποιήκαμεν, τὰ, ὡς φησι κέλσος, πάροιστρα, καὶ πάντη ἄθλια πρὸς λέξιν δυσηκάμμυροι, ἐν τοῖς πραγματευθεῖσιν ἡμῖν εἰς τὸν ἡσαΐαν, καὶ εἰς τὸν ἰεζεκιὴλ, καὶ εἰς τινας τῶν δώδεκα. θεὸν δὲ διδόντα τὴν ἐν τῷ λόγῳ ἀπτῶ προκοπὴν, καθ' ἃς θέλεται χρόνους προστεθῆσεσθαι τοῖς ἤδη ὑπάρχουσιν εἰς ταῦτα, ἤτοι τὰ λείποντα, ἢ ὅσα γ' ἂν φθάσωμεν σαφηνίσαι.

Euſeb. libr. 6. cap. 23.

Euſeb. l. 6. Hiſt. c. 32.

Sixt. lib. 4. Bibl.

Euſeb. lib. 6. cap. 36.

De Commentariis Origenis in Evangelium ſecundum Lucam filet Euſebius. Ipſe tamen Origenes Tom. 16. in Matth. p. 424. eorum meminit, quæ antea fuerat in Lucam commentatus; utrum Commentariorum, an Homiliarum, incertum eſt. At Tomo 13. pag. 333. Homilias ipſas nominatim laudavit. Antiquiores eædem fuerunt poſterioribus Tomis in Johannem, utpote quæ Tomo 32. pag. 374. appellentur. Fuiſſe vero ab Origene conſcriptas, antequam virilem attigiſſet ætatem, indicare videtur Hieronymus, cum ait in Prologo interpretationis ſuæ: *Fateor itaque, antequam ille objiciat, in his Origenem tractatibus, quaſi iterum talis ludere: alia ſunt virilia ejus, & ſenectutis ſeria.* Poſteriores ipſos in Johannem Tomos ſecundo itinere Athenienſi abſolutos exiſtimo. Nam poſt Maximini perſecutionem expliciti ſunt, quippe cujus Tomo 22. meminerit, quemadmodum refert Euſebius: nondum autem Matthæum explanare fuerat exorſus, ſicuti apparet ex ejus Tomo 16. in Matth. & decimo in Johannem Tomo, p. 179. Ne Commentariorum quidem in Epiſtolam ad Romanos meminit Euſebius; ex Origenis tamen Tomo 17. in Matth. pag. 494. & libr. 5. & 8. contr. Celſ. intelligimus jam tum ea compoſuiſſe Origenem, cum ad explanandum Matthæum, & confutandum Celſum ſe contulit. Diſcere vero licet ex Homilia 17. in Lucam, jam ante ipſum eſſe interpretatum Epiſtolam priorem ad Corinthios, quam in hunc Evangeliſtam ad populum diſſereret: *Memini*, inquit, *cum impretarer illud*

Euſeb. l. 6. Hiſt. c. 28.

quod

quod ad Corinthios scribitur: Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus qui invocant eum, dixisse A
me diversitatem Ecclesiæ, & eorum qui invocant nomen Domini. Commentarios in priorem ad Thessalonicenses Epistolam in Opere contra Celsum, libro secundo laudato reperias. Denique expositionem aliquam in Apocalypsin meditabatur, cum Matthæum explicaret: de Dracone quippe illo septem capitibus, & decem cornibus instructo agens, ita scribit Tractat. 30. *Exponetur autem tempore suo in Revelatione Iohannis:* & mox: *Has autem principales expositiones atque probationes oportet fieri, cum ipse liber* (Apocalypseos) *propositus fuerit nobis ad exponendum.*

IV. Cæterum magna in distinguendis Origenis Homiliis adhibenda dijudicatio est; alias enim meditatè conscriptas edidit, alias ex tempore recitavit. Longe levior, me judice, harum auctoritas; gravior illarum existimatio. Quidquid extemporalium Homiliarum B
supereſt, post sexagesimum ætatis suæ annum pronuntiavit Origenes; actuarii ex ambone recitatas exceperunt: quod hactenus fieri prohibuerat. Alias variis temporibus accuravit. Quod si hæc perspexisset Erasmus, minime profecto id ipsi de Homiliis Origenis generatim agenti excidisset: *Eas conciones non ipse scripsit, sed à notariis excipi passus est, quod tamen negant, illum esse passum ante annum, ut ante dictum est, sexagesimum.* Quasi nullas cogitatæ conscripserit Homilias Origenes, sed omnes ex tempore profuderit. Homiliæ in Lucam, teste Hieronymo in Prologo suæ interpretationis, fœtus est juvenilis ætatis, & in otio quidem ac secreto conceptus, ut in publicum deinde ederetur. Continuatam ergo illic Lucæ expositionem animadvertas, præterquam in sex postremis Homiliis, quæ ex ampliori numero videntur excerptæ. Prioribus illis triginta tribus similes sunt Homiliæ in Psalmos 36. 37. C
& 38. & duæ in Canticum, & novem in Judices. Extemporales autem Homiliæ, quoniam juxta Episcopi præscriptum, & designatum ab eo argumentum ac Scripturæ locum pronuntiabantur, idcirco certum hunc ordinem neutiquam tenent; sed in eandem sæpe periocopam geminatæ reperiuntur, prætermissis totis capitibus, diligenti cæteroquin observatione, & explicatione dignis. Hujus generis videntur esse superstites in quatuor priores Pentateuchi libros Homiliæ, & quæ in librum Josue extant, quas, ut ait Rufinus Interpres in Prologo, *ex tempore in Ecclesia peroravit Adamantius senex.* Hujus quoque generis esse videtur unica illa in 1. Reg. cap. 1. & 2. & alia de Engastrimytho, quam primus edidit Leo Allatius, & quæ supersunt in Isaiam, in Jeremiam, & in Ezechielem. Hæ autem subinde à Studiosis juxta Scripturæ ordinem collectæ & dispositæ sunt. Atque hæc nos magna verisimilitudine ducti conjectamus, non præfracte asserimus. D

APPENDIX,

LIBRI ORIGENI FALSO, VEL DUBITANTER ADSCRIPTI.

I. *Unde factum sit, ut Origenis nomen pleræque sibi scriptiones falso asciverint, aperitur.* II. *De tribus libris in Job, deque vetusto ipsorum Interprete.* III. *De posteriore* E
in Job Commentario. IV. *De Commentario in Marcum,* V. *Homiliis in diversos.* VI. *Homilia quæ in Codice Vaticano inscribitur,* τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος: VII. *Scholiis in Orationem Dominicam, & Cantica B. Virginis, Zachariæ, & Symeonis.* VIII. *De lamento Origenis,* IX. *Dialogo de orthodoxa fide,* X. *alio quodam vetusto Dialogo,* XI. *libellis de hæresibus,* XII. *De singularitate Clericorum,* XIII. *De Astrolabio, & de breviario, & Sermone de Catechesi.*

I. DEmonstravimus libri secundi quarto capite magnum aliquando in Ecclesia & illustre fuisse Origenis nomen; eoque etiam ex adversariorum contentio- F
nibus & convitiis, quod fere alias usuvenire solet, illustrius evasisse. Hinc factum est, ut ab incertis & ignotis auctoribus profectæ lucubrationes nonnullæ, sic tanquam projectitii infantes, clarum Origenis nomen sibi libenter asciverint; nonnunquam etiam operibus suis metuentes Scriptores subdoli, ementitum hunc prætexentes titulum, Adamantii famam veluti furto subripuerint; Bibliopolæ etiam mercibus suis venditandis emtorem hiantem fucata hac inscriptione induxerint. Has quidem ob causas aliquando contigisse reor, ut in Origenis familiam spurii transierint libri; at frequentius etiam idem evenisse puto vel ex librariorum oscitantia, nomina nominibus commutantium; vel ex Criticorum audacia, quidvis sibi licere in literis putantium. Huc accessit

quod

A quod plurimas Origenis scriptiones studiose abolentibus ipsius adversariis & defensoribus, his quidem ut ejus errores, illis ut præclara ejus opera invidiose celarent; multas vice versa lucubrationes utrique paribus de causis nomini ipsius subdiderunt. Nos vero postquam Origenianorum scriptorum examen semel suscepimus, ad nostram pertinere duximus curam, suos ei fœtus legitimos restituere, quod hactenus fecimus; supposititios vero ex ejus familia segregare, quod Appendice ista facturi sumus.

II. In Latina Origenis editione duplex genus Commentariorum in librum Job reperitur. Prius in tres discretum est libros, & duo priora Jobi capita cum tertii portione complectitur, ab incerto Interprete Latinitate redditum: posterius totum persequitur Jobi librum, & brevibus Commentariolis (Scholia prope dixeris) exponit, & Joachimum Pe-
B trionium interpretem habet. Spurium utrumque opus, & emendicatum Origenis nomen falso jactans. Prioris certe stylus Origeniani dissimilis est; creber quippe artis oratoriæ figuris; quales in Tomis nullas admittit Origenes, non multas in Homiliis. Discrepat quoque sententiis: nam libr. 2. Christum ait prædicasse tribus annis & dimidio; cum Origenes libr. 4. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. & Homil. 32. in Luc. anno duntaxat uno cum aliquot mensibus id muneris Christum obiisse dicat. Post Arianæ hæreseos exortum prodiisse, & ab Ariano quidem fuisse scriptum, manifeste hæc evincunt: *Tria cornua fecit Diabolus in typum atque figuram trionymæ illius sectæ, triumque Deorum hæresis, quæ universum orbem terræ in modum tenebrarum replevit, quæ Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aliquando tanquam tres colit, nonnunquam unum adorat, quemadmodum Græcorum lingua memoratur, Triada, vel Homoüsion. Istam*
C *ergo Trinitatis sectam, & hæresin, atque infidelitatem jam olim de longe designans versutissimus ille Diabolus tria cornua misit ad Iob deprædandum. Sic namque etiam nunc memorata trionyma hæresis præsertim prædatur atque expugnat Ecclesiam.* Luciani martyris cum laude meminit, Origenis temporibus multo recentioris: *Ita consummatus est*, inquit, *beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiæ consummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus est, tanquam lucidius, aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis lucens. Hic namque beatus duodecim diebus supra testas pollineas extensus, tertia decima die est consummatus, aliique innumeri sancti Martyres eodem modo mortem transeuntes consummati sunt.* Ex quibus conjectura ducor ad suspicandum operis hujus auctorem ex eo esse genere Arianorum, qui Luciani discipulos sese profitebantur, & Lucianistæ dici amabant. De his ita Epiphanius Hær. 76. cap. 3.
D οἱ μὴν γε ἄλλοι τῶν ἀρειανῶν τῶν ὀπὸ λευκιανὸν τε, ἢ ὠφεληθέντες λαβόντων τὴν πρόφασιν, γενόμενοι ἅμα ἀσεβείᾳ τινὶ ὁμοῦ σοφιστῶν ὄντι, ὑποπεσόντι τε ἐν τῷ διωγμῷ τῷ ὀπὶ μαξιμιανοῦ γενομένῳ· *Alii enim ex Arianis, iis qui à Luciano & Origene doctrinam suam acceperant, conjuncti Asterio cuidam de grege Sophistarum, qui in persecutione Maximi à fide defecerat.* Quapropter Ariani deinde Lucianistæ nuncupati sunt, ut apparet ex Mario Victorino libr. 1. adv. Arianos. Qui autem Coluthiani appellabantur, non a Luciano illo traxerunt nomen, ut opinati sunt quidam, sed à Colutho Hæresiarcha Arii socio, cujus meminit Epiphanius Hær. 69. cap. 2. Distinguantur porro hi Lucianistæ ab aliis Lucianistis, Luciani cujusdam antiquioris & Marcionistæ discipulis, cujus hæresin Epiphanius persequitur. Scriptorem trium librorum in Jobum, Latinum existimat Erasmus, eumque esse Maximinum hariolatur, cujus extant Disputationes cum Augustino: *Fuisse Lati-*
E *num*, inquit, *inprimis ipse operis gustus indicat: vix enim quisquam ita commode vertit Græca, ut oratio Latina non sapiat alicubi suam originem. Interpretatur interdum Græcas voces, sed ita ut Latinum agnoscas: veluti quum docet nos, quid & qualis sit Adamantus.* Sic se habet ille locus: *Adamantus interpretatur in Græca lingua, indomabilis, inflexibilis, inalterabilis, &c.* Addere poterat & alterum supra à nobis depromtum, quo ludit in voce *Lucianus*, eumque à *luce* didum scribit. Erasmo assensi sunt Robertus Cocus in Censura, & Edmundus Albertinus in Opere de Sacramento Eucharistiæ. Sed quis nescit Interpretum audaciam, auctorum sermonibus sua commenta interponere amantium? Græcum esse scriptorem probat Interpretis Prologus, quo librum hunc aliquos ante se Latine vertisse tradit. Prologum à librariis suppo- *Libr. 2. in Examine testim. Orig. c. 1.*
F situm divinat Erasmus, nullis, vel levibus argumentis; repugnante etiam styli utriusque convenientia. Effrænis profecto, iterum dico, & projecta Erasmi temeritas, veterum Patrum scriptas manibus suis conjecturis ita permiscentis, ut nisi contraivissent posteriorum Theologorum studia, vix certum aliquid de adolescentis Ecclesiæ doctrina statuere possemus. Scribit Possevinus dubitasse nonnullos, annon Hilario tribuendi essent hi Commentarii. Id si quis credet; Hilariani eum characteris penitus ignarum esse necesse est. Adversus Arianos summa cum laude scripsit Hilarius, quorum iste partiarium se prodit. Ad hæc nihil in Genesin scripsisse fertur Hilarius, in quam se lucubrasse aliqua testatur iste auctor. Eandem vero, ut & librum Jobi, multis exposuerat Origenes: unde data fortasse occasio libri istius huic adscribendi; cum præsertim in allegorias nonnunquam excurrat. Arguit Erasmus ex horum librorum clausula non ulterius progressum fuisse Scriptorem, licet vix caput Jobi tertium attigerit: à qua equidem sententia non recedo. *Possev. in appar. Sacr. in Hilario.*

III. Posteriorem Commentarium in Job è Bibliothecæ Regiæ Codicibus Perionius Latina oratione donavit. Alia quoque alibi reperiuntur ejus exemplaria. Multo minus Origenis illum esse dicas, quam priores libros tres: nam neque Tomorum, neque Homiliarum, neque Scholiorum stylum sapit; neque divertit usquam in allegorias, & totus est in perscrutando literæ sensu, ut meram paraphrasin esse dicas. Mosen libri Job scriptorem esse asserit in Prologo: at prior Commentarius eundem à Jobo, vel Jobi amicis Syrorum lingua scriptum, à Mose in Ebraicam linguam conversum tradit. Unde efficitur alterutrum saltem opus Origenis non esse. Neutrum vero ejus esse efficitur ex eo quod librum Jobi Moyse antiquiorem esse tradit libro 6. contr. Cels. & quod Philocaliæ capite 5. libros duntaxat quinque Mosen reliquisse affirmat. Cum Origenis sententiam de sideribus supra exploraremus, observavimus animata ea ipsum censuisse: contra hic Scriptor stellas animo carere diserte asseverat. Meminit præterea Manichæorum, & Luciani Martyris, qui Origene fuerunt recentiores. Alicubi vero ita differit: *Neque ergo ὁμοούσιον aliquid ejus est, id est ejusdem essentiæ; eum enim interire non posse diximus: neque ὁμοούσιον, id est, unius essentiæ; comparari enim non potest:* & alio loco: *Recita hæc tu cum judicio apud Homousiastas.* Quibus aliisque compluribus Arianus esse intelligitur: nam, ut ait Epiphanius, non tam bitumini odorem refugit serpens, quam vocem ὁμοούσιον Arius aversabatur. Quamobrem Catholicos Homousiastarum nomine Ariani traducebant. Ex eodem igitur Arianorum Lucianistarum genere fuerit, è quo Scriptor supra memorati Operis in Jobum, quippe qui Luciani Martyris æque meminerit. Sic autem existimo; quemadmodum sublevandæ Israëlitarum calamitati, dum Ægyptiorum servitute premerentur, librum Job à Mose scriptum autumant plerique; ita multiplici ab Arianis Commentario eundem fuisse illustratum, ac frequenti lectione contritum, solatii gratia, cum ab Ecclesia Catholica anathematis & censuris urgerentur. Quærenti autem mihi, ecquonam argumento liber iste Origeni adjudicatus est, nonnulla in eo occurrerunt Origenianæ doctrinæ vestigia, quæ ad alia non satis attentum Lectorem fefellerunt. Rejicit eos Scriptor operis, qui Deo humanam figuram affingunt: eam hæresin acriter ultus est Origenes. Quo modo Angelos custodes admittit Auctor: admittit & Origenes. Christum Patriarchis & Prophetis Veteris Testamenti apparuisse, atque ita mediatorem Dei & hominum hoc tempore fuisse opinatur Auctor: opinatur & Origenes. Astris vim esse συμαντικὴν, non ἀποτελεστικὴν definit Auctor; definit & Origenes. Facile itaque consensus ille fucum fecit.

Epiph. hær. 69. c. 70.

Subjunguntur in Græcis quibusdam Codicibus, & in prima Genebrardi Editione Homiliæ quatuor, quæ quoniam Chrysostomi esse deprehensæ sunt, in recentioribus editionibus fuerunt prætermissæ.

Præter geminum illum Commentarium in librum Jobi scribit Laurentius Humfridus in Epistola ad Antonium Canum, quæ Erasmianæ Origenis Editioni præfixa est, Hieronymum Frobenium, & Nicolaum Episcopium, à quibus prælo commissa est hæc editio, Annotatiunculas quasdam in Jobum ei inserere noluisse, quod prebreves essent, & Origenis genium ac stylum parum redolere doctis quibusdam viderentur.

IV. In manuscripto Bibliothecæ Regiæ codice nomen Origenis præfert vetus Commentarium in Evangelium Marci. Legitur quoque in Possevini Apparatu haberi in Oxonienſi Bibliotheca corporis Christi, Origenis opus aliquod in Marcum. Cujusmodi sit istud opus, equidem ignoro. Quod ad Regium attinet, nonnullæ in eo Allegoriæ, multa Origenianæ doctrinæ affinia, quæ in Observationibus ad Commentarium in Matthæum notavimus, Origenem videntur auctorem indicare. Sed levia hæc, prout ea sunt quæ contrarium probant; summa styli discrepantia, constans Origenis consuetudo in Commentariis, vel per Tomos, vel per Homilias, vel per Scholia digerendis, quorum ad nullum genus expositiones istæ referri possunt; nam prolixitate Scholia superant, à Tomis superantur; ab Homiletico vero genere penitus differunt. Adde profiteri Scriptorem Operis ipso initio, redacturum sese in unum corpus, quæ ab Ecclesiæ Doctoribus sparsim in hunc Evangelistam fuerant annotata; cum multi in Matthæum & Johannem, pauci in Lucam, nulli penitus in Marcum ad suum tempus scripserint. Profecto non multi ante Origenem scripserant in Matthæum & Johannem; atque hæc sequiorem Origenianis temporibus ætatem sapiunt. Si minus ad eripiendum Origeni librum hunc valent conjecturæ, at valebit certe Codicum veterum dissensio, quorum aliqui Victori Antiocheno eum tribuunt; cujusmodi est liber quidam Bibliothecæ Regiæ, cujusmodi & ille fuit Theodori Peltani Societatis Jesu Theologi, qui Commentarium istud Latine à se redditum sub Victoris nomine publicavit. Idem alii Cyrillo Alexandrino Codices adscribunt: cujusmodi etiam alter Bibliothecæ Regiæ. Nec titulis solum diversitas inest, sed libri etiam contextui. In Codicibus Victoris, vel Cyrilli nomine inscriptis, Origenem, Eusebium, Chrysostomum, Apollinarium, & Theodoretum citatos; Catharos vero Hæreticos perstrictos reperias: atque hæc nomina, alia-

Poss. App. in Origen.

A aliaque multa, erasa offendas ab exemplaribus quæ nomen Origenis in fronte gerunt. Quæ si quis casu contigisse putet, parum ille librariorum audaciam perspexerit. Mihi vero cum certo constet Commentarium istud non esse Origenis, verisimile fit ab iis fuisse interpolatum, & in Origenianam lucubrationem recusum, quo facilius lectores vel emtores nanciscerentur.

Jam vero utri potius, Victori, an Cyrillo, tribuendum sit istud Commentarium dijudicare, etsi est præter institutum, dicam tamen obiter Victori verisimilius, quam Cyrillo adscribi: nec enim Origenem tam crebro testem à Cyrillo laudatum, nec Chrysostomi usurpatam ab eo auctoritatem facile putaverim. De Victoris ætate quæstionem habet Peltanus, & Juliano antiquiorem esse putat, ideo quod decimum tertium Marci caput exponens fundaB menta Templi supere esse dicat; ea vero Juliano imperante fuisse refossa, juxta Nicephori testimonium: capite vero sequenti Catharos Hæreticos suggillet, quorum hæresis ante hanc ætatem fuerat ab Ecclesia profligata.

V. Circa Homilias, quæ in diversos inscribi solent, ante omnia notandum est, fuisse ipsas à Merlino ex variis locis collectas, & eo collocatas ordine, quo inter se dispositæ cernuntur. Id ipse in editione sua de his præfatus est. Quod præmonendus fuit Lector, ne miretur, quomodo diversa, & parum sibi congrua membra in unum corpus confluxerint. Singulas nunc seorsum, ac sigillatim excutiamus.

Prima ab Origenis stylo penitus aliena est: simplex ille est & familiaris, literam breviter exponit, tum transit ad allegorias, & tropologias; hæc abundat schematis & tropis, ludit C in verbis, & aliter denique clauditur, quam Homilias suas Origenes claudere solet. Nihilo magis cum Origenis dogmatibus congruit. Docet Origenes Homilia 14. in Luc. Mariam apertis uteri claustris Christum fuisse enixam, ut supra suo loco dictum est: contraria omnia hac Homilia statuuntur. Plane itaque non est Origenis. Latinum Scriptorem stylus arguit. Auctorem divinet, si quis hariolari amat. Reperitur illa in Lectionario quodam veteri Bibliothecæ Regiæ.

At mirabilis est eorum stupor, qui secundam Homiliam Origeni adjudicarunt; nam præter stylum ab Origeniano genio abhorrentem, & clausulam ab Origenianis diversam, Manichæos & Arianos Origenis temporibus posteriores nominatim appellat. Filium Patri ὁμούσιον esse dicit; Dionysii Areopagitæ opera citat, cum Origenis ætas hos libros nondum vidisset. D Habetur hæc Homilia in manuscripto Bibliothecæ Regiæ codice inter multa Augustini Opuscula. De auctore certum nihil definire possum.

Ne tertiam quidem Origeni deputare ausim, repugnante clausula & stylo: quamvis ad Origenianum saporem propius accedat quam superiores duæ; pauculas enim quasdam allegorias habet. Primæ tamen similior est quam secundæ, adeo crebra est figuris & interrogationibus. Latinum Scriptorem dicas, & quidem Hieronymo recentiorem. Idem esto de quarta Homilia judicium, quam exhibent quoque Lectionaria Regiæ Bibliothecæ.

Eadem & quintam Homiliam exhibent, quæ nihil Origenianum habet, non stylum, non allegorias, non clausulam: oratio concisa, dissoluta, ἐσχηματισμένη. Initium Homiliæ, quod Origenis doctrinam sapit, Lectoribus imposuit. Vide Tomum 12. in Matth. p. 206 easdem fere reE peries sententias. Quod nisi dubia esset Interpretum fides, Scriptorem Latinum esse judicarem ex his verbis: *Cum ager, quod in eo aliquid agatur, vel villa à circumvallatione limitis, hoc est munitione custodiæ nomen acceperit, congrue dispensatione carnis illo ingressus asseritur Dominus, quo per Deitatis portam circundando attrahens ad credulitatem incredulos, & sanitatis miraculum erat acturus.* A primæ Homiliæ stylo parum dissentit.

Sexta Homilia primæ, tertiæ, quartæ, ac quintæ, sed tertiæ potissimum similis est, stylo, figuris, clausula; unde à Latino quoque homine scriptam arbitramur. Nec aliter de septima judicamus, licet clausula careat. Utramque repræsentat Lectionarium quoddam Regiæ Bibliothecæ: & septimam quidem hoc initio: *Fratres, dicit aliquis ex vobis, feci peccata multa & magna: & quis ex vobis est, qui non peccet? Tu dic, erravi super omnes homines. Sufficit tibi in sacrificio* F *ista confessio. Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris. Cognosce te, quoniam peccator es, habe tristitiam cum converteris: esto ac si desperatus & mœstus: sed & lacrymas compunctus effunde. Nunquid aliquid aliud fuit in meretrice, quam lacrymarum effusio? & ex hac profusione invenit præsidium, & accepta fiducia accessit ad fontem Dominum Iesum. Sed veniamus ad causam. Quid ergo Evangelista? & inde transiens Dominus Iesus in partes Tyri, & Sidonis, & ecce mulier Chananæa. Mirares, ô Evangelista:* Reliqua ut in libris editis concepta sunt.

Quod de proxime præcedentibus, idem sentimus de Octava, quæ rhetoricis pigmentis perspersa est. Id olfecit Merlinus, & Origenis stylum neutiquam referre eam confessus est, seque hoc uno argumento dudum Origenianis scriptis inseruisse, quod à multis putetur esse Adamantii, & inter ejus Opera reperta sit. Eam autem inter Opera falso adscripta Hieronymo posuit Victorius Tomo nono.

Homilia nona membris tribus in unum compactis conflata est. Pars prior nihil aliud est A quam Origeniani tractatus trigesimi quarti in Matthæum portio; unde nonnulla consulto expuncta sunt; quod iis doctrina minus sana contineretur. Ea vero pars quæ ab his orditur verbis: *A plerisque conscientia accipitur peccatorum*, &c. & in iis desinit: *Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ*, desumta est ex libro octavo Commentariorum Hieronymi in Isaiam. Reliqua suppeditavit cap. 17. lib. 5. Moralium Gregorii Magni.

Decimam Homiliam non esse Origenis statim agnoscet, quisquis nares habuerit. Alienus est stylus ab Origene, aliena clausula, aliena schemata, synonyma, antitheses, allusiones, colores arte quæsiti, quæ omnia Origenianam simplicitatem non sapiunt. Allegoriæ præterea nullæ, nullæ Tropologiæ. Si quid conjectura valeo, Scriptorem Latinum dixerim.

Ea certe est primæ, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, septimæ, octavæ, & decimæ congruentia B inter se & similitudo, ut pœne affirmare ausim unius esse omnes & ejusdem Auctoris, atque ejus, ut dixi, Latini: secunda alterius est Scriptoris: nona consuta est triplici trium Scriptorum fragmento. Ab Origene autem nulla penitus profecta est, præterquam prior illa nonæ particula.

VI. Michaël Ghislerius in Præfatione ad suos in Jeremiam Commentarios, c. 7. paragr. 4. narrat, in Vaticano quodam Codice Græco repertas sibi Origenis Homilias in Jeremiam viginti; earumque postremam, etsi id indicaret titulus, nequaquam tamen ad Origenem pertinuisse. Subnectit postmodum ea jam edita comperisse se non Origenis Homiliam, sed insignem esse Clementis Alexandrini Tractatum, cujus meminerunt Eusebius, Hieronymus, & Photius, quique ita inscriptus fuit: τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος. C

VII. Scholia in Orationem Dominicam, & Cantica B. Virginis, Zachariæ, & Symeonis Græce cum sua interpretatione Latina edidit Federicus Morellus, sub nomine Origenis, sive, ut ipse apposuit, alterius Doctoris συγγράφου, eaque se è veteri manuscripto Codice ex Italis Bibliothecis profecto selegisse, exscripsisse, transtulisse declarat. In ipso Scholiorum titulo Græco nomen Origenis neutiquam offendas, sed illud duntaxat: ἀνανύμου σχόλια εἰς εὐχὴν κυριακήν. Unde ab ipso Morello nomen Origenis suppositum suspicor. Bene vero est quod Petrum Laodicensem legitimum auctorem ex Bibliothecæ Patrum Tomo priore cognoscimus, in quo Scholia hæc in Orationem Dominicam Latine conversa cum illis Germani Patriarchæ Constantinopoli conjuncta in unum & permista reperiuntur. Atqui Morelli Codex Scholia in Cantica eidem tribuebat, cui & Scholia in Orationem Dominicam; & id persuadere po- D test styli similitudo.

VIII. Ad finem librorum περὶ ἀρχῶν attexi solet libellus, qui Lamentum Origenis inscribitur. Hujus interpretationem Hieronymo tribuit Guido Carmelita, in Hæresi Origenistarum; tribuit & editio Merlini, & Codex manu exaratus Bibliothecæ Regiæ. Sed contra Erasmus, *Lamentum hoc*, inquit, *nec ab Origene scriptum est, nec ab Hieronymo versum, sed figmentum est alicujus indocti, qui studuerit hujusmodi colore Origenem infamare. Similli artificio finxerant Epistolam Hieronymi titulo, in qua deplorabat quod aliquando cum Origene sensisset.* Et Gelasius in Concilio Romano: *Liber qui appellatur de pœnitentia Origenis, apocryphus.* Mirum itaque sine falsitatis nota à Theologis quibusdam librum hunc nonnunquam in testimonium citari, & inter genuina Origenis opera à Vincentio Bellovacensi reponi. Hic vero ridenda est Hetero- E doxi cujusdam hujus ætatis supinitas, qui lamentum Origeni adscriptum, à libro de pœnitentia diversum quid esse putavit.

Vinc. Bell. Spec. doctr. l. 18. c. 43.

IX. Dialogum de orthodoxa fide, qui & contra Marcionistas inscribi solet, Origeni tribuere videntur Basilius, & Gregorius Nazianzenus. Cum enim ex Operibus mere Origenianis Philocaliam conflare se professi sint, fragmentum è parte tertia Dialogi istius depromtum in Philocaliam conjecerunt. Itaque illum esse Origenis credidisse illos perspicuum est. At inducitur in eo Dialogo Origenes probatam in Ecclesia de tunicis pelliceis Adami, & de corpore humano, & anima, deque resurrectione sententiam propugnans; cum alia sensisse ipsum supra ostenderimus. Unde opellæ hujus scriptor neutiquam credi potest. Præterea ad finem fragmenti hujus quod Philocaliæ insertum est, F Scholion istud reperiri solet: ταῦτα ἀπὸ ϛ΄ λόγου τῆς εὐσεβίου τοῦ παμφίλου εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς παρεμβέβληται· μαζίμου δέ εἰσιν, ὡς φησιν ὁ αὐτὸς εὐσέβιος, ἐν ἀσήμῳ ἐν τοῖς χριστιανοῖς συγγράφεως· αὐτολεξεὶ δὲ ἔχει ταῦτα κείμενα καὶ ἐν τῷ ὠριγένους πρὸς μαρκιωνιστὰς, καὶ ἄλλως ἀρετικὰς διαλόγῳ, ἐνταῦθα δικαίου τοῦ θεοῦ ἀντιλέγοντος. *Hæc è septimo libro Evangelicæ Præparationis Eusebii Pamphili depromta sunt. Sunt autem Maximi, ut ait ipse Eusebius, non ignobilis inter Christianos Scriptores. Totidem vero verbis scripta ea inveniuntur in Origenis adversus Marcionistas, aliosque Hæreticos Dialogo, agente Eutropio, defendente Megethio.* Revera Eusebius libro 7. de præpar. Evangelic. fragmentum id exhibet, & ex Maximi libro περὶ ὕλης sese mutuatum esse tradit. Utris autem plus habeamus fidei, Basilio & Gregorio, opus id Origeni tribuentibus; an Eusebio idem Maximo assignanti, ambigendum non est: sæpe quippe ostendimus, neminem in per-

A perscrutandis Origenis rebus tantum adhibuisse curæ & solertiæ, quantam adhibuit Eusebius. Veri autem simile est habitam revera fuisse Origeni cum Megethio, Marco, aliisque Hæreticis concertationem; at à Maximo deinde in literas relatam, & Operi suo περὶ ὕλης intextam. Fidem his conciliat quod narrat Eusebius, ab ætatis suæ Presbyteris quamplurima de Origene scriptis fuisse tradita; & quod Dialogi scriptor Reges quosdam Christi fidem amplexos; & templa Ethnicorum cum idolis eversa commemorat; nihil enim hujusmodi Origenis temporibus contigit, sed Constantini: unde Maximi ætatem possis colligere. Fefellit fortasse Basilium & Gregorium Dialogi titulus nomen Adamantii præferens, quod in eo primas partes tractet Origenes; quemadmodum Lælii, & Catonis nomina præferunt Dialogi de amicitia, & de senectute; non quod à Catone, vel Lælio scripti sint, B sed quod primæ ipsis partes tribuantur. Mirandum porro non est interloquentium personarum nomina neque in Eusebio, neque in Philocalia comparere: nam cum rubrica, aliove colore ejusmodi nomina & lemmata solerent distingui, à librariis sæpenumero distinctio hæc omittebatur, vel per incuriam, vel potius quod eam incommodius rejicientes tempus, penitus tandem, oblivioni quippe homines, prætermitterent. Duplicem lucubrationis hujus interpretationem Latina Genebrardi præfert editio, alteram Joachimi Perionii, Laurentii Humfridi alteram. Alia præterea à Johanne Pico Senatore Parisiensi lucubrata anno 1556. seorsum edita extat.

Euseb. l. 6. Hist. c. 33.

X. Alium suo, Origenisque nomine Dialogum supposuerat Hæreticus quidam, omnem licet cum eo Ephesi forte sibi viso congressum ac disputationem detrectasset. Fi- C ctitiam scriptionem misit Romam ad suos discipulos, passimque disseminavit, & Antiochiæ, priusquam illuc accederet Origenes, ob falsam victoriam inanes egit triumphos: mox vero ut affuit Adamantius, hominis contudit proterviam, & vanitatem manifestis argumentis convicit.

XI. Falso quoque præscribit sibi nomen Origenis libellus quidam, qui Philosophorum sectas ac dogmata recensет, & ὠφελίμως φιλοσοφούμενα solet appellari. Primus autem hic est liber grandioris operis, quo Hæreses omnes confutandos Auctor sibi proposuerat, quod ex Dogmatis Philosophorum, Hæreseon pestes fere profectæ sint; hisque convellendis utilis sit illorum confutatio. Larvatæ huic scriptioni personam detrahunt vel verba ista hæc quæ extant in Pro- D œmio: ταῦτα δ' ἕτερος ἂν ἐλέγξει ἐν τῷ ὂν ἐκκλησίᾳ παραδοθὲν ἡμῖν πνεῦμα, ᾧ τυγχάνοντες πρότερον οἱ ἀπόστολοι μετέδοσαν τοῖς ὀρθῶς πεπιστευκόσιν· ὧν ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες τῷ ταὐτῷ χάριτος μετέχοντες, ἀρχιερατίας τε καὶ διδασκαλίας, καὶ φύλακες τῆς ἐκκλησίας λελογισμένοι, ὧν ὀφθαλμῶν νυστάζομεν· *Hæc autem non alius coarguet, quam traditus in Ecclesia Spiritus sanctus: quem cum primitus accepissent Apostoli, iis communicarunt qui recte de Deo sentiebant: quorum nos cum successores simus, & ejusdem gratiæ participes, nec non Episcopatus, & magisterii, & custodes Ecclesiæ reputati, non oculis per socordiam dormitabimus.* Atqui nec Ecclesiæ custos Origenes, nec Episcopus fuit. Episcopus autem fuit Epiphanius, & librum scripsit de hæresibus: unde non inanis conjectura sumitur hoc opus ad ipsum esse referendum.

XII. Libellum de singularitate Clericorum Origeni addicit vetus Codex Regiæ Bibliothecæ. Addicunt & Landulfus à Columna in Breviario historiali, Laziardus Cœle- E stinus, Antoninus, & Vincentius Bellovacensis, quos recensет Pamelius; & quibus ipse succinit, cum in Præfatione ad tertium Tomum Cypriani, tum in argumento libri hujus, & in Annotationibus ad caput primum libri Tertulliani de exhortatione castitatis. Sed reclamat Baronius, quod hoc opere fœminarum contubernium Clericis interdicatur; cum inter mulieres & puellas Origenes assidue sit conversatus. Addit id fuisse causæ, cur scriptus ab Adamantio iste liber creditus sit, quod spontaneam castrationem non improbaverit; atque hoc idem argumentum usurpavit Pamelius: *Atqui*, inquit Baronius, *debuerunt hi meminisse aliqua ex parte laudatum quoque à Domino villicum illum iniquitatis, cum alioqui idem auctor de his qui hæc perpetrarent, alio Commentario se tractaturum spondeat.* Utilius re- F spondisset Baronius, si dixisset exactionis suæ Origenem pœnituisse, & à simili facinore reliquos absterruisse in Commentariis ad Evangelium Matthæi. Quod ergo in argumentum traxerunt nonnulli, ut librum de singularitate Clericorum Origeni adscriberent, quod nempe voluntariam genitalium amputationem non damnaverit, idipsum indicio mihi est librum non esse Origenis; quippe quem annis provectiorem facinoris in juventutis calore admissi pœnituerit. Baronio ex Origenis familia fœtum hunc depellenti adstipulatur codicum dissensio, quorum alii Hieronymo, Augustino alii, plerique Cypriano assignant. Erasmus ad calcem libri Augustini de Bono viduitatis: *Sequebatur*, inquit, *hoc loco libellus de singularitate Clericorum, qui toties & Hieronymi, & Cypriani nomine excusus est, quum phrasis nec Hieronymum, nec Cyprianum, nec Augustinum referat: proinde non est visum eo præsens volumen onerare.* Bellarminus neque Origenis, neque Cypriani, sed Latini tamen Scriptoris esse censet. Pamelius autem, & post eum Rivetus, ex Hellenismis quibusdam suspicati sunt è Græco Latine esse

Bar. A. 253 cap. 43. 44

Bellarm. de script. Eccl. in Cypriano. Rivet. Critic. sacr. l. 2 c. 13. & 15.

esse conversum. Subjicit Pamelius censere se conversum hoc opus jam inde ab ætate Cypriani, ob schemata & phrases ejus ætatis. Contra Baronius auctorem esse Cyprianum levibus sane rationibus contendit: neque eum movet styli disparitas, quod non eundem semper styli tenorem Cyprianus servaverit. A

In tam obscura, tamque controversa quæstione certum aliquid statuere difficile est. Cypriani non esse istud opus, clamant barbaræ hæ voces, cujusmodi nullas in puro ac terso Cypriani sermone nanciscaris: *Constitutionarios, repulsorium, vulgaritatis, fluxurarum, probrositas, participia, adunari, vanificat, egestosam, intimemus, procurativa, absentari, conjugalitas, parentalis*, aliaque plurima. Quis monstrorum ejusmodi parentem Cyprianum dicat? Arianismum præterea hæc sapiunt: *Si Christus comparare seipsum ausus est Deo, qui ait: Pater major me est: aut si Apostoli coæquare semetipsos ausi sunt Christo.* Rapinam nempe arbitratur, Christum esse æqualem Deo; tantumque discriminis Christum inter & Deum esse, quantum Apostolos inter & Christum. Primigeniam & nativam lucubrationem stylus olet, non interpretationem, quæ adstricta fere est & contorta. Ea vero est Scriptoris barbaries, ut Hellenismis locum dedisse minime mirabile sit, qui tot stribligines ac dictionum portenta admisit. Spirat tamen felicia juvenescentis Ecclesiæ tempora, adeo ut si minus illum Hieronymi & Augustini ævo superiorem dicamus, quod probabilius esse puto, non multo certe inferiorem liceat arbitrari. B

Reperitur quidem inter falso adscripta Hieronymo Opera Epistola ad Oceanum de vita Clericorum, sed Sulpitio Severo recentior, quippe quæ sancti Martini vitam ab eo scriptam laudet. Ejusdem fere ea est argumenti ac altera hæc quæ Origeni affingitur ut si quis illam ex hac expressam dicat, conjector non ineptus videri possit. C

XIII. Josias Simlerus, & Conradus Frisius in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ narrant, Origenis librum de Astrolabio in Vaticana Bibliotheca servari. Argumenti hujus scriptionem ab Origene exiisse nemo, quod sciam, literis prodidit. Ne quid tamen inconsiderate decernerem, curavi Vaticanos perlustrari forulos, indices evolvi: nullum plane hoc titulo librum illic reperiri perlatum est ad me ab amicis, quibus id negotii dederam. Inter spuria itaque, & falso afficta Origeni opera istud amandetur. Idem aperte definire non ausim de Breviario Origenis, quod in Cæsenatis Bibliothecæ Catalogo, ab Hieronymo conversum haberi scribit Possevinus, neque de Sermone, qui de Catechesi inscriptus est, & in Heidelbergensis Bibliothecæ Catalogo ab eodem recensetur: quamvis hæc mihi valde suspecta sint. *Possev. ad calcem Apparat.* D

FINIS ORIGENIANORUM.

INDEX